9/54

IOSEPHI GIBALINI

E' SOCIETATE IESV THEOLOGI,

DE IRREGVLARITATIBVS,

& impedimentis Canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, & vſum prohibentibus,

LIBER SINGVLARIS.



LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, *ET REVEREND. PRINCIPI* ALPHONSO LVDOVICO DV PLESSIS DE RICHELIEV, S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO, *ARCHIEPISCOPO ET COMITI Lugdu nenſi, Galliarum Primati, Magno Franciæ Eleemoſynario.*

HÆC particula, ex maiori opere decerpta, tuam ambit clientelam, CARDINALIS EMINENTISSIME; quippe aliò ſe conferre, tam abſonum eſſet, quàm ingratum. quem enim appellent irregularitates coërcitæ, niſi Te virtutum omnium normam, & canonem? in quo nata-

lium ſplendor, & ſingularis vitæ integritas, tam inſignia ſunt, vt effingant Præſulem quem optamus; imò & ſupra vota, quò vix aſpirat mortalitas, forment. Quid enim in hac temporum calamitate admirabilius, quàm prodeſſe omnibus, nulli officere; ita de alieno detrahere nihil, vt de tuo augeas; ſic amplecti iuſtitiam, vt honeſtè pecces, Deo, & proximo tam multa tribuens, vt tibi pauca. Iam prudentia, quo vnquam in animo amabilius fulſit, quàm in tuo? Tu difficillimis innexus temporibus, tam alienâ admiſtratione iactatus, quàm tuâ probatus, in ampliſſimarum rerum momentis, ſic Tui fuiſti, ſic euentuum compos, ſic animo admoderatus es rerum ſortem, vt à fratre illo Orbis miraculo non differres alio, quàm quod is poſſet, & vellet, Tu poſſes, & nolles; & inde moderatio tua illuxit Europæ, quem cùm omnia clauo apponerent, hæc vna detraxit, & capacem regiminis regendum præſtitit. Mirentur alij ſplendorem rerum, mortalium oculis illucentium; an non quid maius eſt, circuncidere ambitum, intra ſe magnum eſſe, nihil extrà cupere, illecebroſâ non capi potentiâ, pluriſque ſui regimen facere, quàm Europæ? Sanè infra te eſt quod ſpreuiſti; nec aliud dignum fuit cui intenderes, quàm Tu ipſe. Inde ortum eſt immenſum illud animi robur, quod illibatum proſperis, aduerſa calcauit; quod fugientem mortem laceſſiuit; quod tentamenta

menta fortunæ irriſit, & in procellis aulicis inconcuſſum, tranquillitatem in aliis admirabilitate ſui ſtabiliuit. Nimium ſit perſequi ſingula; ſat mihi fuerit, gratum aliquatenus me præſtare; & cùm humanitati tuæ in dies debeam propè immodica, ea reddere, quæ tametſi leuia, mea ſunt, tributúmque pendere tam ingenij mei, quàm animi; non ideò quòd plura non debeam, cùm quid exſoluero; imò vt plura debeam, Tibi ſi placeam; & humanitati tuæ vectigalis, ſoluendo debitum. verſuram faciam.

EMINENTIÆ TVÆ

Addictiſſimus & humillimus
in Chriſto ſeruus

IOSEPH. GIBALINVS.

Lugduni Kalend. Decembr.
ann. 1651.

Eminentiſſimo
CARDINALI
LVGDVNENSI,
IN LIBRVM P. IOSEPHI GIBALINI de Irregularitatibus

ODE.

PRINCEPS diſertæ flumen Adoreæ
Alphonſe, mentem cui ſapientia
Muſæque finxerunt paratam
Non humiles agitare curas:

Seu rebus imples otia grandibus
Vrbana, totum conſilijs capax
Amplexus orbem, ſeu beato
Prouidus inuigilas ouili,

Seu te ROEI frigus amabile
Claudit receſſus, & gelidum nemus,
Viuique fontes, aut pudicis
Antra tenent celebrata Nymphis.

Accede votis; ingenuo ſuper
Topho reclinem, nec pigeat vago

Laſſata

Laſſata proſpectu dicatis
Lumina detinuiſſe chartis.

Specus iuuabit viſere ſingulas,
Quas hîc repando, fornice circinat
Natiua cautes, dúmque pugnant
Quæque ſibi dominum morari,

Fortè hac quieſces, qua Sapientium
Vultus verendo marmore Phidias
Mentitur, & queis ipſe vitam
Effigie meliore reddis.

Audin' ſonantum murmura fontium,
Quos inquieto pinguis anhelitu
Triton recuſantes ab Alto
Præcipitat, ſtrepitúque ſorbet

Tumultuoſo: dum fluuius ſilens
Procul modeſto voluitur agmine,
Contentus vndis, & iacentes
Lambit Arar taciturnus agros.

In hoc vtroque Alphonſe volumine
Tibi es legendus: PARVA tenet fragor,
Paſſímque vulgus turbulento
Fluctuat ambiguum tumultu;

Tibi quieta pace dedit frui
Virtus, adepti CONSCIA roboris,
CASVSque mortales, & alto
Pectore perdomuiſſe motus

IRREGV

IRREGVLARES. Obſtupuit tuos
Romana MORES purpura, Gallicus
Suſpexit Ordo; noſtra tantis
Muſa minor radiis fatiſcit.

At tu volentes cui Superi dabunt
IOSEPHE certæ lege ſcientiæ
Arcere SVMMAS, atque morum
Socraticos reſerare fontes:

Securus iſto macte ſub Arbitro
Arcana docti pandere dogmatis;
Præcepta quantumuis loquantur,
Plura tamen tacitus docebit.

I. BERTET. S.I.

Ad Lectorem.

EN tibi Lector, delibatam amicorum precibus, aut conuitiis ex ingenti Toto particulam. quippe ex vniuerſi Iuris Canonici noua, & accurata, quam apparamus, lucubratione habes decerptum de irregularitatibus argumentum Breue quidem, & ſi toti componas corpori, digitum dixeris: nec eò tamen reſpuendum, ſi vel ex digito ſtaturam Herculis collegit Empedocles, vel ex vnguiculo Leonem adagium, hoc eſt, ipſa natura deſcribit. Non quidem quòd me Herculem fingam, aut Leonem, ſed eò vt colligam quantum beneuolentiâ tuâ promoueri poſſim; & ſi faues impensè digito, ſperem laborem illum Herculeum, qui ſuperſit, in efformanda corporis mole, tibi gratum futurum aliquando. qui cùm longior ſit, ne ad extremum ſpes tuas protelem, operis aliquot partes identidem repræſentabo; propediem initium facturus ab ampliori tractatu, *Mercurij Lugdunenſis, ſiue de æquitate fori Lugdunenſis*, in quo vſurarum, eius quod intereſt, redditum, cambiorum, contractuum, & commerciorum omnium, totiuſque negotiationis natura euoluta tenebris nouam in lucem prodibit.

Tuam porrò humanitatem ſolemni omnium ſcribentium more interpellare cogor, ne præli currentis, & operarum, aut etiam librariorum, atque amanuenſium errata auctori ipſi tribuas, ſed pro tua æquitate, & eruditione ipſe emendes: aliqua tamen quæ ſententiam aut obſcuram reddere, aut etiam falſam, & meæ menti contrariam poſſent, propter omiſſas, aut immutatas aliquot voces, indicabo. Ordior à præteritis vocibus pag. 21. col. 2. lin. 4. *illud impedire*. l. *non impedire*. p. 45. col. 1. l. 12. *pariet irregularitatem*. l. *non pariet*. p. 122. col. 2. l. 12. *vocetur homo*. l. *non vocetur*. p. 129. col. 2. l. 18. *aliud motiuum legis*. l. *aliud eſſe formalem legis deciſionem, aliud motiuum legis*. p. 152. c. 1. ſub fin. *erit tantùm culpa*, adde, *venialis*. pag. 218. col. 2. l. 21. *à priuata perſona*, adde, *è con-*

trario verò ſi daretur aliquis caſus,in quo priuata perſona poſſet. p.215. col. 2. lin 11. *quando volens.* l. *quando autem volens.* p. 227. col. 2. l. vlt. *cum volitione*, adde *pugnat*. p. 232. c. 1. l. 5. *poſſe*, adde, *interimere*. Simile quid omiſſum fuit ibid. l. 20. p 233. col. 2. l. 24. *rixa cuius.* l. *ratione cuius.* p. 234. c. 1. l. 33 poſt ea verba, *à quo inuaditur*, adde, *diſpiciendum eſt, an is, à quo inuaditur.* p. 203. c. 2. ſub med. *vbi imponit.* l. *vbi ius imponit.* p 320. c. 2. circa med. corruptus eſt omninò locus, qui ſic legendus eſt. *à ſchiſmaticis ordinatos, non impediri quidem Ordinem recipere, ſed Ordinis exequutionem.* Leues alias omiſſiones ipſe quoque, ne moleſtus ſim, prætereo. Mutationes vocum paucas attingo. Neque moneo lib. pro lege, & Turrianum pro Turonenſe, aliaque ſimilia ſcripta fuiſſe, quæ facilè emendabis tum in Græcis, tum in Latinis. Hæc ego indicabo. p. 51. c. 2. l. 14. κένρος. l. κέςρος. p. 88. c. 2. l. 23. θεῶν. l. θεῖον. ibid. l. 7. μοιχιδιεῖσα. l. μοιχιδιεῖον. p. 246. c. 1. l. 3. fin. lege τόσων τὴν χάειν. p. 41. c. 2. ſub fin. *vſus illicitus.* l. *licitus.* p. 147. c. 2. l. 2. *tales actiones.* l. *tales omiſsiones.* p. 169. c. 1. l. 4. *ius illicitum.* l. *opus illicitum.* p. 177. c. 2. l. 8. *facere.* l. *furere.* pag. 239. col. 2 lin. 2. *in bello iuſto.* l. *in bello iniuſto.* p. 241. col. 1. *mutilant.* l. *militant.* ibid. c. 2. *mutilarint.* l. *militarint.* p. 246. c. 1. l. 17. *excidit.* l. *edixit.* p. 268. c. 2. *primus.* l. *ponimus.* p. 272. c. 1. l. 16. *intelligendam* l. *infligendam.* p. 292. c. 1. ſub in. *patrem.* l. *patrono.* p. 307. c. 2. circa med. *afficere.* l. *non afficere.* p. 309. c. 2. circa med. *exercendum.* l. *extendendum.* p. 394. c. 2. l. 10. fin. *nomine.* l. *minimè.* p. 371. c. 2. *vtilem.* l. *vilem.* cætera errata condonabis. VALE, & faue.

APPRO

APPROBATIONES.

NOs infraſcripti in ſacra Theologiæ Pariſienſis facultate Doctores, perlegimus librum ſingularem de Irregularitatibus, & impedimentis Canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, & vſum prohibentibus, editum à multo venerabili Patre IOSEPHO GIBALINO è Societate IESV Theologo, nihilque in eo quod contra fidem, aut bonos mores eſſet reperimus. Datum Lugd. die 2. Decemb. 1651.

F. M. MICARD, *Conuentus S. Bonauenturæ.*

F. FRANCISCVS LORNET, *Ordinis Prædicatorum.*

LICENTIA ORDINARII.

ADeò nota eſt Reuerendi admodum Patris IOSEPHI GIBALINI rerum Canonicarum notitia & pietas, vt quidquid eius inſignitur nomine luculentam ſibi faciat apud omnes probationem, ideo opus quod *de Irregularitatibus*, &c. compoſuit ac digeſſit, nullo alio eget de vera fide probiſque moribus teſtimonio, vt lucem videat ad publicam vtilitatem, quod per nos licet. Lugduni die ſecunda Decembris 1651.

DEVILLE *Prouic. Generalis.*

CONSENSVS.

EGo Procurator Regius in Præfectura Lugdunenſi conſentio, vt liber inſcriptus in Approbatione præmiſſa, à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus excudatur, peculiari licentia ad id ipſis conceſſa. Datum Lugduni die 2. Decembris 1651.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, fiat vt petitur, & ne quis citra conceſſam facultatem denuò excudat hunc librum, prohibemus. Datum Lugduni die 2. Decembris 1651.

SEVE.

é 3

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

EGo infrà ſcriptus Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant: Permitto PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus, vt librum, cui inſcriptio eſt, *De irregularitatibus & impedimentis Canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem & vſum prohibentibus*, Authore P. Ioſepho Gibalin, eiuſdem Societatis Theologo, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 14. Ianuarij anno 1651.

IOANNES GAYETVS.

SYLLABVS

SYLLABVS

Totius Operis de Irregularitatibus, & impedimentis Canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, & vſum prohibentibus.

LIBER SINGVLARIS.

CAP. I. *De natura & diuiſione irregularitatis.* pag. 1

QVÆST. I. *Quid & quotuplex ſit irregularitas.* ibid.

QVÆST. II. *An aliqua irregularitas ſit cenſura.* 3

CAP. II. *De cauſis & effectibus irregularitatis.* 10

QVÆST. I. *De cauſa finali & effectiua irregularitatis.* ibid.

Conſectarium 1. Omnis irregularitas incurritur ipſo facto. 14

Conſectarium 2. Vbi ius non imponit irregularitatem, neque homo illam imponere poterit. 15

Conſectarium 3. Nullæ irregularitates ſunt vnius Epiſcopatus propriæ. ibid.

Conſectarium 4. An irregularitas induci poßit conſuetudine. 16

Conſectarium 5. Argumentum à ſimili non valet in irregularitatibus. 17

Conſectarium 6. An in dubio iuris incurratur irregularitas. 18

QVÆST. II. *De cauſa formali, materiali, & ſubiectiua irregularitatis.* 19

QVÆST. III. *De effectibus irregularitatis.* 23

Conſectarium 1. An irregularis peccet, & quas pœnas incurrat ſuſci-

piendo, aut exercendo Ordines. 34
Conſectarium 2. An irregularis poſsit ſuſcipere Sacramenta. ibid.
Conſectarium 3. An irregularis poſſit abſoluere ſacramentaliter. ibid.
Conſectarium 4. An irregularis poſsit adminiſtrare ſuum Beneficium, eiuſque fructus percipere. 36
Conſectarium 5. An irregularis poſsit renuntiare ſuo beneficio, in fauorem alterius, & an teneatur illud dimittere. ibid.
Conſectarium 6. An irregularis retineat ius electionis. 37
Conſectarium 7. Quid poſsit Parochus irregularis. ibid.

CAPVT III.

De Irregularitate ex defectu inculpabili. ibid.

QVÆSTIO I. *De irregularitate ex defectu natalium.* 38
QVÆSTIO II. *De irregularitate ex defectibus corporis.* 42
Conſectarium 1. An carens viſu, vel oculo ſit irregularis. 48
Conſectarium 2. Quænam faciei deformitas faciat irregularem. 49
Conſectarium 3. Quanam carentia, aut vitium cæterorum membrorum, aut ſenſuum faciat irregularem. 50
Conſectarium 4. An Eunuchi ſint irregulares. 51
Conſectarium 5. An monſtroſi ſint irregulares. 56
Conſectarium 6. An Hermaphroditi ſint irregulares. 57
Conſectarium 7. Quinam morbi inducant irregularitatem. 59
Conſectarium 8. An Epileptici ſint irregulares. 60
Conſectarium 9. An Dæmoniaci ſint irregulares. 63
QVÆSTIO III. *De irregularitate ex defectibus animi.* 65
Conſectarium vnicum, an irregularitas ex illiteratura ſit diſpenſabilis. 69
QVÆSTIO IV. *De Irregularitate ex defectu Sacramenti, ſiue ex Bigamia.* 73
Conſectarium 1. An qui plura contraxit ſponſalia ſubſecuta copula ſit Bigamus & irregularis. 98
Conſectarium 2. An vir qui cum pluribus etiam viduis, aut maritatis fuit ſcortatus, aut adulteratus, fiat irregularis. ibid.
Conſectarium 3. An qui comperit ſuam vxorem non fuiſſe virginem ſit irregularis. 99
Conſectarium 4. An qui priùs à ſe deuirginatam ducit, ſit irregularis. ibid.

Conſectarium 5. *An maritus cognoſcens vxorem vt oppreſſam ab adultero, ſit irregularis.* 100

Conſectarium 6. *An vir, qui pendente lite de adulterio vxoris, illam iubente iudice cognouit, ſit irregularis.* ibid.

Conſectarium 7. *An vir recipiens vxorem, quæ ex fama mortis ipſius, alteri nupſerat ſiat irregularis.* ibid.

Conſectarium 8. *An qui poſt adulterium vxoris, illi fuit reconciliatus, fiat irregularis.* 101

Conſectarium 9. *An ducens vxorem ab alio viro relictam propter matrimonij nullitatem ſit irregularis.* ibid.

Conſectarium 10. *An contrahens cum Moniali profeſſa ſit Bigamus & irregularis.* 102

Conſectarium 11. *An qui duxit puellam, quæ primo maritali congreſſu euaſit in virum, fiat irregularis ſi tranſeat ad ſecundas nuptias.* ibid.

QVÆSTIO V. *De irregularitate ex defectu libertatis.* ibid

CAPVT IV.

De Irregularitate ex homicidio. 109

QVÆSTIO I. *De irregularitate ex homicidio voluntario.* 110

Conſectarium 1. *An qui mutilat cadauer, ſit irregularis.* 122

Conſectarium 2. *An qui cauſauit abortum, ſit irregularis.* ibid.

Conſectarium 3. *An in dubio commiſſi homicidij, cenſendus ſit aliquis irregularis.* 124

Conſectarium 4. *Qualis ſit irregularitas ex homicidio dubio contracta.* 130

Conſectarium 5. *An ex dubia mutilatione contrahatur irregularitas.* 131

Conſectarium 6. *An qui dubitat vtrum occiderit in bello iuſto, ſit irregularis.* ibid.

Conſectarium 7. *An qui abortum procurauit, ſit irregularis quando dubitatur an fœtus fuerit animatus.* 132

Conſectarium 8. *Quis ſit irregularis quando plus eundem coniunctim aggrediuntur, & dubitatur quis ipſum occiderit.* ibid.

Conſectarium 9. *Quis fiat irregularis quando plures eundem percutiunt diuiſim, maximè ſi dubitetur, quis lethaliter percuſſerit.* 135

Conſectarium 10. *An ſit irregularis, qui alium vulnerauit, qui tamen alio caſu extinctus eſt.* 136

Conſectarium

Conſectarium 11. *An qui dubitat an ſuum conſilium, aut mandatum influxerit in homicidium, fiat irregularis.* 139

Conſectarium 12. *An ſit irregularis, qui non potuit diſſuadere fœminæ abortum, cuius ipſi fuerat author.* 140

Conſectarium 13. *An non impediens homicidium, ſit irregularis.* 141

Conſectarium 14. *Solutio ſingularum difficultatum ex regula ſuperiùs allata.* 150

Conſectarium 15. *An ratihabitio homicidij, aut mutilationis, faciat irregularem.* 155

Conſectarium 16. *An qui digitos abſcindit, oculum eruit, dentem excutit, auriculas truncat, labra mordet, capillos euellit, fiat irregularis, & quid de quibuſdam aliis partibus ſentiendum ſit.* 157

QVÆSTIO II. *De irregularitate ex homicidio caſuali & indirectè voluntario.* 158

Conſectarium 1. *Intellectus aliquot capitum Tituli de homicidio.* 373

Conſectarium 2. *An infans, dormiens, ebrius, furioſus, aliique ſimiles fiant irregulares occidendo.* 176

Conſectarium 3. *An adulter fiat irregularis, ſi maritus vxorem occiderit propter illud adulterium.* 178

Conſectarium 4. *An qui alteri renuntiauit acceptam iniuriam, ſi ille occidat eum, à quo læſus fuit, fiat irregularis.* 179

Conſectarium 5. *An ſit irregularis, qui potionem amatoriam propinat, ex qua mors eam bibentis, ſequuta fuit.* 180

Conſectarium 6. *An qui cauſam dedit aborſui fœtus inanimati, ſit irregularis, ſi mater inde pereat.* 181

Conſectarium 7. *An qui conſulit, vel mandat alteri duellum, aut vltionem iniuriæ, aut alterius cædem, ſit irregularis, ſi is, cui mandatum, aut conſilium dedit, occidatur.* ibid.

Conſectarium 8. *Soluuntur caſus alij ſingulares ex doctrina tradita.* 183

Conſectarium 9. *Quænam cooperatio ad homicidium pariat irregularitatem.* 184

Conſectarium 10. *Soluuntur ſingulares caſus ex doctrina ſuperioris conſectarij.* 187

Conſectarium 11. *Quomodo & quando Medici, chirurgi, & curam infirmorum habentes, incurrant irreguaritatem.* 191

Conſectarium 12. *Quandónam ex venatione contrahitur homicidij irregularitas.* 200

Conſectarium

Conſectarium 13. *Quandonam ex ludo, ex quo fuit ſequuta cædes, contrahatur irregularitas.* 201
Conſect. 14. *Expenduntur alij ſingulares euentus, in quibus dubitari poteſt, an ex homicidio caſuali contracta fuerit irregularitas.* 203
QVÆSTIO III. *De irregularitate ex defectu lenitatis propter iuſtam cædem, aut mutilationem.* 206
Conſ. 1. *An ſit vera communis regula ex homicidio licito priuata authoritate commiſſo nunquam incurri irregularitatem, quæ tamen ex eodem homicidio publica authoritate commiſſo incurritur.* 217
Conſectarium 2. *An iuſtè occidens alium ad ſui & rerum ſuarum defenſionem fiat irregularis.* 218
Conſectarium 3. *Explicantur ſingulares difficultates ex priori conſectario circa irregularitatem ex occiſione in ſui, rerumque ſuarum defenſionem facta.* 220
Conſectarium 4. *An qui propria culpa ſe coniecit in neceſſitatem occidendi alium, vt ſe tueatur, ſit irregularis occidendo.* 232
Conſectarium 5. *Explicantur ſingulæ difficultates ex priori conſectario deductæ.* 235
Conſ 6. *Quandonam milites pugnantes contrahant irregularitatem.* 239
Conſectarium 7. *Quandonam contrahatur irregularitas ex iudicio ſequuta Rei morte, aut mutilatione.* 257

CAPVT V.

De Irregularitate ex aliis delictis. 296

QVÆSTIO I. *De irregularitate, quæ ex prauo vſu Sacramentorum contrahitur.* 299
Conſ. 1. *An ignoranter rebaptizatus, aut rebaptizans ſit irregularis.* 310
Conſectarium 2. *An qui ſcit ſe fuiſſe rebaptizatum fiat irregularis ſi ratum habeat Baptiſma.* 311
Conſectarium. 3. *An ex ficta iteratione Baptiſmi contrahatur irregularitas, & an qui metu coactus rebaptizat, ſit irregularis.* ibid.
Conſectarium 4. *An rebaptizatio ſub conditione faciat irregularem.* 312
Conſectarium 5. *An ex iteratione aliorum Sacramentorum ſequatur irregularitas* 313
Dubium 1. *An baptizatus ab hæretico ſit irregularis.* 314
Dubium 2. *An fictè baptizatus, aut in articulo mortis ſit irregularis.* ibid.

Dubium 3. *An ſuſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui, ſit irregularis.* 316
Dubium 4. *An ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, hæretico, degradato, &c. ſit irregularis.* 319
Dubium 5. *An ordinatus ab alieno Epiſcopo, aut ante legitimam ætatem, aut ſtatuta tempora, aut non ſeruatis interſtitiis, ſit irregularis.* 322
Dubium 6. *An qui per fallaciam, aut ante Confirmationem, aut alio modo furtiuo ſuſcipit Ordines, ſit irregularis.* 323
Conſectarium 1. *An laïcus vſurpans Ordinem ſacrum, fiat irregularis.* 327
Conſectarium 2. *An clericus adminiſtrans Sacramenta ſine Ordine neceſſario, ſit irregularis.* 328
Conſectarium 3. *An per ſaltum promotus, fiat irregularis exercendo actum Ordinis omiſſi.* 330
Conſectarium 4. *An ſimplex clericus exercens actus minorum Ordinum ſit irregularis.* 331
Conſectarium 5. *An clericus non ordinatus exercens ea, quæ ſunt iuriſdictionis, fiat irregularis.* 332
Conſectarium 6. *An miniſtrans in Ordine, quem cum aliquo defectu ſuſcepit, fiat irregularis.* ibid.
QVÆSTIO II. *De irregularitate ex violatione cenſuræ contracta.* 335
Conſectarium 1. *An excommunicatus minori excommunicatione celebrans incurrat irregularitatem.* 341
Conſectarium 2. *An excommunicatus ſuſcipiens Ordines, fiat irregularis.* ibid.
Conſectarium 3. *An ſuſpenſus ab aliquo Ordine, fiat irregularis ſi promoueatur ad ſuperiorem.* 343
Conſectarium 4. *An qui incurrit ſuſpenſionem ex ſua ordinatione, fiat irregularis propter actum Ordinis, quem in illa ordinatione miniſtrat.* ibid.
Conſectarium 5. *An illo ipſo actu, quo incurritur cenſura, ſimul illa violetur aliquando, & incurratur irregularitas.* 344
Conſectarium 6. *An incurratur irregularitas ex violatione cenſuræ per actus Ordinis nullum, aut fictum.* 347
Conſect. 7. *An quando clericus concurrit ad aliquod Sacramentum, quod ipſe non conficit, fiat irregularis propter violationem cenſuræ.* 350
Conſ. 8. *An incurratur irregularitas, quando fit actus Ordinis, qui ſecundùm ſuam ſubſtantiam non eſt prohibitus per cenſuram, ſed tantùm*

ſecundùm modum accidentalem Ordinis. 351
Conſectarium 9. An incurratur irregularitas ex omiſſione vnius tantum conditionis in cap. Alma Mater præſcriptæ. 353
Conſect. 10. An qui exercet ſolemnia alicuius actus, & non ipſum actum per cenſuram prohibitum, ſit irregularis. 355
Conſectarium 11. An celebrans coram excommunicato, vel interdicto, ſit irregularis. ibid.
Conſectarium 12. An excommunicatus vel interdictus, qui ſe præſente celebrare cogit, inducat irregularitatem. 357
Conſectarium 13. An qui miniſtrat Sacramentum aliquod excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis. 359
Conſectarium 14. Actus iuriſdictionis contra cenſuræ prohibitionem facti, non pariunt irregularitatem. 360
Conſectarium 15. Enumeratio ſingularum quarundam actionum, quæ contra prohibitionem cenſuræ factæ, pariunt irregularitatem. ibid.
Conſ. 16. An violatio ceſſationis à Diuinis, inducat irregularitatem. 361
QVÆST. III. *De irregularitate contracta ex aliis delictis.* 362
Dubium 1. An hæreſis faciat irregularem. ibid.
Dubium 2. An ſchiſmatici ſint irregulares. 368
Dubium 3. An ſimonia pariat irregularitatem. 369
Dubium 4. An ſacrilegium & peccata contra religionem faciant irregularem. ibid.
Conſectarium vnicum. Enumerantur peccata, quibus eſt annexa irregularitas. 370
QVÆST IV. *De irregularitate orta ex infamia.* ibid.
Conſectarium 1. An infamia iuris & irregularitas eam conſequens, contrahatur ex peccato occulto. 384
Conſectarium 2. An fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum, ſint infames & irregulares. 386
Conſect. 3. An filÿ hæreticorum, eorumque fautorum, ſint irregulares. 388
Conſectarium 4. An ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares. 390
Conſectarium 5. An ficte apoſtatans à fide ſit irregularis. 391
Conſectarium 6. An crimen enorme & depoſitione dignum, vbi notorium fuerit, faciat irregularem. 392
Conſectarium 7. An clericus ſodomita & concubinarius, ſit irregularis. 395
Conſectarium 8. An incarceratus & accuſatus de aliquo crimine, ſit irregularis. 399
Conſectarium 9. An pœnitentia ſolemnis faciat irregularem. ibid.

CAPVT VI.

De modis tollendi Irregularitatem. 400

QVÆST. I. *An ceſſante cauſa irregularitatis, ceſſet irregularitas.* ibid.
Conſectarium 1. *An expiato crimine, ceſſet irregularitas ipſi impoſita.* 403
Conſectarium 2. *An irregularitas contracta ex hæreſi tollatur per conuerſionem hæretici.* ibid.
Conſectarium 3. *An ceſſante infamia, ceſſet irregularitas ex illa nata.* 404
Conſectarium 4. *An poteſtas laica poſſit tollere irregularitatem.* 405
Conſectarium 5. *An legitimatus deſinat eſſe irregularis.* ibid.
Conſectarium 6 *An abrogatio legis ferentis irregularitatem, eam prius contractam tollat.* ibid.
QVÆSTIO II. *Quænam irregularitas tollatur per Baptiſmum.* 407
Conſectarium 1. *An irregularitas homicidij tollatur per Baptiſmum.* 408
Conſectarium 2. *An irregularitas ex infamia iuris tollatur per Baptiſmum.* 409
Conſectarium 3. *An irregularitas ex bigamia tollatur per Baptiſmum.* 411
Conſectarium 4. *An irregularitas ex defectu lenitatis tollatur per Baptiſmum.* 414
QVÆSTIO III. *An Profeſsio religioſa deleat irregularitatem.* 415
Conſectarium 1. *An per quemlibet ingreſſum religionis tollatur irregularitaas illegitimitatis.* 417
Conſectarium 2. *An irregularitas illegitimitatis per ingreſſum religionis extincta reuiuiſcat aliquando.* 419
Conſect. 3. *An illegitimus factus religioſus, poſsit licitè vti Ordinibus ante religionem illicitè ſuſceptis.* 420
Conſectarium 4. *An Religioſus illegitimus egeat diſpenſatione ad obtinendas Prælaturas.* 421
Conſectarium 5. *An illegitimi Religioſi poſsint obtinere beneficium abſque noua natalium diſpenſatione.* ibid.
Conſectarium 6. *An Religioſa impediatur ex natalium defectu, ne in Abbatiſſam, aut Prioriſſam eligi poſsit.* 423
QVÆSTIO IV. *De diſpenſatione irregularitatis.* 424
QVÆSTIO V. *An qui ex facultate generali poteſt abſoluere à cenſuris, poſsit quoque diſpenſare in irregularitate pœnali.* 426

DE

DE

IRREGVLARITATIBVS
& impedimentis Canonicis,

SACRORVM ORDINVM
SVSCEPTIONEM,
& vſum prohibentibus,

LIBER SINGVLARIS.

CVm ad Principis Auguſtale non omnibus promiſcuè pateat aditus, tamque ſublime dignitatum faſtigium exploret homines quos admittit: multò magis ſacrorum maieſtas, & religionis ſplendor cum ad Dei maximi cultum pertineat, in iis quos ad tantum apicem euehit delectum adhibet, nec ſui participatione indigna capita cohoneſtat. Sunt igitur quædam vel à natura vel à culpa labes, quæ vt olim victimas ab cultro arcebant, ita nunc ab altaribus miniſtros repellunt. De quibus vt conſtet, ſit,

CAPVT PRIMVM.

De natura & diuiſione irregularitatis.

Quæſtio prima, quid & quotuplex ſit irregularitas.
Quæſtio ſecunda, an aliqua irregularitas ſit Cenſura.

DARI aliquam irregularitatem ſatis conſtabit ex eius definitione, neque vllus dubitare poteſt; quare in eius exiſtentia probanda non placet diutiùs immorari. Venio ad eius naturam & definitionem.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex ſit irregularitas.

Definitio irregularitatis. n. 1.
Diuiſio irregularitatis. n. 2.

IRREGVLARITAS eſt impedimentum Canonicum per ſe impediens ordinis ſacri ſuſceptionem, & ſecundariò eiuſdem vſum. Quam definitionem probant omnes paſſim Theologi & Canoniſtæ, & coincidit cum aliis quas congerit lib. 1. de irregularit. c. 1. Maiol. Clariùs autem deſcribi poſſet. Moralis quædam incapacitas & inhabilitas ad ordinem ſacrum ſuſcipiendum, aut ſi iam ſuſceptus fuerit, exercendum propter aliquam maculam & indecentiam ex culpa aut quopiam alio defectu contractam; Exiſtimauit enim Eccleſia ſanctitati maieſtatique miniſteriorum ad quæ Ordinibus initiati deputantur, ea ratione ſe conſulturam, ſi ab eis arceret, quos turpis aliqua eiuſmodi macula aut defectus notaret.

Vocem *impedimenti* loco generis vſurpaui, quia etiam cenſura, & quilibet defectus naturalis, vt cæcitas eſt impedimentum; non dixi autem pœnam aut cenſuram, quia ſunt plures irregularitates, quæ cùm non proueniant ex aliquo delicto, pœnæ, neque conſequenter cenſuræ eſſe poſſunt; tradenda autem fuerat vniuerſalis doctrina, quæ omnes irregularitates comprehenderet, quandoquidem omnes habent eundem effectum, & parùm omninò refert ſiue oriantur ex culpa, ſiue ex alio quopiam inculpabili defectu, ſiue pœnæ ſint, ſiue quædam duntaxat inhabilitates & incapacitates morales, cum eandem ſemper naturam ſpecificam retineant, quæ in his formis præſertim moralibus ex effectibus, quos producunt, & ad quos excogitatæ ſunt, maximè petenda eſt.

Appellaui impedimentum Canonicum, vt diſtinguerem ab impedimentis quæ iure diuino aut etiam naturali poſita ſunt: nam infidelis non baptizatus, & fœmina, atque etiam membris omnibus captus & truncus arceantur ab Ordinibus, neque tamen verè dicuntur irregulares; irregularitas enim iure Eccleſiaſtico inducta fuit; eaque de cauſa, qui non habent eas dotes, quas ſacri Ordines requirunt, quorum alioquin ſpectato ſolo iure diuino capaces eſſent, dicuntur irregulares, cùm contra Regulas ſacras initiandi ſint, ſi initientur. Ita diſſerit Maiol. cap. 1. cir. circa vulgatum iſtud nomen; de quo etiam vide Couarr. in Clem. ſi furioſus. initio, &

& alios laudatos ab Henriq.lib.14. cap.1.num.1.littera D. & ſeq. Sayr. lib.6. Theſauri, cap.1. & alios.

Reliquæ particulæ ſunt loco differentiæ, vt irregularitas à Cenſuris, & aliis impedimentis etiam Canonicis diſtinguatur; excommunicatio enim impedit Ordinis ſuſceptionem, ſed nonniſi quatenus eſt quædam cum fidelibus communicatio; ſuſpenſio verò priuat ordinis vſu, non ſuſceptione cùm illum ſupponat, atque ita de cæteris.

QVÆSTIO II.

An aliqua irregularitas ſit Cenſura.

Status quæſtionis & ſententia affirmans.n.1.
Sententia communis negans.n.2.
Confutatio communis ſententiæ. n.3.4.5.6.& 7.

1. DIVIDITVR Irregularitas primò in eam, quæ incurritur ante ſuſceptionem Ordinis, & eam quæ homini iam initiato aduenit; ſed malè,cùm inde non mutetur natura aut proprietas Irregularitatis; vtraque enim ex ſe & primariò impedit ſuſceptionem Ordinis, quod quia non poteſt, quando iam fuit Ordo ſuſceptus,eius exercitium impedit, vt contingit in impedimento affinitatis dirimente matrimonium, quod ſi accedat matrimonio prius contracto,illius vſum illicitum reddit, cùm matrimonium ſemel initum ſolui non poſſit.

Secundò diuiditur in totalem & partialem. Totalis priuat ſuſceptione Ordinum eorúmque exercitio: Partialis priuat ſolo vſu vel in toto vel ex parte, v.gr. homicidium patratum ab ordinato prohibet ab omnium ordinum actionibus; mutilatio verò priuat tantùm vſu illius ordinis, qui cum tali defectu conſiſtere nequit.

Tertiò diuiditur in perpetuam & temporalem, perpetua ſola diſpenſatione tollitur, temporalis lapſu temporis ceſſat,defectus enim ætatis adueniente ætate tollitur.

Quartò diuiditur in eam, quæ ex delicto, & eam quæ ex alio quopiam defectu naſcitur; faciunt alij triplicem eam diuiſionem, addunt enim tertiam Irregularitatem ex Sacramento; triplex enim cauſa rationabilis & iuſta eſſe poteſt, cur Eccleſia prohibeat aliquem ab vſu,aut ſuſceptione Ordinum; Prima quod talis ſit omninò ineptus ad ea miniſteria: Secunda quod cæteri offendantur talem miniſtrum publicum ab Eccleſia adhiberi. Tertia quod eius crimina eam pœnam mereantur.Irregularitas orta ex prima cauſa dicitur defectus: ſecunda dicitur Sacramenti: tertia ſceleris ſiue delicti,dici etiam poſſent incapacitatis, indecentiæ & ſceleris, quæ ſingulæ ſpecies plures alias ſubalternas continent, quas ſuo loco explicabimus.

CONTROVERSIA eſt de irregularitate, quæ contrahitur ex delicto, cùm enim illa, quæ ex ſolo quodam defectu ſiue animæ, ſiue corporis incurritur, non ſit pœna, vt patet,illa enim ſupponit neceſſario & eſſentialiter culpam, non poteſt etiam ſortiri rationem cenſuræ, quam lib. de cenſur. diximus eſſe pœnam.

Irregularitatem igitur ex delicto cenſuram eſſe affirmat Soto in quarto d.22.q.3. art. 1. cui alij quoque

Thomiſtæ Ban. 2. 2. q. 64. art. 8. Aragon ibid. in eand. q. & art. Medina in Sum. l. 1. §. 9. de Irregularit. & apud ipſos Canus, Ledeſma in ſumma de cenſur. cap. 1. ſubſcribunt, eò quod nihil deſit huic irregularitati ad rationem cenſuræ, cùm verè pœna ſit inflicta propter crimen, & priuet tum vſu, tum poteſtate bonorum ſpiritualium.

2. Contraria ſententia communiſſima eſt, eam enim docent Suar. Tom. 5. in 3. part. diſp. 1. ſect. 3. Alter. lib. 1. de cenſur. cap. 2. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 1. Sylu. V. Cenſura Nauarr. c. 27. num. 152. Henriq. lib. de Indulgent. cap. 13. §. 6. & lib. 1 ;. cap. 2. & lib. 14. cap. 1. & reliqui deinceps Theologi recentiores, Kon. Hurtad. Layman. Ferdinand. Villalob. Sayr. quibus præiuerant magno conſenſu Canoniſtæ in cap. Quærenti. de verbor. ſignificat. vbi Innocentius rogatus quid nomine cenſuræ intelligatur in litteris Pontificiis, reſpondet excommunicationem, ſuſpenſionem & interdictum ea voce ſignificari, quæ reſponſio inanis profectò eſſet, ſi omnem propriè dictam cenſuram non comprehenderet, quia non traderet regulam ſufficientem & vniuerſalem ad intelligenda reſcripta Pontificum, vti rogabatur, quando enim Pontifex ſuo diplomate facit alicui facultatem ferendi aut tollendi cenſuras, poſſet id quiſpiam interpretari de ipſa quoque Irregularitate aut degradatione, ſi cenſuræ vox in ſua propria ſignificatione etiam ad has pœnas extendatur. Quare cum Innocent. reſpondet eſſe ea voce intelligendam excommunicationem, ſuſpenſionem & interdictum, inſufficienter omninò reſpondet, aut eius reſponſio negatiuam propoſitionem includit, ita vt neget vllam aliam pœnam Eccleſiaſticam eo nomine deſignari; Quare etiamſi daremus Irregularitatem pœnam aliquam eſſe, non tamen inter cenſuras numerari poſſet, cùm ex Innocentij mente nunquam ea voce deſignetur in iure aut reſcriptis Pontificiis; vnde tota natura cenſuræ eiuſque ſignificationis amplitudo ſumenda eſt, cùm ſit quidpiam ex Pontificia authoritate deriuatum & inſtitutum, vt dicam inferius. Quod verò aliquando Irregularitas etiam in iure nominetur ſuſpenſio, quæ eſt ſpecies quædam cenſuræ, non iuuat aduerſarios, quia ſuſpenſionis vox latius interdum vſurpatur, & quamlibet prohibitionem actus alicuius Officij etiam temporalis ſignificat, vt impedimentum vtendi aliquo temporali in extrauagante vnic. Ioannis XXII. de ſentent. excommunic. aliàs ſignificat interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ cap. 1. de ſentent. excommunic. in 6. aliáque ſimilia de quibus conſule Sayr. lib. 4. Theſaur. cap. 1. Hanc prætereà diſtinctionem Irregularitatis à cenſura pluribus oſtendunt laudati DD. nam primò Irregularitas impedit dumtaxat ab ordine ſuſcipiendo, aut exercendo, cenſuræ verò à pluribus aliis prohibent. Secundò cenſuræ pariunt irregularitatem cum vna irregularitas aliam non generet, imò neque vllam pœnam. Tertiò: Omnis Irregularitas eſt à iure, nulla ab homine, cùm tamen cenſuræ ſæpiùs ferantur ab homine: quartò cenſura tollitur abſolutione, Irregularitas diſpenſatione: quintò in bullis Pontificiis, in quibus agitur de abſolutione à cenſuris ſemper diſtinguitur cenſura ab Irregularitate, cuius diſpenſatio reſeruatur:

ſeruatur: ſextò imò ne quidem Irregularitas pœna eſt. Etiamſi enim poſſet Eccleſia crimen aliquod Irregularitate punire, id tamen non facit, neque in vindictam culpæ Irregularitatem induxit, ſed vt conſuleret ſanctitati Sacramentorum, à quorum tractatione prohibere quorundam criminum Reos, viſum fuit Religionis maieſtati conſentaneum. Septimò denique, quamuis hanc Irregularitatis ſpeciem daremus eſſe pœnam Eccleſiaſticam, non tamen inde ſtatim ſequeretur illam quoque eſſe cenſuram, cum non ſit pœna medicinalis, quæ vnam rei vtilitatem & emendationem ſpectat, ac proinde eo reſipiſcente tolli debeat neque ex ſua natura perpetua ſit, nam Irregularitas etiam emendato peccatore manet, cùm enim oriatur ex indecentia quadam morali ex delicto contracta, ratione cuius redditur homo incapax, qui ad ſacra miniſteria euehatur, & eiuſmodi indecentia moralis maneat non tantùm præſente peccato, ſed etiam præterito & prorſus abolito, incapacitatem quoque ex ea indecentia reſultantem manere neceſſe eſt.

3 Hæ tamen omnes aliæque rationes, quas paſſim congerunt authores in Sotum parùm mihi videntur efficaces; nam priores illæ diſcrimen dumtaxat materiale inter cenſuras & Irregularitatem oſtendunt, quanquàm ſi quod maius diſcrimen, & quaſi formale eſſet, non aliud probaret, quam Irregularitatem eſſe nouam ſpeciem cenſuræ ab aliis vulgatis diſtinctam, quod Thomiſtæ contendunt; oportet itaque rationem genericam cenſuræ ab Irregularitate excludere, vt ſub illa tanquam ſpecies ſub genere contineri non poſſit, quod profectò non faciunt, quæ primo loco ſunt adductæ, quod enim Irregularitas non priuet niſi ab Ordine, & aliæ cenſuræ multò plura prohibeant, pertinet ad effectum materialem, quem aliquæ cenſuræ habent aliis ampliorem, neque enim ſuſpenſio eadem efficit, quæ excommunicatio, alioquin non eſſent diuerſæ cenſuræ, ſed vna eadémque, quod autem Irregularitas ab homine ferri nequeat, ſed à ſolo iure, non oritur ex natura Irregularitatis, ſed quia propter grauiſſimas cauſas, de quibus inferiùs diſquiram, viſum eſt Pontifici Summo reſeruandam eſſe eius pœnæ impoſitionem; idcircò prohibitum eſt aliis inferioribus illam infligere; ac proinde nullam aliam Irregularitatem, quàm quæ iure reperitur expreſſa, habendam eſſe; alioquin attenta natura huius pœnę & iuriſdictionis Epiſcoporum potuiſſent illi, poſséntque hodie eam infligere, ſed à ſuperiori poteſtate prohibiti ſunt.

Dicebant ſecundò: Irregularitatem tolli ſola diſpenſatione, atque adeò in bullis Pontificiis diſtingui à cæteris cenſuris, quæ tolluntur abſolutione & conceſſa facultate abſoluendi à cenſuris, non concedi facultatem diſpenſandi in Irregularitate ſed potiùs reſeruari, quæ parùm efficaciter afferuntur, nam imprimis Irregularitas de qua agitur, abſolutione quoque tolli poteſt, & quoties in conceſſione generali abſoluendi à cenſuris, cenſuræ vox in ſua vniuerſali, propria tamen ſignificatione ſumitur, quod colligitur ex variis adiunctis, datur quoque facultas abſoluendi ab hac Irregularitate, vt contendunt Thomiſtæ, & quamuis diſpenſatione tantùm tolleretur hæc cenſura, ea leuis pro-

fecto, & accidentalis differentia foret; cùm enim Irregularitas ſit inhabilitas quædam & incapacitas, non poteſt tolli niſi reddendo habilitatem & capacitatem donando, quod non fit, vt patet, abſolutione quę circa vincula ſoluenda occupatur.

Quare cùm hæ pœnæ & cenſuræ differant in eo, quod aliquæ ſint vincula & nodi, aliæ incapacitates & defectus, longè etiam diuerſo modo eas tolli neceſſe eſt, & quod inde conſequitur conceſſa facultate tollendi vnam ex his pœnis & cenſuris non concedi facultatem eximendi ab alia, reſeruarique paſſim diſpenſationem irregularitatis, quia longè maius eſt ipſam capacitatem & poteſtatem, qua priuatus eſt irregularis quodammodo redonare, quàm ſolum poteſtatis iam acquiſitæ vſum, quo prohibetur innodatus aliis cenſuris liberum permittere. Docendum verò eſſet ad efficacitatem huius rationis de natura & ratione cenſuræ eſſe non priuare poteſtate, ſed ſolo vſu & tolli abſolutione non autem diſpenſatione: cur enim non dabuntur aliquæ cenſuræ priuantes capacitate, aliæ exercitio, cur quædam non ceſſabunt abſolutione, aliæ diſpenſatione; quanquàm, vt iam monui, & iterum dicam inferius, abſolutio propriè vſurpetur circa has pœnas & irregularitates, & denique cur quædam ferri non poſſunt per modum vinculi, aliæ per modum incapacitatis.

Quod præterea addebant aduerſarij, cenſuram parere aliquando irregularitatem. cùm irregularitas non generet aliam irregularitatem, mirum non eſt, nam vni pœnæ altera addi poteſt, & cum violatione Cenſuræ, incurratur aliqua indecentia moralis quæ eſt fundamentum incapacitatis ad Ordines, ipſam quoque incapacitatem & irregularitatem inde oriri neceſſe fuerit, & cùm cenſuræ vulgares priuent tantùm vſu ſpiritualium, poſſunt adhuc, qui illis innodati ſunt, priuari capacitate ſiue poteſtate per nouam cenſuram, cuius proinde capaces ſunt; cui autem funditus periit poteſtas & capacitas, non poteſt rurſum illam amittere, quamuis, quia, tota iſta res merè moralis eſt, poſſit ea incapacitas ex diuerſis variiſque indecentiis moralibus proficiſci, atque ita vnus idemque ex variis diuerſiſque defectibus tum moralibus & culpabilibus, tum naturalibus, & abſque eius ſcelere reddi irregularis. Ex quibus quoque ſoluitur, quod obiiciunt, omnes irregularitates habere eandem rationem genericam, cùm tamen non poſſint omnes eſſe cenſuræ & pœnæ. Reſpondeo enim omnes quoque contineri ſub genere impedimenti Canonici, diſtingui deinde in diuerſas ſpecies, ita vt aliud ſit impedimentum pœnale, aliud non pœnale: deinde cum formæ morales ſæpè varientur ex diuerſo reſpectu aut connotatione, indecentia quæ oritur ex culpa, diuerſa eſt ab ea, quæ ex alio quopiam defectu naſcitur; quare incapacitas reſultans ex indecentia culpabili, longè diuerſa erit ab ea, quæ aliunde oritur, quamuis quoad effectum reddendi incapaces, conueniant, ſicut etiamſi lumina ſyderum & ſolis, ſint diuerſæ ſpeciei, vt quidam Philoſophi voluerunt, & ſingula ſuo receſſu ab aëre reddant illum tenebroſum, ſolent tamen dici tenebræ eſſe eiuſdem rationis & ſpeciei, licet diuerſitas priuationum ſumatur à diuerſitate formarum

marum oppoſitarum, & tenebræ natæ ex priuatione luminis Martis, ſint diuerſæ ſpeciei ab his quæ oriũtur ex priuatione luminis Veneris, ſed quia ſingula eundem effectum phyſicum producunt, non attenditur iſta diuerſitas ſpecifica inter tenebras & priuationes diuerſorum luminum, quod multò facilius contingit in priuationibus moralibus quando ex illis reſultat idem effectus. Incapacitas itaque ex variis cauſis orta diuerſa eſt, vna tamen dicitur, quia vnde vnde oriatur, idẽ in ſuo ſubiecto præſtat; quare non licet ex formis phyſicis argumentari, quæ eiuſdem ſunt rationis, à quocunque producantur, vt videmus in calore producto ab igne & à ſole, quia iſtæ formæ propriam naturam & eſſentiam habent, quam non accipiunt à cauſis productiuis, ſed ſuam tantùm exiſtentiam, non verò formæ morales quæ ſuam eſſentiam capiunt à variis reſpectibus & connotationibus, ex quarum proinde diuerſitate variantur.

4. RESTANT duæ vltimæ rationes, quæ efficacius vrgent, caput enim difficultatis attingunt, & rationem pœnæ ac Cenſuræ cum irregularitate pugnare oſtendunt; pœnæ quidem, quia in irregularitate imponenda attenditur duntaxat dignitas & ſanctitas ſacri miniſterij, ad quod non decet aſſumere eos qui turpem aliquam maculam ex homicidio & quibuſdam aliis delictis contraxerunt, quæ expiato etiam peccato ſatis elui non poteſt; in pœnis autem ſpectatur punitio criminis. Reſpondeo nihilominus punitionem criminũ ex variis motiuis aſcititiis præter illud, quod relucet in honeſtate iuſtitiæ vindicis, exerceri, & tamen verè punitionem eſſe, quod in cæterarum quoque virtutum actibus ferè perpetuum eſt, ſæpiùs enim imperantur ab alia virtute, ab alia eliciuntur, atque ita duplici donantur honeſtate, vna veluti natiua & domeſtica, ex proprio obiecto, altera aſcititia ex fine, quem ſibi ponit operans, & in quem totum illum actum virtutis refert, vti 1. 2. fuit copioſè expoſitum; ſic eleemoſyna erogata pauperi Sacerdoti, ne cogatur egeſtate quidpiam turpe aut indignum ſuo ordine admittere, actus Religionis eſt, & ſimul vera eleemoſyna à virtute miſericordiæ elicita, quia fines iſti cùm externi ſint, non tollunt fines intrinſecos virtutum, qui cum obiectis formalibus illarum coincidunt; quare neque honeſtas progerminans ex fine externo, cùm ipſa quoque ſit externa & aduentitia, honeſtatem internam ac natiuam ex fine intrinſeco, & obiecto formali proprio efflorеſcentem impediet; atque ne longius diſcedamus è re noſtra, quis neget pœnam, qua ſacrilegium plectit Princeps ob bonum commune Reipubl. cuius intereſt ſacra omnia ſummo haberi loco, & vt cæteri diſcant quàm grauis ſit eorum temeraria violatio, verè punitionem eſſe qua Religio ad ſuum finem aſſequendum, nimirum ad Sacramentorum ſanctitatem maieſtatemque tuendam vtitur, immò ipſa Cenſura, cùm non feratur, vt volunt aduerſarij, niſi ob bonum delinquentis, cuius emendatio illa punitione quæritur, & ideò auſteriori pharmaco compeſcitur, à charitate, cuius eſt bonum proximi curare, prodit, neque propterea rationem punitionis propriè dictæ deperdit, eo quod ab alia virtute vſurpetur tanquam medium quoddam ad ex-

ternum quendam finem obtinendum,in qua medij aſſumptione non eſt pura electio, quæ totam ſuam bonitatem hauriat à fine,ſed eſt electio actus honeſti formaliter vt honeſtus eſt, ſed vlterius cum tota ſua natiua honeſtate relati. Denique depoſitionem non negant aduerſarij, eſſe pœnam ſpiritualem ſicut & ceſſationem à diuinis, quamuis eas è cenſurarum numero eradant, & tamen per depoſitionem priuatur aliquis vſu ordinis ſacri, vel officio vel beneficio in perpetuum, idque formaliter, inquit Valent.& Alteri. locis citat.quia minimè expedit bono ſpirituali communi, vt qui tale crimen commiſit hoc officium aut beneficium gerat. In ceſſatione verò à diuinis prohibentur celebrari diuina officia propriè & formaliter in ſignum quoddam iniuriæ,quæ illata fuit Eccleſiæ, non autem propriè in vindictam & compenſationem iniuriæ,etiamſi declaretur omnibus eos quibus imperatur ea ceſſatio, meritò ceſſare à diuinis officiis, quamdiu illatam Eccleſiæ iniuriam non repararint. In his vides non intendi punitionem rei primò & per ſe, ſed aliud quidpiam, & tamen vt dixi, plerique ex aduerſariis rationem pœnæ in ipſis agnoſcunt. Layman lib.1. tract.5. part.1. cap.1. Auila 1.par.de cenſuris dub.5. Ferdinand.tract.29.diſp.4.p.vlt.vbi n.1. depoſitionem non modò vocat pœnam eccleſiaſticam, ſed etiam eandem eſſe cum ſuſpenſione perpetua dicit, & ſolùm differre penes maiorem difficultatem obtinendi diſpenſationem; imò Couarr.in cap.Alma Mater.ſecunda p. §.2. ceſſationem à diuinis cenſuram appellat. Quidni igitur priuatio poteſtatis ſuſcipiendi ordines propter delictum commiſſum, quæ eſt Irregularitas ex delicto, erit vera & propria pœna, etiamſi Eccleſia in illa punitione maximè voluerit ſacris miniſteriis conſulere, ne à prophanis, & certis quibuſdam ſceleribus impiatis tractentur. Vidit hanc conſequutionem Valent. qui idcircò negauit depoſitionem & ceſſationem à diuinis eſſe pœnas, vocauitque impedimenta Canonica, & eum ſequutus Alteri.cap.2. cit.Hurtad.tract.de depoſitione & ceſſatione à diuinis, ſed contra communem aliorum ſenſum, vt paſſim videbis. Ex his igitur conficitur rationem pœnæ eccleſiaſticæ conuenire irregularitati ex delicto,ſicut & depoſitioni atque ceſſationi à diuinis conuenit.

5 Rationem denique cenſuræ negabant aduerſarij participari ab hac Irregularitate, quia etiamſi daretur illam eſſe pœnam, cùm tamen non ſit pœna medicinalis ad reſipiſcentiam Rei tollenda, ſed ex natura ſua perpetuò duret, cenſura eſſe non poteſt, vt ex ipſa definitione cenſuræ ſuperiùs explicata conſtat. Verùm vnde habetur eam ſolam pœnam, quæ medicinalis eſt, eſſe cenſuram, quidni enim aliæ erunt medicinales,aliæ non; quædam ex natura ſua perpetuæ,aliæ temporariæ. Deinde cenſura non dicitur pœna medicinalis tantùm reſpectu delinquentis, ſed reſpectu aliorum quoque, qui huius pœnæ terrore à vitiis retrahuntur, & ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat, vt de excommunicatione tradit Origen. homil.7. in Ioann. Chryſoſtomus in locum iam mox citatum Clem. Roma.lib. 2. Apoſtol. Conſtit.cap.17. aliàs 20. Auguſtinus lib. de correptione, & gratia, cap.15. Theodotus Ancyran. homil.in Ioan.

Euangel.

Euangel.tom.[illegible] Conc.Epheſi.cap.9. ex editione Peltan. Gregorius lib.12. regiſtri indict.7.ep.32.& vltima,qui omnes aliíque P P. paſſim docent ab Eccleſia maximè ſpectari totius corporis ſanctitatẽ cæterorúmque mẽbrorum conſeruationẽ putridi vnius reſecatione per excommunicationem potius quàm ſalutem ipſius, quod abſcinditur, eamque eſſe ſapientium omnium ſententiam & praxim admonet Chryſoſt. hom.36. in Matth. initio.Eaque de cauſa Epiſcopos,vt ſe fortes hac in parte præſtent, neque hos næuos & ſtrumas in corpore Eccleſiæ patiantur, luculenter vrget Clem. lib. 2. Conſtit. c.4. vide plura apud Couarr.in cap. Alma Mater, initio, n.9. vbi etiam oſtendit omnes pœnas in re medicinales vocari poſſe.Ex hoc igitur capite medicina erit Irregularitas, cuius metus homines à criminibus, quibus impoſita eſt, reuocabit, maximè ſi ambiant ſacra miniſteria,aut iam initiati ſacris ordinibus ſunt; neque erit inutilis ipſi delinquenti, quem non modò puniet, ſed etiam ad reſipiſcendum vrgebit, atque ad petendam diſpenſationem, ſi ſuſceptos ordines exercere voluerit, aut etiam illos ſuſcipere: quod autem cenſuræ vulgares intendant primariò & per ſe.Rei emendationem,non autem Irregularitas differẽtiam tantùm ex fine extrinſeco inter illas conſtituit, quæ non impediet, quominus habeant rationem communem cenſuræ tanquam genus quoddam, quo contineantur. Vides itaque nullam afferri rationem contra Sotum, quæ eius opinionis probabilitati deroget.

6. POSTREMVM argumentum ductum ex Innocent. III. reſponſione c. quærenti. de verborum ſignificat. efficaciùs videtur, cùm enim tota iſta res ab hominum inſtitutione pendeat,illa vna conſulenda erit. Reſpondeo itaque etſi nomen cenſuræ in ſua ampliſſima & propria ſignificatione Irregularitatem pœnalem contineat, nihilominus tamen Iuris Eccleſiaſtici conditores hanc ſpeciem cenſuræ ab aliis diſtinguere ſolitos fuiſſe, neque voluiſſe, vt nomine communi comprehendi exiſtimaretur, niſi nominatim expreſſa fuiſſet, aut ex adiunctis colligeretur, vocem cenſuræ in tota ſua propria ſignificatione eo loco ſumi, vt dicam ſub fin. huius tractatus,eo quod grauitate, aliiſque plurimis rebus ab aliis ſpeciebus multùm diſſideat, ita vt neque voluerint Pontifices eius inflictionem inferioribus Prælatis, quorum hâc in parte poteſtatem imminuerunt, permittere, neque eius quoque diſpenſationem concedere, ſed hæc omnia ſibi reſeruarunt, quod abſque aliorum inferiorum iniuria ex amplitudine ſuæ poteſtatis facere licuit vrgentibus grauiſſimis cauſis,ob quas ita poſtulabat Eccleſiæ bonum: cùm igitur nunquàm in iure intelligenda ſit Irregularitas, niſi ea nominatim exprimatur, aut verbis æquipollentibus quorum aliqua collegit Maiol. lib. 1. cap. 1. ſignificetur,aut ex ſignis vniuerſalibus, & quibuſdam aliis poſitis, cogamur cenſuræ vocem in ſua lata & propria ſignificatione interpretari; rectè reſpondit Innoc. in reſcriptis Pontificiis nomine cenſuræ, vbi nihil aliud additur, intelligi excommunicationem, ſuſpenſionem & interdictum, quia ita fert ſtylus Curiæ, qui ſolet alias pœnas & maximè Irregularitatem nominatim exprimere, aut quarundam aliarum vocum appoſitione il-

las deſignare : non diffinit tamen Pontifex illas duntaxat tres ſpecies Cenſuræ totam illius nominis amplitudinem implere, ſed monuit tantùm quid ferret ſtylus Curiæ, quod vnum quærebatur. Reſpond. ſecundò Innocent. agere de Cenſuris, quæ poſſunt ab homine ferri, & à diſcreto Iudice, vt loquuntur, cuiuſmodi ſunt tres illæ vulgares, quādo igitur mandatur Iudici, vt Cenſura aliquem coërceat, aut mentio fit cenſuræ aliter, quàm ipſo facto, aut iure incurrendo, nunquam eſt intelligenda irregularitas; idque ſapienter reſpondet Innoc. qui etiam non aliud rogatus fuerat, quàm quidnam in Pontificiis reſcriptis ad varios Iudices directis, & quibus Pontifex ſuas vices committebat, aut fungi officio in puniendis delictis, pœnis & Cenſuris Eccleſiaſticis monebat, intelligendum eſſet nomine cenſuræ.

1. CAPVT II.

De cauſis & effectibus Irregularitatis.

Quæſtio prima, de cauſa finali & effectiua irregularitatis.

Quæſtio ſecunda, de cauſa ſubiectiua & materiali irregularitatis.

Quæſtio tertia, De effectibus irregularitatis.

EXPLICATA irregularitatis definitione, eiuſque à cenſuris, maximè quando pœna eſt, & propter delictum incurritur, diſtinctione, ad ipſius varias cauſas & effectus inueſtigandos accingimur; quibus expoſitis ad ſingulas ipſius ſpecies delabemur, neque diutiùs iſta cauſarum expoſitio nos tenebit, cùm ex iis, quæ de cenſuris diximus, lucem vberiorem accipiat.

QVÆSTIO I.

De cauſa finali & effectiua irregularitatis.

Finis irregularitatis eſt ſanctitas Miniſteriorum ſacrorum. n. 1.

Hinc multiplex ſtatuitur irregularitas. n. 2.

Cauſa efficiens eſt ſolum ius Canonicum. n. 3.

Nulla alia eſt irregularitas quàm in iure lata. n. 4. & 5.

Nulla fertur ab homine. n. 6.

Conſectarium primum, Omnis irregularitas incurritur ipſo facto. n. 7.

Conſectarium ſecundum, Vbi ius non imponit irregularitatem, neque homo illam imponere poteſt. n. 8.

Conſect. tertium, Nulla irregularitates ſunt vnius diœceſis propriæ. n. 9.

Conſect. quartum, An irregularitas induci poſſit conſuetudine. n. 10.

Conſect. quintum, Argumentum à ſimili non valet in irregularitatibus. num. 11.

Conſect. ſextum, An in dubio iuris incurratur irregularitas. n. 12.

QVOD attinet ad cauſam finalem ea alia non eſt, quam ſacrorum & Religionis ſanctitas, quæ 1.
poſtulat, vt cum decore & ordine exerceantur ſacra miniſteria, idcircò enim quoſdā ab illis ſūmouit Eccleſia, quia minimè decebat ipſos propter illuſtres quoſdam defectus ſiue culpabiliter ſiue inculpabiliter contractos ſacris admoueri, qui igitur eiuſmodi aliquo defectu laborat, propter

propter quē ex antiquis PP. Canonibus & Regulis in numerum ſacrorum miniſtrorū adlegi nō debet, aut ſi iam adlectus fuerit per Ordinum ſuſceptionem, miniſtrare non permittitur, dicitùr irregularis, quia nonniſi violatis Eccleſiæ Regulis, ad ſacra munia admouebitur. Vides igitur Eccleſiam nihil aliud voluiſſe in inſtituendis iſtis irregularitatibus, & impedimentis Canonicis, quibus prohibeantur aliqui vel Ordines ſacros ſuſcipere, vel iam ſuſceptos miniſtrare, quàm tueri ſacrorum Maieſtatem & Sanctitatem, & ne quid contra eam peccaretur, dum ab iis, qui inſigni aliquo defectu notantur, ſacerrimæ & auguſtiſſimæ quæque Religionis noſtræ actiones exercentur.

2. HINC oritur ſolemnis illa diuiſio irregularitatis in eam quæ ex defectu, & eam quæ ex culpa contrahitur, atque etiam in eam, quæ non incurritur niſi per aliquem actum irregularis, & eam quæ ipſi nihil operanti aduenit; cùm enim prima radix ſit indecentia cauenda in ſacris faciendis, poteſt illa oriri ex aliquo defectu & nota, quæ nobis inuitis, & nihil operantibus aduenit, aut quæ ex noſtris actionibus ſiue culpabilibus ſiue inculpabilibus naſcitur.

Quod autem pertinet ad cauſam efficientem ſit iſta

3. *PROPOSITIO.*

NVLLA eſt irregularitas niſi à Iure Canonico, & Pontificio.

EXPOSITIO ET CONfirmatio Propoſitionis.

HÆc aſſertio aliquid negat, & aliud affirmat; Nam Ius Pontificium agnoſcit prō cauſa effectiua Irregularitatis, & omnes alias cauſas excludit; Loquor autem de cauſa tum inſtituente, tum ferente, & contendo ſolius Pontificis, & Conditoris Iuris communis eſſe tum inſtituere, tum ferre irregularitates, quanquàm nullas vnquam ferat per aliquā ſententiā aut nouam legem.

ET quidē quod attinet ad poteſtatem tum inſtituendi, tum ferendi iſta impedimenta Canonica; nemo dubitare poteſt illam eſſe penes Summum Pontificem, qui ſummus ſacrorum antiſtes eſt, & cui incumbit, quæ ad Religionem pertinent ſummo ſtudio procurare, atque vt omnia decenter fiant in domo DEI, videre, quibuſnam credenda ſit diſpenſatio myſteriorum DEI. Itaque tota difficultas eſt

IN ſecunda parte propoſitionis, quæ cæteras omnes cauſas reiicit, 4.
dum ſolum ius Pontificium pro adęquata cauſa affirmat, quæ eſt communis ſententia Innocent. & aliorum Canoniſtarum, quos dabit Vgolin. tract. de Irregularit. cap. 1. §. 1. n. 2. & Sayr lib. 6. cap. 2. num. 9. Probatúrque euidenter ex cap. Is qui de ſentent. Excommunic. in 6. vbi Pontifex idcircò negat eum qui in Eccleſia polluta, vel præſentibus excommunicatis celebrârat fieri Irregularem, quia id in iure expreſſum non eſt; vnde neceſſariò colligitur, nunquam incurri Irregularitatem niſi in caſibus iure expreſſis; atque ita nullam aliam eſſe Irregularitatē, quàm quæ à Iure expreſſa eſt; nomine autem iuris non intelligitur ibi niſi Pontificium, vt patet.

Quare reiiciendi ſunt, qui aliquam Irregularitatem iure diuino aut naturali poſitam volunt, vt contra omnium ſenſum de homicidio

cenſuit Marian. Socin. in cap. Ad audientiam.de homicidio,teſte Sayr. loco cit. quamquàm præiuerat in idem caput.Ad audientiam Panorm. num.2. vbi & gloſſam in diſt.21. in ſumm. allegat; quia DEVS vetuit Dauidi, ne templum ædificaret, eò quod vir ſanguinum eſſet. Verùm vt omittam diligentiùs inquirere, quid ferant illa DEI verba, non agebatur de Dauide in Sacerdotem inaugurando, immo cruor hoſtium DEI fuſus eiuſmodi conſecrationi inſeruiebat vt Theod.& Procop.in 1.Paralip.obſeruarunt,& 2.Exod.29.colligitur vbi Leuitæ, cæde Idololatrarum conſecrarunt manus ſuas Domino.vt habēt 70. *Impleuerũt manus ſuas.* Chald. *obtulerunt oblationes manibus ſuis*, quia peccatores tamquam victimam mactabant, & Deo offerebant. Phinees ob Zambri & ſcortum Madianitidem interfectum inauguratus fuit. Duces Machabæi Sacerdotes erant. Non igitur ob fuſum ſanguinem fuit prohibitus Dauid ab ædificando templo, ſed ob myſterium vti PP. obſeruant, quod non eſſet aptus propter frequentes cædes & bella, exprimendo myſterio quod in templi conſtructione ſignificabatur, exprimebat enim Templi ædificium Chriſtum fundantem Eccleſiam: eius autem humilitatem Salomon pacificus expreſſit illuſtriùs ſicut Dauid DEVM Patrem qui auſterioribus edictis rexit Synagogam. Et quamuis non negarim aliquas irregularitates in lege Moſaïca latas fuiſſe; qua de re Becan. in Analogia veteris & noui teſtamenti; eæ tamen cum ipſa lege expirarunt, neque amplius eo iure regitur Eccleſia, vti fuſiùs oſtendimus 1. part. ſcientiæ canonicæ. Nihil habemus quoque in lege noua vnde conſtet aliquam irregularitatem inſtitutam fuiſſe à Chriſto, quod idem oſtendebamus de Cenſuris, quamuis enim aliquæ iam ab ipſis Apoſtolis inductæ fuerint, vt de bigamiæ irregularitate conſtat ex 1. ad Timoth. 3. variis Canonibus Apoſtolorum ſuo loco referendis; non inde tamen ſequitur eam à Chriſto fuiſſe inſtitutam ſed ab Apoſtolis, qui pleraque alia ſanciuerunt authoritate ſibi à Chriſto facta, vnde Paul. 1. ad Corinth. Ego dico, non Dominus.

Denique quod obiiciunt aliqui, neque fœminam, neque non baptiſatum poſſe ex diuina inſtitutione initiari ſacris ordinibus, nihil efficit, quia fatemur eas incapacitates ex iure quidem diuino exiſtere, neque Eccleſiam in illis ſicut in cæteris diſpenſare poſſe, ſed negamus eiuſmodi ſimileſque alias incapacitates eſſe Irregularitates propriè dictas, de quibus diſputamus, hæ enim ſunt quædam impedimenta ſuſcipiendi ſacros ordines, in illiſve, ſi iam ſuſcepti fuerint, miniſtrandi, quæ impedimenta ſupponunt capacitatem in eo, qui dicitur impediri, quare neque fœmina, neque non baptiſatus eſt Irregularis, licet incapax ordinum exiſtat.

5. IAM verò neque ius naturale aliquam inducere Irregularitatē æquè certum eſt, cùm nulla appareat repugnantia, ſi iſti quos Eccleſia remouet ab ordinibus, illis initiarentur: neque dicas ipſam naturam poſtulare, vt ſancta decenter tractentur, quod non fieret, ſi ad illa admouerentur, qui inſignioribus aliquibus defectibus ſiue phyſicis, ſiue moralibus laborant, hinc enim tantùm habetur, ſapienter omninò Eccleſiam

cleſiam hæc ſacrorum impedimenta inſtituiſſe, & conſentaneè ipſi rationi naturali, non tamen iure naturali eadem impedimenta, quæ ſingillatim ab Eccleſia poſita ſunt, ſuam vim obtinere, alioquin vniuerſa hominum inſtituta, & ſanctiones, quibus ciuitates temperatæ ſunt, dicerentur eſſe à iure naturali, omnia enim conſentire cum ratione naturali apprimè debent, atque ita à lege diuina & æterna, cuius naturalis promulgatio quædam eſt, tanquam à primæua origine leges omnes proficiſcuntur, vti lib. 3. ſcientiæ canonicæ fuit oſtenſum.

Maneat igitur Irregularitatem ſolo iure poſitiuo humano fuiſſe inſtitutam, quod ius Pontificium dixi, tum vt à ciuili, quod de rebus ſacris nihil directè ſtatuere poteſt, tum vt ab Epiſcopali, quod priuatum duntaxat eſt, diſtinguerem; quamuis enim dicat Suarez diſp. 40. ſect. 4. num. 11. nullum veterum perſpicuè hanc aſſertionem tradidiſſe, ſufficienter tamen colligitur ex cap. Is qui de ſentent. excomm. in 6. Cùm enim reiiciat omnes Irregularitates, quæ in iure expreſſæ non ſunt, non intelligit niſi ius Canonicum aut Pontificium, vti explicant omnes DD. qui idcircò ſatis clarè noſtram aſſertionem ponunt, vti iam monui; neque ſoliti ſunt Pontifices in ſuis ſcriptis leges priuatarum Eccleſiarum, ius appellare, ſed ſtatuta Epiſcoporum, non repugnaret quidem hæc impedimenta poni per priuatos Epiſcopos & ſynodorum Prouincialium decreta, neque incommodum magnum foret, ſi in aliqua priuata diœceſi quædam impedimenta arcerent homines à ſacris, quæ alibi non vigerent, ſicut neque pro iiſdem criminibus eædem pœnæ aut cenſuræ vbique indicuntur, id tamen ſibi reſeruauit Pontifex, dum omnes Irregularitates, quæ in iure non exprimuntur, reiicit: Et ſanè cùm hæ Irregularitates ſint quædam indecentiæ, quæ non inductæ ſunt primò & per ſe per modum pœnæ etiam medicinalis, ſed ad ſanctitatem ſacrorum, qui finis vniuerſaliſſimus eſt, conueniens fuit, vt eædem vbique vigerent, neque vna Eccleſia admitteret eos miniſtros, quos alia reiiceret, cum eadem vbique debeat eſſe ſacrorum ſanctitas, ne qua igitur parùm decora varietas in Eccleſia exiſteret, in hac parte, ſapientiſſimè inſtitutionem horum impedimentorum ſibi præcipuo iure vindicarunt ſupremi Religionis antiſtites, & iuris vniuerſalis totam Eccleſiam obligantis conditores.

6. DENIQVE reiicienda eſt omnis Irregularitas ab homine ſiue per ſententiam lata, quia ea non eſt expreſſa in iure, & quamuis poſſet Pontifex de plenitudine poteſtatis aliquam Irregularitatem ferre per ſententiam, aut reſcriptum ſine præceptum temporaneum, quod perpetui iuris rationem non habeat, id tamen nunquàm facere cenſendus eſt, niſi id diſertè explicet, quia non præſumitur facere contra ius commune & ſtatutas Eccleſiæ leges ac mores: quod verius multò erit in Prælatis inferioribus, quos malè exiſtimauit Gabriel lect. 9. in Canon. litt. D, poſſe punire hac pœna delinquentes, cùm nullo iure impediantur, & ea pœna poſſit eſſe proportionata culpę, nam iam diximus imminutam fuiſſe inferiorum iudicum poteſtatem per reſeruationem Pontificiam, & non habere rationem ſolius pœnę, etiamſi propter delictum infligatur, ſed impedimenti.

CONSECTARIVM I.

Omnis Irregularitas incurritur ipſo facto.

EX hac communiſſima doctrina hactenus explicata plurima neceſſariò conſequuntur.

7\. ATQVE imprimis omnem Irregularitatem incurri ipſo facto & nullam eſſe ferendæ ſententiæ, quia lex & ius ipſam imponit, éſtque loco ſententiæ, cùm vtatur verbis quæ denotant poſita certa cauſa hominem Irregularem, hoc eſt, inhabilem ad ſacra reddi, neque hæc inhabilitas indiget vlla actione iudicis aut miniſtri, cum conſiſtat in quadam priuatione, vti dicebamus de cenſuris, quæ idcirco dicuntur trahere ſecum exequutionem, prætterquàm quod iura, quæ imponunt Irregularitatem, ſunt leges; quæ vel prohibent fieri aliquem actum, ſuſcipi v.gr. ordines, aut in illis miniſtrari cum tali impedimento, vel præcipiunt certam conditionem, vt ritè fiat aliquis actus & ſacrum miniſterium, eo ipſo igitur quod non adhibebitur ea conditio, malè fiet actus, ad quem ius talem conditionem exigebat, & illicitum erit ſacrum miniſterium, quod fiet cum eo defectu & impedimento, quo cum ius fieri prohibuit, ſiue illud impedimentum ſit crimen commiſſum, aut potius indecentia reſultans ex crimine commiſſo, atque ita ſimul habeat rationem pœnæ & impedimenti, ſiue ſit quidpiam aliud; ex vi igitur iuris prohibentis actum fieri cum his defectibus culpabilibus, vel inculpabilibus, & exigentis certas conditiones, quæ cum illis defectibus conſiſtere nequeunt; malè & illicitè fieret ille actus, neque opus erit vlla alia ſententia, ſiue quæ prohibeat actum qui iam prohibitus eſt, ſiue quæ ponat impedimentum, quod iam poſitum eſt, ſiue quæ declaret crimen, ex quo exurgit defectus, nam ſententia declaratoria non ponit defectum, qui eo ipſo quod exiſtit, reddit actum cum illo factum illicitum: ergo inutilis erit ea ſententia ad ponendam Irregularitatem ſeu impedimentum miniſterij ſacri, quod totum iam exiſtit independenter ab illa. Quare ſtatim atque aliquis viderit, ſe ratione defectus, quem habet, prohiberi ab aliqua actione ſacra, à ſuſcipiendis nimirum ordinibus, aut ab ipſorum muneribus exercendis, debebit omninò ab illis actionibus ſibi, quamdiu laborabit eiuſmodi defectibus, & notatus erit ea macula vetitis, abſtinere, alioquin grauiter peccabit, vt qui cum turpi macula, atque indecenter ſacris ſe ingerat, atque in re graui violet legem Eccleſiaſticam; cenſuræ verò quia ſunt pœnæ primò & per ſe, ſæpiſſimè non imponuntur à lege, ſed à Iudice vel ex legis præſcripto, vel ex proprio arbitrio: prohibent quidem iura quaſdam actiones cenſura irretitis, ſed ea cenſura debuit contracta fuiſſe, quod fieri nequit antequàm infligatur vel à lege, vel à iudice: at verò quia Irregularitas eſt tantùm indecentia quædam moralis, quæ naſcitur ex inſtitutione Eccleſiæ ex quibuſdam defectibus, ſtatim vbi ponuntur illi defectus, exurgit ea indecentia independenter ab omni alio & ſiue declaretur à iudice ille defectus & indecentia atque inhabilitas ex eo progerminans, ſiue non declaretur, iam reuerà tota exiſtit,

ſit, & cum ea licitè, & ritè peragi nequit actus prohibitus à lege.

Consectarium II.

Vbi Ius non imponit Irregularitatem, neque homo illam imponere poterit.

8. SEQVITVR ſecundò vbi ius circa Irregularitatem nihil ſtatuit, neque homines quidquam definire poſſe, aut imponere illam, quam lex Eccleſiaſtica non imponit, quod conſectarium ex ſe euidens eſt, & omnium DD. conſenſione probatum, vti contra Gabriel ſuperiùs monui. Probant aliqui, quia Irregularitas eſt pœna priuatiua, quam nunquàm poteſt imponere Iudex niſi ex legis præſcripto; qua de re vide Tiraq. in l. ſi vnquam. C. de reuocandis donationib. v. reuertatur. n. 249. ſed ea regula falſa eſt in ſuſpenſione, quæ imponitur à Iudice ſæpiſſimè citra legis imperium: alij dicunt nullam imponendam eſſe pœnam à Iudice, quam lex non iubeat imponi in aliquo alio delicto, ſed neque id probant, cur enim non poterit Iudex nouam aliquam pœnam crimini tamen proportionatam, vbi nullam illi lex imponit, excogitare. Quare dicendum eſt id oriri, quia Eccleſia reiicit omnes eas Irregularitates; quæ non ſunt expreſſæ in Iure, atque ita non vult licitam eſſe Iudicibus earum inflictionem; vbi itaque ius ſilebit in aliquo caſu, quamuis crimen enorme ſit, non poterit Iudex illud punire Irregularitate ſed ſuſpenſione aut depoſitione, quæ quoad effectum æquiualeat Irregularitati, quam etiam incurret Reus, ſi ſuſpenſionem violet aliquem actum ſacri Ordinis exercendo, vti alibi dicam, quoties igitur Iudex Clericum arcet ab Ordinibus ſuſcipiendis, aut exercendis ſuſpenſionem non irregularitatem illi imponit.

Consectarium III.

Nullæ irregularitates ſunt vnius Epiſcopatus propriæ.

HOc Conſectarium ſtatim apparet ex hactenùs dictis, cùm 9.
enim nequeat induci Irregularitas per ſententiam hominis, neque per ſtatuta peculiaria, ſed tantum per Ius commune, & nullæ aliæ ſint propriæ Irregularitates, quam quæ in eo latæ reperiuntur, conſtat omnes Irregularitates eſſe toti vniuerſali Eccleſiæ communes, eam enim Ius Canonicum obligat, & ſanè ſi quæ Irregularitas alicubi tantùm vigeret, id haberet ex aliquo Iure peculiari illius loci, quod tamen negauimus; vnde etiam fit, vt ſi quæ in Conciliis Prouincialibus atque priuatis ſtatutis reperiantur Irregularitates, explicandæ ſint de ſuſpenſione, & depoſitione aut aliis eiuſmodi pœnis, vti monebam ſuperius ſaltem poſt Ius cap. Is qui. de ſentent. Excomm. in 6. quanquam ibi Pontifex non condat nouum ius, ſed potius antiquum ſupponat, atque ex eo argumentetur, vt oſtendat in peculiari caſu, de quo ibidem quærebatur, non fuiſſe irregularitatem; video quidem opponi poſſe, inde non ſatis efficaciter colligi, quod contendimus, nimirum nullo peculiari iure veluti municipali,

pali, aut hominis præcepto ferri irregularitatem;quærebatur enim tantùm,an ille de quo agebatur, qui in Eccleſia polluta vel præſentibus excommunicatis ſacrificauerat, eſſet de iure irregularis, reſpondétque Pontifex non eſſe, quia in iure nulla eiuſmodi irregularitas reperiebatur;qui autem rogabant Pontificem, ſciebant neque priuata illius Epiſcopatus lege, neque hominis ſententia fuiſſe poſitam irregularitatem pro illo caſu. Verùm non fuiſſet plena Pontificis reſponſio ſi negaſſet irregularitatem in eo caſu,quia non erat expreſſa in iure, ſi aliæ cauſæ præter ius cõmune illam inducerẽt, debuiſſet potiùs reſpondere,vti alias ſæpè in Eccleſia quidem Romana, non agnoſci illam irregularitatem, tamen ſi aliunde naſci ea poſſet, inquirendum eſſe: accedit communis DD. ſenſus, cui in interpretando iure plurimùm tribuendum eſſe cenſeo, quoties praxi Eccleſiæ, & ipſis etiam verbis legis aut rationi, qua duci viſus eſt legiſlator, conſentit.

CONSECTARIVM IV.

An irregularitas induci poſſit conſuetudine?

10. MAIOR difficultas exiſtit in eo quod Suar. diſput. 40. ſect. 4. num. 13. ex hac eadem cauſa effectiua Cenſuræ à nobis ſtabilita colligere ſibi videtur, irregularitatem nulla conſuetudine induci poſſe. Primò,quia nulla habetur irregularitas niſi ſit expreſſa,in Iure ſcripto nimirum,ergo omnis alius modus inducendi irregularitatem, reiiciendus eſt, atque ipſa etiam cõſuetudo quocunque illuſtri DD. teſtimonio munita, alioquin inutilis erit illa collectio Pontificia,irregularitas ex ſacrificatione in Eccleſiã polluta ſanguine non continetur in iure, igitur nulla prorſus eſt, potuiſſet enim obiici,contineri iure conſuetudinario, & non ſcripto, atque continua traditione à maioribus ad nos deriuatam fuiſſe, atque ita falſa foret communis illa regula omnium hactenus excepta conſenſu, ad dignoſcendas irregularitates ius Pontificiũ duntaxat conſulendum eſſe, nam etiam inquirenda eſſet communis conſuetudo & traditio. Secundò, quia nulla etiam cenſura contrahitur à conſuetudine, ſed vel à iure, vel ab homine imponitur, ergo neque irregularitas habebit alias cauſas, maximè cùm Eccleſia paucioribus communicauerit poteſtatem ferendi irregularitatem. Tertiò, quia conſuetùdo non poteſt inducere legem quoad vim coactiuam ipſo facto,ſed tantùm quoad directiuam,eo quod pœna nunquàm cenſetur poſita tanquam ipſo facto incurrenda, niſi id expreſsè conſtet; vnde etiam generalis & certa Regula eſt, nullam pœnam priuatiuam ipſo facto incurri, niſi ſit expreſſa ipſo iure, vt tradunt Felin. in cap. querelam. de iureiurando, & alij quos refert Tiraq. in l. ſi vnquam. C. de reuocandis donationibus v. reuertatur. num. 248.

Layman nihilominus lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 1. num. 6. ait negari non poſſe quaſdam irregularitates ſine iure expreſſo DD. ita opinantium authoritate introductas atque etiam diuturna Eccleſiæ conſuetudine firmatas fuiſſe, quia conſenſus DD. & Eccleſiarum conſuetudo optima eſt ſacrorum Canonum, & antiquæ obſeruationis interpres: & vniuerſim verum

verum eſt, quod eo [illegible] per tacitum conſenſum ſit conſtitutiua iuris etiamſi lex ſcripta deſideretur. Ita hîc Doctor. Vt vero totam hanc litem componam,

DICO imprimis attenta conſuetudinis legitimæ efficacitate in derogando veteri iuri, & introducendo nouo, eam poſſe tum cenſuras, tum irregularitates inducere, nam illud ipſum ius, quod reiicit omnes Irregularitates in iure non expreſſas abrogari poterit conſuetudine, quæ cùm etiam poſſet illud ipſum, de quo potuit ſanciri lex, æquè etiam poterit inducere pœnam ipſo facto incurrendam, atque pœnam priuatiuam, & inhabilitatem, & denique vim legis non modo quoad directionem, ſed etiam quoad coactionem, vti ex iis quæ 1.p.lib.2.c...q... n..diſputauimus, probatũ manet, & falsò ſupponit hoc loco Suar. neque cenſuram neque aliam pœnam priuatiuam ipſo facto contrahendã per conſuetudinem induci potuiſſe.

DICO 2. Quoties nullum veſtigium habetur in iure ſcripto alicuius Irregularitatis, & quæritur duntaxat, an conſuetudine fuerit inducta, nullo loco habendam videri eam Irregularitatem, ſed ſi de pœna ipſa conſtet pro ſuſpenſione accipiendam eſſe, atque eo ſenſu Suaris ſententiam amplector; quia licèt conſuetudo poſſit inducere nouum ius, & antiquũ obliterare, id tamen non poteſt, quoties ius, cui derogat, reſiſtit, & eſt in viridi obſeruantia, vti loquuntur, eo quod, & ipſe Princeps velit illud obſeruari, & Iudices nulla habita ratione contrariæ conſuetudinis volunt ſecundùm ius à ſe ſancitum pronuntiare, repugnat enim ius aliquod obſeruari, & ſimul contraria cõſuetudine abrogari, quãdiu enim ſeruatur [illegible] obliget, nondũ eſt abrogatũ, etiamſi ſenſim illi contraria conſuetudo ſubrepat, quæ tandẽ ius aduerſarium elidet; qua de re alibi: quod imprimis verum eſt, quando ius omnem contrariã conſuetudinem expreſsè vel tacitè annullat; at qui ius Canonicum reiiciens conſuetudinem aliamve omnem cauſam Irregularitatis viuidum adhuc eſt & vegetũ, quando, & Pontifex illud obſeruari vult, & reuera iudices nullam aliam Irregularitatem quàm expreſſam in iure agnoſcunt; quod benè oſtendebat Suar. nulla igitur erit ea Irregularitas, maximè quando totam eam conſuetudinem liceat de alia pœna interpretari.

DICO 3. Quoties nihilominus controuerſia eſt de aliqua irregularitate quæ fortaſſis non ita exprimitur in iure, ſi eam tamen conſuetudo admiſerit, & DD. communiter de ea conſuetudine teſtentur, reuera pro ea pronunciandum erit, tunc enim DD. communis ſenſus, & Eccleſiæ mores ſunt optimi Canonum interpretes, vti Layman argumentabatur.

CONSECTARIVM V.

Argumentum à ſimili non valet in Irregularitatibus.

ITa docent Layman, & Suar. ex Nauarr. c. 27. n. 149. & communi DD. Eſtque euidentiſſima ratio, cùm enim caſus incurrendæ Irregularitatis debeat eſſe expreſſus, non contrahetur Irregularitas, quamuis ſit ſimilis illi propter quem ius imponit eam irregularitatem, immò maior ratio poſtulare videatur hanc pœnam; quare neque à pari, & ſimili 17.

mili

mili licebit argumentari, & irregularitatem ad caſum non expreſſum extendere, ſiue id liceat, ſiue non liceat in lege pœnali, quod diſcuſſimus 1. p. lib.3.cap.9.num... Idcircò etiamſi ille, qui iterat baptiſmum, ſit irregularis, non licebit inde colligere eum, qui iterabit Confirmationem fore quoque irregularem, quia prior caſus expreſſus eſt in iure, non poſterior qui in Eccleſia interdicta celebrat, fit irregularis, non autem qui in Eccleſia polluta quod poſtremum aſſerit Pontifex in cap. Is qui cit. & rationem reddit, quia id in iure non eſt expreſſum, qui iterat ordines, qui innodatus irregularitate celebrat, aut ſine veſtibus ſacris, aut ſine altari ſacrato, qui per voluntariam ſeminis aut ſanguinis effuſionem Eccleſiam violat, non fit irregularis, etiamſi hæc delicta grauiora ſint quibuſdam, quibus ea imponitur, & non videatur potior eſſe, ratio propter quam vnum peccatum ita plectatur, quàm aliud ipſi admodum ſimile.

Consectarium VI.

An in dubio iuris incurratur irregularitas.

12. Non ago de dubio facti, quando nimirum ius quidem perſpicuum eſt, ſed dubitatur an contra illud reuera peccatum fuerit, tunc enim ſequendæ ſunt regulæ traditæ 1.p.ſcient. can.lib.3. Sed ago de dubio iuris, quando nimirum non conſtat, an ius pro tali facto imponat irregularitatem, & quàmuis de dubio iuris in vniuerſum plurima diſputauimus loc..cit.in hoc tamen negotio peculiaris quædam ratio eſſe videtur, cùm enim nulla incurratur irregularitas niſi ſit in iure expreſſa, reuerà in illo non exprimitur quando dubium eſt, an ius de illa agat, ſiue illam exprimat: loquor enim de dubio puro abſque iudicio probabili, ſi enim vtraque vel altera pars contradictionis ſit probabilis iam opinio eſt, & non dubium, & ſequendæ ſunt regulæ vniuerſales de opinione ſiue de conſcientia probabili, de quibus egimus eodem lib.3. cap. 9. & poterit quiſque ſequi opinionem probabilem, quæ illum eximit ab irregularitate quãuis contraria æquè probabilis, aut etiam probabilior appareat; at verò quando dubium purum eſt, quia pendet in ancipiti animus, neque in alteram partem vlla ratione probabili trahitur, etiamſi in veritate indaganda iam quantum exigebat prudentia laborarit. Tunc exiſtimo imprimis in foro exteriori non poſſe quenquam iudicari tanquam irregularem, quia reuera ius ex quo pronuntiare debet iudex non facit contra ipſum; in foro quoque interiori non tenebitur etiam ſe gerere pro irregulari, quia poſſeſſio ipſi fauet, vti diximus cap... & q. lib. 3. citati, vbi oſtendimus eam Regulam iuris de fauore poſſeſſionis in dubio & pari cauſa valere quoque in materiis omnibus etiamſi non pertineant ad iuſtitiam, contra Hurtad. diſp. 1. de irregula. diffic. 3. & alios ibi relatos, neque exponit ſe vlli periculo temerè agendi, quandoquidem operatur ex regula certa. Itaque quamuis dubium ſit de iure indicente irregularitatem, eſt tamen aut certum aut probabile ipſum in illo dubio propter fauorem poſſeſſionis poſſe operari: itaque non operatur

cum

cum dubio practico, ſed ex conſcientia admodum probabili, atque ita non peccat; quando autem certum eſt ius & dubium eſt factum, tunc poſſeſſio fauet iuri, quare eius potior eſt conditio, debetque ſe ille gerere pro irregulari, niſi quid aliud obſtet; atque ea tandem eſt ſolutio Couarru. in Clem. ſi furioſus. initio num. 3. Valentiæ tom. 4. diſput. 7. q. 19. p. 2. notabili 3. Sayr. lib. 6. cap. 2. n. 26. Bonac. diſp. 7. q. 1. p. vltima, & aliorum paſſim, quæ ex alibi dictis firma & perſpicua redditur.

QVÆSTIO II.

De cauſa formali, materiali & ſubiectiua irregularitatis.

Quænam ſit cauſa formalis irregularitatis. num. 1.
Prima Propoſitio, de cauſa materiali irregularitatis. num. 2.
Prima Pars, de culpa mortali, n. 3.
Secunda Pars, de culpa externa & conſummata. num. 4.
Tertia Pars, aliæ conditiones neceſſariæ ad irregularitatem pœnalem. num. 5.
Secunda Propoſitio, ſubiectum irregularitatis. num. 6.

1\. CAVSA formalis hoc loco ſunt verba imponentia irregularitatem; quæ nulla determinata ſunt, ſed ea omnia, quibus aliquis prohibetur ad clericatum aut ad Ordines promoueri, aut ad Sacerdotium aliumve Ordinem ſuperiorem aſcẽdere ſi iam aliquem inferiorem habet, ita vt illa inhabilitas ſit ex ſe perpetua, & non ad tempus aliquod dumtaxat, aut vſque ad futuram emendationem, non debent etiam eſſe verba futuri temporis, illa enim indicant neceſſariam eſſe ſententiam ad contrahendam pœnam, quam infligunt, cùm irregularitas ſemper incurratur independenter à ſententia etiam declaratoria, vt quæſt. proxima vidimus, ſed de his egimus alibi, & de variis formulis conſule Suar. diſp. 40. ſect. 8.

CAVSA materialis eſt defectus propter quẽ cõtrahitur hoc impedimentum Canonicum quia verò aliquando eiuſmodi defectus pendent ex actu noſtro culpabili, de eo defectuum genere in vniuerſum ſic pronuntiandum videtur:

PROPOSITIO PRIMA.

De cauſa materiali Irregularitatis.

AD contrahendam Irregularitatem punitiuam requiritur culpa mortalis externa, & conſummata. 2.

EXPOSITIO ET CONfirmatio Propoſitionis.

PRIMA PARS.

De culpa mortali.

EXIGO imprimis culpam mortalem non tantum quia nulla reperitur Irregularitas impoſita ex iure, niſi pro culpa mortali, quia neque pro ſola veniali etiam ab ipſo ſummo Pontifice imponi poteſt. Ita Suar. diſp. 40. ſect. 3. num. 9. Kon. diffic. 18. num. 12. Sanch. lib. 9. 3.

 diſp. 32.

diſp. 32. num. 34. Henriq. lib. 14. cap. 3. Bonac. diſp 7. quæſt. 1. p. 3. num. 1. Diana 2. p. tract. 2. Miſcella. Reſolut. 18. & 4. part. tract. Miſcella. Reſolut. 4. Monteſin. 1. 2. tom. 2. q. 76. a. 4. diſp. 8. q. 12. num. 153. Turrian. de cenſur. lib. 8. diſp. 57. dub. 2. Ioann. de la Cruz in directorio part. 2. De Irrregularit. dub. 12. con. 6. Tann. tom. 4. diſp. 6. q. 10. dub. 10. num. 181. Gordon. tom. 2. Theologiæ moral. lib. 9. q. 10. §. 4. num. 14. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 1. n. 4. Hurt. diſp. 1. de Irregularitat. diffi. 2. num. 8. Præpoſ. in 3. pa. q. 5. de Irregul. dub. 2. n. 6. Valent. tom. 4. diſp. q. 19. p. 3. §. 5. Vaſquez 1. 2. diſp. 158. c. 1. & alij. Contra Caietan. v. Irregularitas, & 2. 2. q. 64. a. 8. Aragon. ibid. Corduba lib. 2. quæſtionarij q. 26. Caſtro de lege pœnali lib. 1. c. 5. docum. 4. Molin. tract. 3. diſp. 77. n. 3. & alios inferiùs afferendos, quorum aliqui volunt reipſa dari Irregularitatem propter culpam venialem in homicidio commiſſam, ducti quibuſdam iuribus titul. de homicidio, de quibus commodior erit inferiùs dicendi locus, ne diſtrahamus quæ inuicem connexa ſunt: alij verò ſaltem pro huiuſmodi leui culpa pœnam iſtam infligi potuiſſe concedunt, vt Auila 7. p. diſp. 2. dub. 3. & Villalob. tom. 1. tract. 21. diffic. 4. num. 3. Quos omnes reiicimus, quia Irregularitas cùm non modò priuet ſuſceptione Ordinum, ſed afferat inhabilitatem ad illos pluresque alios effectus admodum moleſtos, vt ex ipſorum explicatione patebit, habeat, & præterea ex ſua natura perpetua ſit, egeatque diſpenſatione, non poteſt non exiſtimari grauiſſima pœna, quoties pœna eſt, ac proinde in culpam leuiorem minimè ferri iure poterit, neque efficaciter argumentantur ex minori Excommunicatione ſæpius propter culpam venialem contracta, quia licèt priuet omnino Sacramentorum ſuſceptione, & Irregularitas à ſolo ordine prohibeat, atque ex eo capite leuior videatur ea excommunicatione, aliunde tamen multo grauior eſt, tum quia priuat vſu quoque actiuo ordinum, tum quia beneficiis ſaltem obtinendis aliquod obiicit impedimentum, tum quia difficilius diſpenſabilis eſt, ex facilitate autem relaxationis minoris excommunicationis eius leuitatem in hominum vulgari æſtimatione colligebamus, etiamſi ratione ingentis boni, quo priuat interdicendo ſuſceptione Sacramentorum omnium videatur maxima: potuiſſet quidem Eccleſia propter indecentiam quandam moralem ex quibuſdam actibus leuiter tantùm culpabilibus in certo quodam genere rerum reſultantem, imponere Irregularitatē, vti fortaſſis in homicidio factum eſt, ſed ea irregularitas non eſt purè pœnalis, vti obſeruauit Kon. ſed ob ſignificationem quandam, vti contingit in iis omnibus, quæ ex defectibus non peccaminoſis oriuntur. Huc pertinent quæ diximus lib. ſuperiori cap. 5. quæſt. 2. 1. parte propoſitionis, vt oſtenderemus ſuſpenſionem imponi non poſſe niſi propter culpam mortalem quæcumque igitur ſiue ratione leuitatis materiæ, ſiue ratione voluntarij aut ignorantiæ, excuſabunt à mortali ab hac quoque Irregularitate pœnali &, vindicatiua eximent.

Secvnda Pars.

De culpa Externa, & Conſummata.

4. DIxi 2. Exigi culpam externam, & conſummatam in ſuo genere, & prout verba iuris ipſam requirunt, quæ idcircò ſingula expendenda erunt ex regulis generalibus 1. part. lib. 3. cap. explicatis & alibi ſæpiùs repetitis; quare ſi aut certam ſcientiam, aut certum aliquod voluntarium in actu requirant, illud omninò neceſſarium erit, alioquin non contrahetur Irregularitas, quia reuerà non ponitur conditio, ſiue potiùs actus, qualem ius requirit, vti fuſiùs diximus cap. 5. citato ſuperio. libri q. 2. & iterum inferius in ſingulis Irregularitatibus ex delicto explicabitur. Quare ſi quis vel omninò inuoluntariè, quia dormiens aut amens actum externum prohibitum ſub pœna Irregularitatis commiſerit, vel etiamſi voluntariè actum illum poſuerit, non tamen ſufficienter ad culpam mortalem ex inaduertentia aut obliuione naturali inculpabili prohibitionis ac malitiæ, aut quia effectus ratione cuius contrahitur irregularitas neque intentus, neque præuiſus fuerat, quamuis actus ex quo ſequutus eſt, voluntarius omninò fuiſſet, vt occiſio hominis in venatione, nunquàm pœnalis Irregularitas contrahetur: atque ita vides quomodo iſte actus, qui punitur Irregularitate debeat eſſe conſummatus tum interiùs tum exteriùs prout verba iuris ipſum exigunt.

Quod verò attinet ad neceſſitatem actus externi, ea euidens eſt, cùm eiuſmodi interna niſi ſe prodant exteriùs, ſubducantur humanæ cognitioni atque adeò ipſius Iudicio vt latè habet Couarr. in Regul. peccatum 2. part. Relection. n. 7. & nos oſtendimus lib. 3. diſputantes de materia legis; quare non modo non poterit puniri actus merè internus ſed neque propter indecentiam ex ipſis contractã imponi poterit Irregularitas cum ea indecentia notari nequeat externa nota niſi ſeſe prodat, alioquin cogeretur aliquis peccatum ſuum internum aliis aperire extra confeſſionem Sacramentalem, dum nimirum diſpenſationẽ Irregularitatis propter ipſum contractæ poſtularet; quare ſi quando in aliquibus Pontificiis bullis detur facultas diſpenſandi in irregularitatibus mentalibus & internis explicandum erit, vti monet Couarru. in Clem. ſi furioſ. initio. n. 4. de occulta Irregularit. aut vti ex Corduba obſeruat Suar. diſp. 40. ſ. 3. n. 9. de ea Irregula. quæ in actu externo exigit certam quandam conditionem purè mentalem, vt contemptum, præſumptionem, ſcientiam aliáſque ſimiles; quia verò Irregularitates, quæ propter peccata eiuſmodi contrahuntur, videntur difficilius diſpenſandæ propter obſtinatam peccantis voluntatem, & & peruerſum animum; Idcircò in priuilegiis, quibus datur diſpenſandi facultas, fit iſtarum Irregularitatum peculiaris mentio.

TERTIA PARS.

An ſint neceſſariæ aliæ Conditiones in actu propter quem Irregularitas pœnalis incurritur.

ADhibui tertiò in mea propoſitione particulam excluſiuam; 5.
quare reiicio omnes alias conditio-

nes,quas nonnulli poſtulant in actu, qui eſt materia Irregularitatis.

Prima eſt,vt actus ſit aliquo modo probabilis in Iudicio & non omninò occultus quamuis tantùm per accidens; verùm eiuſmodi actus occultos puniri poſſe pœnis priuatiuis, quæ ipſo facto incurruntur, atque adeò Irregularitate latè docuimus lib. 3. ſuperiori contra Alphonſum à Caſtro lib. 2. de lege pœnali. cap. vlt. Con 3. & quæ ex Iure afferebantur, perſpicuè explicuimus cum Couarru. in Clem. ſi furioſus. 2. p. §.3. num.4. & aliis ibidem relatis.

Altera conditio eſt contemptus ſiue contumacia, aut etiam dolus, quem in actu peccaminoſo, vt cauſet Irregularitatem, requirit Nauarrus, cap.27. num.252. & in cap. accepta. de Reſtitutio. Spoliatorum ad oppoſitionem.8. num.34. illation.9. & in cap.cùm contingat.cauſa 24. nullitatis. Remed. 2. cui præiuerat Panorm. in cap. Paſtoralis de appellation. §. verum.num.15. Felin. in cap. Rodolphus de Reſcriptis num. 43. & alij quibus videtur adhæſiſſe Sanchez lib.9. de Matrim. diſput.32. num.17. Hos tamen omnes reiicio cum Suar. diſput.40. ſect.3. num.20. Villalobos tom.1. tract.21. diffic. 4. n.5. Auila 7. part. diſp.2 dub.40.Vbi negat neceſſariam eſſe contumaciam. Ratio eſt clara, quia nullibi in Iure requiritur iſta conditio, imò apertè ſupponitur ignorantiã craſſam,cũ qua neque dolus,neque contemptus aut contumacia exiſtit, ſufficere ad pœnalẽ iſtam Irregularitatem,vt c.1. de Ordinat.ab Epiſcopo, qui renunciat Epiſcopat. Neque fortaſſis id volunt Panorm. Felin. & alij laudati à Nauarro, ſed omnem voluntatem peccandi mortaliter contemptum legis interpretati ſunt; an verò debeat cognoſci prohibitio operis alioquin mali facta ab Eccleſia ſub pœna Irregularitatis pendet ex vniuerſali quæſtione, de notitia pœnæ impoſitæ à lege ad eam incurrendam, quoties fit contra legem, neque aliquid peculiare eſt in Irregularitate, cùm non exigat neceſſariò contumaciam, ſicuti Cenſuræ, vti eo loco diximus.

Propositio II.

De ſubiecto Irregularitatis.

Omnis ille & ſolus, qui capax eſt ſuſcipiendi ordinis, & ſubiicitur Iuri Canonico eſt ſubiectum Irregularitatis.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

Hæc propoſitio per ſe clara, neque vlla indiget ampliori expoſitione aut Confirmatione,cùm enim Irregularitas ſit impedimentum Canonicum recipiendi ordines, ſupponit eorundem Ordinum capacitatem in ſubiecto cui aduenit, alioquin diceretur illud impedire, neque enim qui ſubtrahit lumen cæco, aut Laminam eius oculis obiicit, dicitur impedire illius viſionem; Præterea cùm à Iure communi & Canonico poſitum fuerit hoc impedimentum, non afficiet illum, qui Iuri minimè ſubiicitur. 6.

Ex quibus fit, vt neque fœminæ, neque non baptizati, neque membris omnibus capti, & ſi qui alij ſunt, qui careant ex diuino aut naturali Iure capacitate Ordinum,dici valeant propriè Irregulares. At verò alij omnes tum Laici, tum Clerici, atque adeò ipſi Epiſcopi & Cardinales Irregularitatibus

ritatibus obnoxij ſint, quia & capaces ſunt Ordinum, & Iuri communi ſubiiciuntur, neque vllibi excipiuntur ab vniuerſali lege, quod malè negauit Maiol. lib. 4. de Irregul. cap. 1. num. 7. propter cap. quia periculoſum. de ſentent. Excomm. in 6. ibi enim dicitur duntaxat Epiſcopos non comprehendi lege ferente ſuſpenſiones & Interdicta, niſi ſpecialiter exprimantur, vnde non licet ad Irregularitatem argumentari, & ab illis Epiſcopis, etiamſi eorum non meminerit Ius excipere. Pontifex verò, quia non tenetur legibus Eccleſiaſticis quoad vim coactiuam, neque earum pœnas incurrere poteſt, vti diximus Superiori lib. 3. cap. quæſt.... num... vbi etiam vidimus, an ſaltem dum eligitur, poſſit obiici Irregularitas aliudve impedimentum. Qua de re etiam iterum.4.p. lib. 2. cap... q. n.... hinc tamen ſequitur ordinantem fœminam aut alium incapacem Ordinis non incurrere pœnas inflictas ordinanti Irregularem, quia reuera talem non ordinat.

QVÆSTIO III.

De effectibus Irregularitatis.

Multiplex Irregularitas partialis n.1.
Propoſitio. num. 2.
Prima Pars, priuat Irregularitas ſuſceptione & vſu ordinum. n.3.
Quomodo dignoſcitur Irregularitas partialis aut totalis. n.4.
An qui impeditur aliquo defectu ab exercitio ſuperioris poſſit ordinem inferiorem recipere, vt abſtemius Diaconatum. n.5.
Secunda Pars propoſitionis, Irregularitas non priuat Iuriſdictione. n.6.
Tertia Pars propoſitionis, Irregularitas non priuat obtentis beneficiis aut eorum fructibus. 7. & 8.
Quarta Pars propoſitionis, collatio beneficij facta Irregulari eſt irritanda. num. 9.
Expenduntur varia Iura. n.10.
Soluuntur obiecta. n.11.
Conſect. primum, Quod ſit peccatum & quæ pœna Irregularis ſuſcipientis aut exercentis ordinem. n.12.
Conſect. ſecundum, An Irregularis poſſit ſuſcipere Sacramenta. n.13.
Conſect. tertium, An Irregularis poſſit abſoluere ſacramentaliter. n.14.
Soluitur obiectio. n.15.
Conſect. quartum, An Irregularis poſſit renunciare ſuo benefi.io in fauorem alterius & an ad illud teneatur. n.17.
Conſect. ſextum, An Irregularis retineat Ius Electionis. n. 8.
Conſect. ſeptimum, Quid poſſit Parochus Irregularis. n.19.

REPETENDA eſt hoc loco vulga- 1.
ris diuiſio Irregularitatis in totalem & partialem, prior illa priuat quantum poteſt toto Ordine Clericali, poſterior non priuat in totum Ordinibus. Primò, quia aliquando impedit ſuſceptionem alicuius Ordinis & non omnis eiuſmodi eſt ea Irregularitas, quæ ſumitur ex ætatis defectu, impediet enim v. gr. ſuſceptionem maiorum Ordinum non minorum, Sacerdotij non Diaconatus. Secundò, aliquando Irregularitas impedit ſuſceptionem ſuperioris Ordinis, non autem exequutionem inferioris iam ſuſcepti. Ita Diaconus, qui ſacrificare fuerat auſus, prohibetur ad Sacerdotium aſcendere, à Diaconatus tamen officio minimè remouetur cap. 2. de Clerico non Ordinat. Miniſtr. & cap. de his d. 3. Clerici qui ſanguinem humanum fuderint, vlterius prouehi vetantur & duobus annis

annis ſuſpenduntur, cap. autem vlt. diſtinct 35. Diaconus, cui fuerat erutus oculus inhabilis dicitur ad Sacerdotium, non autem ad ſui Ordinis exercitium. Tertiò, partialis eſt aliquando Irregularitas, quia non priuat toto & omni vſu alicuius Ordinis, ſed aliqua eius actione, nam Sacerdos, cui fuerant duo digiti abſciſſi Irregularis eſſe dicitur ad celebrandum cap. 2. de Cleric. ægrotante; ad alia tamen munia, vt ſtatim dicam habilis manet.

PROPOSITIO.

2. IRREGVLARITAS ſuſceptionem Ordinum eorũque vſum illicitum reddit; non priuat tamen Iuriſdictione, neque beneficiis iam obtentis ante ſententiam, neque nouam ipſorum collationem irritam facit, ſed irritandam duntaxat.

EXPOSITIO ET CONfirmatio Propoſitionis.

QVADRIPARTITA eſt iſta propoſitio, quæ paucis tamen ex iis quæ lib. de cenſur. cap. 7. maximè circa ſuſpenſionem diſputata ſunt, perſtringi poterit.

PRIMA PARS.

3. DIXI igitur primò, Irregularitatem omnem priuare tum ſuſceptione tum vſu Ordinum; quę aſſertio intelligẽda eſt pro ratione totalis aut partialis Irregularitatis, ita tamen vt omnis habeat vtrumque effectum, niſi aliunde impediatur, nam Irregularitas, quæ contracta fuit ante Ordinem aliquem non modò illius ſuſceptionem impedit, ſed etiam illius vſum, ſi deinde ſuſcipiatur, prohibet, & ea quæ adueniens Ordini iam ſuſcepto facit ne licitè exerceatur, impediuiſſet quoque eius ſuſceptionem, ſi illam præceſſiſſet; quare reiicienda eſt illa diuiſio irregularitatis in eam, quæ à ſuſcipiendis, & aliam, quæ à ſuſceptis Ordinibus ſuſpendit, quam admittere videtur Nauarr. cap. 27. n. 191. cùm quælibet Irregularitas quantum ex ſe eſt, priuet tum ordine, tum eius vſu ſeruata proportione.

Quoties igitur Laicus aliquis erit Irregularis irregularitate propriè dicta, toties prohibebitur quemlibet ordinẽ ſuſcipere, imò & ipſam primã tonſuram, atque ſi aliquem ordinem recipiet, eius deinde exercitio abſtinere tenebitur, neque vllum alium actum, quàm qui à laicis fieri licitè poſſet, & qui non poſtulat vſum Ordinis Sacri exercere permittetur: ſi verò Clericus aliquo iam ordine inſignitus Irregularitatem totalem incurrat, neque vlterius promoueri alioſque Ordines ſuſcipere poterit, neque in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, quod ſi Irregularitas partialis fuerit; aliquando priuabitur ſuſceptione vlterioris Ordinis retento licito vſu, eius quo iam fuit initiatus, aliquando nequidem à totali vſu ſui ordinis remouebitur, ſed aliquo eius actu, ad quem inhabilem ipſum reddit contracta partialis Irregularitas, in quibus omnibus DD. conſentiunt.

Nam quod propria Irregularitas omnium Ordinum atque etiam primæ tonſuræ ſuſceptioné impediat, ſatis innuunt omnia iura, vtuntur enim verbis quibus ad miniſterium ſacrum, aut ad Clerum talem aſpirare aut promoueri vetant, & quàmuis tonſura non ſit ordo, eſt tamen Clericatus & veluti capacitas proxima

xima ad ordines, qui verò non permittuntur ad ordines aſpirare, neque illorum proximam aptitudinem accipere debent.

In Clerico verò iam aliquo Ordine inſignito aliquando eſt totalis Irregularitas, quæ & ab vſu ordinis ſuſcepti, & à cuiuſcumque alterius initiatione remouet, qualis eſt irregularitas homicidij. Ita colligitur ex cap. Preſbyterum de homicidio & cap. continebatur, cap. ſuſcepimus, cap. ſicut ex litteris. cap. ad audientiam eod. tit. aliquando autem quia vel prohibet exercitium Ordinis iam ſuſcepti, licèt vlterioris promotionem vetet, vel quia vnum tantùm aliquem actu ordinis illicitum facit non reliquos, ſacrificationē v. gr. non adminiſtrationē Sacramenti alicuius, vti initio oſtendimus.

4. Tota itaque difficultas eſt in dignoſcenda iſta partiali tantùm Irregularitate, volunt enim aliqui quoties Irregularitas contrahitur culpabiliter ex defectu corporis poſt ſuſceptos Ordines eam eſſe vniuerſalem, ſi v. gr. ſibi quiſpiam digitos amputaret, aut erueret oculos omni actu Ordinum prohiberetur, ſi verò iſta patiatur abſque propria culpa, tunc nolunt manere irregularem niſi circa functiones ad quas inhabilis per eum defectum corporeum redditur. Ita Nauarr. cap. 27. num. 152. Vgolin. cap. 64. §. 3. Auila 7. part. diſp. 2. dub. 6. Con. 7. Garc. 7. part. de Benefic. cap. 12. n. 18. & alij ab ipſo ibidem relati. Hæc tamen diſtinctio nullo iure fundatur, nam etiamſi aliquis ſibi eruiſſet oculum, non priuaretur omnibus actibus Sacerdotij, vt auditione Confeſſionum, vel adminiſtratione Euchariſtiæ iam præconſecratæ. Atque ita de iſta irregularitate contracta cum peccato in vniuerſum tradit Bonac. diſp. 7. q. 1. part. 4. num. 3. & Suar. diſp. 40. ſ. 2. n. 38. quia ea prohibitio non oritur, niſi ex impotentia circa exercitium talis actionis aut Ordinis; quare quoties ea non impediet alicuius Ordinis actum, neque illum prohibebit; ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter fuerit contracta; & ſanè non omnis culpabilis Irregularitas eſt vniuerſalis, quæ ab Ordinibus ſuſcipiendis, & à ſuſceptis exercendis excludat, nam cap. 2. de Clerico non ordinan. Miniſtrante, diaconus qui celebrarat nondum Sacerdos, non poteſt promoueri ad Sacerdotium, ſuſpenditur autem per biennium tantùm à diaconatu, quo peracto in eo miniſtrare potuit.

Mihi itaque dicendum videtur non poſſe dari certam rationem petitā ex natura irregularitatis, quare vna ſit vniuerſalis, alia partialis tantùm ſiue vna, ſiue alia partialitate ex enumeratis; neque proinde aſſignari poſſe certum huius totalitatis aut partialitatis indicium, ſed conſulendū eſſe ius circa ſingulas irregularitates, ſicut enim nullæ aliæ ſunt, quàm quæ in iure continentur, & in caſibus in eo expreſſis, ita etiam nullos alios habent effectus, quàm eos, quos ſingulis ius aſſignat; quare illos neque extendere neque reſtringere fas fuerit. ſi itáque ius ſimpliciter dicat incurri irregularitatem in aliquo caſu, vt in homicidio, de vniuerſali irregularitate, & omnibus eius effectibus exponendum erit, hoc enim fert ea vox in ſua propria ſignificatione accepta, habebit itaque omnes ſuos effectus, priuabit nimirū Ordinum, ſuſceptione, & ſuſceptorum exercitio, cur enim nos indefinitam, atque

adeò vniuerſali æquiualentem propoſitionem iuris, ad vnum aliquem effectum limitabimus, ſi verò vnum certum effectum tribuat irregularitati ius in caſibus initio poſitis, non licebit ad effectum non expreſſum illam extendere.

Iam verò ratio propter quam vni irregularitati vniuerſalem, alteri autem particularem tantùm effectum ius tribuit, non mihi petenda videtur ex culpa per quam cõtracta fuit, cùm, vt oſtendi, nõnunquàm ea, quæ culpabilis eſt, partialis tantùm ſit, ſed vti indicauit Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 19. part. 2. ſub fin. ex ipſa cauſa proxima irregularitatis, ſi enim naſcitur ex indecentia & inhabilitate ad vnum aliquem peculiarẽ actũ, reuera illo tantùm priuabit, vti ferè contingit in quibuſdam vitiis corporis, vt effoſſione oculi ſiniſtri, amputatione pollicis, aliiſque ſimilibus, quæ apparet non inducere irregularitatem, niſi quia afferunt vel magnam deformitatem, vel etiam impotentiam aliquam ad quaſdam functiones ſacras, celebrationem v. gr. Miſſæ & idcirco illa tantùm priuat. Quando verò cauſa irregularitatis eſt defectus & indecentia quædam, quæ æquè primò pugnat cum qualibet actione ſacra, vnde non magis vnam quam aliam reſpicit, omnibus quoque priuat, vt in defectu natalium, Elephantiaſi, infamia ſiue propria, ſiue parentum, homicidio & aliis ſiue ex propria culpa naſcantur, ſiue innoxiis & immerentibus accidant, contingit.

5. An verò ſicut, qui patitur defectum impedientem vnum tantùm aliquem actum ſacrum, non eſt irregularis, niſi partialiter, permittitur enim alia ſacra munia exercere, ita etiam poſſit cum illo defectu & irregularitate partiali ad Ordines, à quorum functionibus non impeditur, promoueri, v. gr. an cui fuit erutus oculus, licèt nequeat fieri Sacerdos, inferioribus tamen Ordinibus, in quibus decenter miniſtrare poterit, initiari permittatur, grauis quæſtio eſt, in qua DD. diſſentiunt.

Hanc enim promotionem ad Ordines, à quorum miniſterio non impediretur, adueniente illo defectu licitã eſſe dicit Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 19. p. 2. Nauarr. cap. 27. n. 204. abſtemium, quamuis fieri nequeat Sacerdos, Ordines nihilominùs minores poſſe ſuſcipere docet, cui conſentit Rodriq. tom. 1. ſum. cap. 158. n. 11. immò & ad ipſum diaconatum progredi abſque diſpẽſatione putat Maiol. lib. 2. cap. 25. num. 2. Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 7. & qui ab illo referuntur litt. O. Negant tamen Canoniſtæ in cap. fin. diſt. 55. Præpoſ. Geminian. & Turrecremata, qui dicunt ex vitio corporis, vt effoſſione oculi contrahi irregularitatem ſimpliciter, & talem nequidem ad Clericatum abſque diſpenſatione promouendum eſſe, & tandem ita cenſet Sayr. lib. 6. cap. 7. n. 8. Vbi non niſi ex graui & iuſta cauſa præuia diſpenſatione admittendos eſſe dicit ad inferiores Ordines, qui carent membro neceſſario ad Sacerdotium & non ad eos Ordines; Si verò tantùm difformitate membri laborent, faciliùs admitti poſſe, quamuis à Sacerdotio excludantur, abſolutè etiam irregulares ab omni Ordine ſuſcipiendo dicunt Vgolin. tract. de irregul. cap. 64. §. 1. Tolet. lib. 1. cap. 57. Suar. diſp. 40. ſect. 3. n. 25. & diſp. 51. ſect. 2. n. 11. vbi dicit eſſe communem, Bonac. diſp. 7. q. 2. part. 2. n. 28. Auila 7. part. diſp. 3. dub 1.

in

in ſecunda limitatione, Garc. 7. part. de benefic. cap. 12. num. 28. n. a. 29. refert in hãc rem illuſtrem Rotæ deciſionem in vna Romana penſionis 3. Iunij an. 1583. quæ de communi quoque teſtatur, videturque definita controuerſia à Gelaſio Epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, vetat enim corpore vitiatos ſacris applicari miniſteriis, atque adeò ab omni Clericatu remouet.

Ad componendam iſtam DD. diſſenſionem idonea mihi videtur diſtinctio ſuperiùs allata, quando enim vitium corporis aliuſve defectus ſimpliciter inducit Irregularitatem ratione indecentiæ, cum non afferat vllam inhabilitatem ad peculiare aliquod miniſterium, reuerà à ſuſcipiendis ordinibus quibuſcunque remouet, atque ita cap. ſi quis abſciderit diſt. 55. qui ſibi virilia abſcidit prohibetur fieri clericus, quamuis ille corporis defectus non impediat per ſe loquendo actiones clericales, at verò quando non oritur indecentia niſi ex peculiari inhabilitate circa peculiare miniſterium, vt circa celebrationem in abſtemio aut pollice capto, niſi Ius apertè dicat talem remoueri ab omnibus ſacris ordinibus, non exiſtimarem improbabile; illum ad ordinem, cuius actus præſtare abſque indecentia poterit licitè ordinari, quod volebant authores prioris ſententiæ, quædam enim ſunt difformitates, vt in gibboſis, Elephantiaſis & cæteris eiuſmodi, quæ quodlibet miniſteriũ ſacrum dedecent, & adſtantium offendunt oculos, & illæ inducunt ſimplicem & abſolutam Irregularitatem; aliæ verò difformitates vix apparent, niſi dum vnum aliquod certum munus obeundum eſt, vt in eo qui vnguem pollicis amiſit, aut qui illum breuiorem habet, aut debiliorem aut etiam amputatum; niſi igitur quis eiuſmodi ſemoueatur à iure ab omni ordine ſuſcipiendo neque ego prohiberem, niſi ab eo, ad cuius actiones ineptus eſt, vnde Diaconus cui erutus erat oculus prohibetur ad ſacerdotium euehi, non autem à diaconatus officiis ceſſare, cap. vlt. d. 55. Ibi tamen nihil habetur vnde colligatur, non potuiſſe ad diaconatum, ſi eo caruiſſet aſcendere; quod autem dixit Gelaſius de corpore vitiatis intelligendum eſt de iis vitiis, quæ magnam aliquam deformitatem inducũt, vt eſt abſciſſio, gibboſitas, aliáve monſtroſitas, vti apparebit inferius, ſi quis igitur cum peculiari tantùm inhabilitate & deformitate, quæ vnum duntaxat miniſterium reſpicit, fuiſſet ordinatus eo ordine, cuius reſpectu nullam inhabilitatem aut deformitatem habet, non exiſtimarem ipſum eſſe Irregularem, quamuis propter communem plurium DD. ſententiam ante ordinationem petendam eſſe diſpenſationem ſuaderem.

Addo verò de plenitudine poteſtatis Pontificem eum qui ineptus eſt ad vnam tantùm functionem alicuius ordinis, ad alias autem aptus eſt, poſſe ad eum ordinem promouere v. gr. eruditum manu captum ſacerdotem facere ad audiendas Confeſſiones aut ad Epiſcopatum euehere ad munia Epiſcopalia obeũda, quod idem de cæco concedit Maiol. lib. 1. cap. 20. n. 2. & de Roberto Scoto cæco à pueritia & in Archiepiſcopum Armacanum creato, atque legatione in Hibernia pro Iulio III. functo tradit Surius anno Chriſti 1551. neque abnuere videtur Sayr lib. 6. cap. 8. n. 6. & ſanè cùm hoc impedimentum ſit tantum po-

ſitum ab Eccleſia, ab illa tolli potuit, immò cùm etiam diſpenſari poſſit cum Sacerdote cæco vt celebret, quod cap. ſeq. q. 2. conſect. 1. oſtendam, non video cur ex eadem plenitudine poteſtatis diſpenſari non poſſit, vt ad ſacerdotium promoueatur cæcus etiam ad celebrandum & reliqua eius ordinis munia, cùm multa ſint, quæ non exigant eſſentialiter viſum. Quæ porrò dicta ſunt hactenùs de licita tantùm ſuſceptione & adminiſtratione ordinum accipi debent, validè enim ea omnia fient ab Irregulari quandoquidem nequit Eccleſia ſacramentorum valorem impedire, quamuis autem prima tonſura ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ illius proinde incapacem reddere poſset aliquem, id tamen minimè fecit, neque enim decebat capacem ſacrorum ordinum, *incapacitare*, vt ait Hurtadus ad primam & accidentalem eorundem ordinum initiationem.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Irregularitas non priuat Iuriſdictione.

6. DIxi ſecundò Irregularitatem non priuare Iuriſdictione non modò temporali, vti per ſe notum eſt, ſed neque Eccleſiaſtica, quod omnes fatentur cum Suar. diſp. 20. ſect. 2. n. 12. 24. & 44. Auila 7. p. diſp. 2. dub. 6. contr. 7. Villalob. tract. 21. diffic. 2. & aliis communiter, quia vt argumentabamur lib. de cenſur. cap. 7. q. 12. de ſuſpenſione, Ordo non infert Iuriſdictionem neque ab illa infertur viciſſim, quamuis quoad vſum & exercitium aliquando ſeſe ſupponant; quare priuatio Ordinis non infert neceſſario priuationem iuriſdictionis, irregularitas autem tantùm per ſe priuat Ordine, vt ex eius definitione conſtat, ergo non priuat per ſe iuriſdictione, neque iura vllibi illum effectum tribuunt irregularitati, quamuis ſi actus iuriſdictionis quandoque nequeat fieri ſine aliquo actu Ordinis, ex ea connexione reddatur illicitus, non tamen inualidus, vti oſtendam in Conſectariis. Deinde vel iuriſdictio eſt ordinaria, quia eſt annexa alicui muneri, aut beneficio Eccleſiaſtico, vel delegata ex commiſſione Superioris: ordinaria iuriſdictio non tollitur, niſi vna cum munere & beneficio Eccleſiaſtico cui ipſa innata eſt, atqui neque tale munus, dignitas aut beneficium, neque eius adminiſtratio amittitur per irregularitatem, vti oſtendam ſequenti parte propoſitionis; ergo neque amittetur iuriſdictio ordinaria, eiuſve vſus; quamquam ſi neceſſariò inuoluat actum Ordinis illicitum & prohibitum per irregularitatem, illicitus quoque & ipſe reddetur.

Quare omnis iuriſdictio ordinaria fori contentioſi integra & libera manet irregulari, quandoquidem non priuatur beneficio, aut dignitate, cui illa competit, & licèt eiuſmodi iuriſdictio ſupponat ſtatum Clericalem, aut etiam nonnumquam Ordinem aliquem, cuius vſu priuat irregularitas, non tamen poſtulat Ordinem expeditum vt ita dicam, vt validè operetur, immò neque vt licitè agat quoties eius actus non erit neceſſariò ſimul actus Ordinis; quare poterit Epiſcopus irregularis excommunicare, abſoluere, aliaque ſuæ iuriſdictionis externæ munera peragere, quia ea fiunt ſine exerci-

tio.

tio Ordinis, poterit quoque Clericum verbaliter deponere, non tamen actualiter ſiue realiter degradare, quia degradatio actualis ex inſtitutione Eccleſiæ annexa eſt Ordini Epiſcopali, cuius & aliquod exercitium eſt, non autem verbalis tantùm depoſitio, vti lib. de cenſur. cap. 7. q. 13. dictum fuit.

Idem porrò de Iuriſdictione ordinaria circa forum internum ſentiendum erit, nam quæ exercentur ſine actu Ordinis, vt concedere indulgentias, diſpenſare in votis, dare facultatem audiendi Confeſſiones, & alia eiuſmodi validè & licitè præſtabit.

Quod pertinet ad Iuriſdictionem delegatam eam quoque non deperdi per irregularitatem ex eo patet, quod cùm nulli dignitati Eccleſiaſticæ ſit annexa, non poteſt tolli per irregularitatem, niſi primò & per ſe tollatur, id autem non fit, cùm neque eius definitio id ferat, neque iura id ſtatuant, quod Suar. ſect. cit. num. 28. Sapienter aduertit de omni munere ex commiſſione alicui dato intelligendum eſſe, nam neque Epiſcopi Vicarius, neque Legatus aut Nuntius Pontificis, aut eiuſmodi alij, qui funguntur aliquo munere à nutu ſuperioris, à quo illud accipiunt pendente, dum incidunt in irregularitatem, amittunt vel illa ſibi demãdata munera, vel vſum iuriſdictionis ſibi factæ, cùm iura id minimè poſtulent, & ſanè, cùm vt ſtatim docebo, non perdant beneficia prius obtenta, nulla ratio eſt propter quam aſſeramus deperdi munenera iſta, aut dignitates Eccleſiaſticas, quæ perpetuæ non ſunt, & tamdiu durant duntaxat, quamdiu ſuperior, qui eas commiſit alicui, eas durare voluerit; quare poterit vti illa ſua iuriſdictione iſte delegatus validè atque etiam licitè, niſi vel ratione ſcandali, vel actionis Ordinis in illo vſu incluſæ peccet, vti diximus. Quin immò exiſtimo poſſe quoque irregularem nouam Iuriſdictionem tum ordinariam, tum delegatã validè acquirere, quia vt dicam 4. part. poteſt validè conſequi nouum beneficium, conſequenter igitur Iuriſdictionem ordinariam illi annexam acquiret: de delegata autem iuriſdictione multò certius eſt, vt ait Bonac. diſp. 7. q. 1. p. 4. n. 12. quia neque confertur ratione beneficij, neque in ordine fundatur, etiamſi illum aliquando ſupponat quoad certos actus, neque per ſe ad exercitium Ordinum dirigitur, & quamuis cum eo in quibuſdam actibus implicaretur, inde tamen ſequeretur duntaxat non poſſe acquiri ab irregulari vſum licitum illius iuriſdictionis circa aliquos actus, non tamen vel non acquiri ipſam iuriſdictionem, vel eam manere ligatã circa omnes alios actus; quare ſublata per diſpenſationem irregularitate, non erit opus noua collatione iuriſdictionis, ſed ea quæ prius durante irregularitate validè acquiſita fuerat, iam ea ſublata, libera & expedita erit circa quoſcumque actus, ſicut de collatione beneficij facta irregulari dicam ſtatim.

TERTIA PARS Propoſitionis.

Irregularitas neque priùs obtentis beneficiis, neque eorum fructibus priuat.

DIXI 3. Irregularem minimè priuari ſuis beneficiis eorum- 7.

que prouentibus. Ita Nauarr. cap. 27. num. 249. Sà v. Irregularitas n. 4. Henriq. lib. 14. cap. 3. num. 5. Sayr. lib. 2. cap. 2. num. 24. Vgolin. tract. de Irregul. cap. 65. §. 2. Auila 7. part. diſp. 2. dub. 6. contr. 4. Couarr. in Clem. ſi furioſus p. 2. §. 3. num 5. & in cap. Alma mater. 1. part. §. 7. n. 1. Suar. diſp. 40. ſect. 2. num. 15. & alij deinceps, quibus præiuerat Innocent. in cap. cum noſtris de Conceſſione præbendæ, & Panorm. ibid. n. 22. Rebuff. in cap. poſtulaſti de Clerico Excomm. miniſtr. notab. 4. n. 186. apertumque videtur eſſe ius hac in parte, iubet enim irregularem propter homicidium aut mutilationem honore, loco, & beneficio priuari à iudice cap. ex litteris de exceſſib. Prælat. quo poſtremo loco iubet Pontifex Epiſcopum, qui authoritatem præſtiterat ad mortem alicui inferēdam cedere ſuo Epiſcopatui, & ſi id facere recuſet priuari præcipitur, non igitur erat ipſo iure priuatus, qui enim vult aliquid fieri, ſignificat id nondum factũ eſſe. Ex hac Irregularitate homicidij ad reliquas omnes argumentantur DD. ſi enim iſta non habeat annexam ipſo iure priuationem beneficij Eccleſiaſtici, neque etiam cæteræ habebunt; prætereа repugnat aliquam pœnam incurri ipſo iure, & tamen in iure expreſſam non contineri, cùm enim tunc non ſit opus vlla ſententia, iuſque ipſum pœnam imponat, illam omninò exprimere & continere debebit, quod aduertit etiam gloſſa in cap. penult. de Iure patronatus, & in Clem. 1. de Conſanguinit. & affinit. atqui nullibi ius annectit hanc beneficij priuationem irregularitati, ſiue ex delicto, ſiue ex ſolo defectu contrahatur, & quamuis quibuſdam criminibus ſit annexa tum irregularitas, tum perditio beneficij, eæ tamen ſunt diſtinctæ pœnæ, & vna non eſt effectus alterius, etiamſi ſimul incurrantur, vnde fit vt vna ſublata alia manere poſſit, ſi quis enim hæreticus, aut alterius criminis reus amiſiſſet ſua beneficia, ſimulque factus fuiſſet irregularis, & diſpenſationem irregularitatis obtineret, nulla facta mentione beneficij, quo ratione eiuſdem delicti priuatus manebat, non poſſet idcircò retinere tale beneficium, quàmuis non eſſet amplius irregularis, requireretur tamen ſententia declaratoria criminis vti diximus alibi.

ADDIDI porrò in noſtra propoſitione irregularem non modò 8.
non amittere beneficium, ſed neque eius fructus, quod affirmant quoque DD. ſuperius laudati, quia neque hæc priuatio fructuum beneficij ſequitur ex natura irregularitatis, quæ tantùm priuat Ordinum ſuſceptione aut exercitio, neque ex vlla lege poſitiua, cùm nulla omninò afferatur, & probant ea omnia quibus lib. de cenſur. cap. 7. q. 12. probauimus ſuſpenſionem à beneficio non inferre ſuſpenſionem ab Ordine, & viciſſim, tenebitur tamen tum ad horas Canonicas, tum ad alia munera & onera, quæ ipſe licitè poterit exercere, aut ſi impediatur irregularitate, per alium ea fieri curabit.

Nihilominùs irregularis priuandus eſt beneficio, quoties ea irregularitas contracta fuit ex delicto aliquo graui, vt de homicidio ſtatuit Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. dum autem fuit inculpabilis irregularitas, non eſt priuandus ſuo beneficio irregularis, ſed vel diſpenſationem obtinere debebit, vel ſi nequeat per alium ſuum munus exercere, aut

Coadiutorem

Coadiutorem ſibi aſciſcere, aut datum aſſumere, vti probat Vgolin. cap. 65. §. 2. num. 2. ex cap. 1. 3. & ſequentibus de Clerico ægrotante.

QVARTA PARS Propoſitionis.

Collatio beneficij facta Irregulari non eſt ipſo iure irrita ſed irritanda.

9. HÆc poſtrema pars noſtræ propoſitionis eſt quidem contra communiorem DD. ſententiam vt videbis apud Sayr. lib. 6. cap. 2. n. 21. & Garc. 7. part. de beneficiis c. 11. qui non modò plurimos authores congerit, quos idcircò hîc recenſere ſuperfluum foret, ſed etiam Rotæ deciſiones aliquot refert, ſuis tamen authoribus noſtra non deſtituitur, nam præter Innocent. in cap. cum noſtris de Conceſſione præbendæ num. 1. Ancharan. in Regulam peccati in 6. oppoſitio 1. Franc. in eand. Regulam num. 5. vbi allegat Speculatorem, Sylu. v. Excommunicatio 4. num. 4. vbi & citat Raynetium, Nicolaum Plom. tractat. de Irregul. Regula. 44. qui apertè docent hanc collationem irritam non eſſe, id quoque verius eſſe in puncto & rigore iuris fatentur recentiores. Suar. diſp. 40. ſect. 2. num. 29. Layman lib. 1. tract. 5. pa. 5. cap. 1. n. 3. Kon. diſp. 18. dub. .n. 6. Hurtad. diſp. 1. de Irregul. n. 21. Villalob. tract. 21. diffi. 2. n. 12. Leſſius lib. 2. cap. 34. num. 120. Filliuc. tract. 19. cap. 3. n. 85. Turrian. lib. 7. de Cenſur. diſp. 38. dub. 2. Præpoſit. 3. part. q. 5. de Irregul. dub. 3. n. 18. Diana 4. p. tract. 2. Reſolut. 37. Felin. quoque in cap. Inquiſitionis de accuſation. n. 6. ait nunquàm eſſe tradendam obliuioni doctrinam Innocentij in cap. cum noſtris citat. Vbi ait, Irregulares iuſtè tenere ſine diſpenſatione dignitates ſuas quouſque renuncient; vel deponantur, etiamſi tales eſſent tempore collationis vel electionis, ſecùs ſi eſſent tales, qui beneficij nullo modò eſſent capaces, vt illiterati, mulieres vel infantes. Ex qua diſtinctione duplicis irregularitatis omnia aduerſariorum argumenta eliduntur; quædam enim eſt Irregularitas, quæ habet ſecum adiunctam incapacitatem beneficij, vel eſt ipſamet incapacitas, & ea facit irritam quamcumque beneficij collationem, eo quod nequeat etiam ſublata irregularitate tolli ea incapacitas, vt in illiterato contingit: aut ipſamet irregularitas, quæ impropria tantùm eſt, veràque incapacitas, vt in infante & muliere, ab Eccleſia auferri minimè poteſt, ac proinde cum is, qui laborat ea incapacitate veriùs quàm irregularitate, neque capax ſit recipiendi beneficij, neque etiam reddi capax poſſit, mirum minimè eſt, ſi collatio beneficij ipſi facta ſit omninò irrita, non tam ex aliquo iure poſitiuo, quam ex ipſa natura rei, at verò irregularitas propriè dicta, quæ non affert incapacitatem ad munia ſacra, & conſequenter neque ad beneficia, quæ propter illa munia conferuntur ſed tantùm eſt impedimentum Canonicum, quod diſpenſatione aliiſque modis inferius explicandis auferre licèt non reddet incapacem recipiendi beneficij, neque eius collationem irritam faciet ex natura ſua, vti de ſuſpenſione ab officio argumentabamur lib. de cenſuris cap. 7. q. 12. vnde ceſſat communis

illa

illa ratio, inhabilem ad vnum aliquid, ad omnia quoque ei annexa inhabilem eſſe, irregularem autem inhabilem eſſe ad Ordines eorumque functiones, ac proinde inhabilem manere ad beneficium, quòd Ordinem requirit, eiuſuè aliquem vlum; nam cùm ea inhabilitas ſit facilè auferibilis, & non ſit incapacitas poterit aliquis accipere beneficium cum animo quærendi diſpenſationem, vt eius munia exercere poſſit, vt diximus de ſuſpenſo: prærerquam quod quædam ſint munera, quæ à Laico exerceri poſſunt, aut quæ non requirunt Ordinis Sacri exercitium, cuiuſmodi eſt recitatio horarum Canonicarum, quæ munera iſte irregularis etiam obibit, alia verò quæ pertinent ad Ordinem per alium intereà præſtare curabit: Irregularitas igitur ex natura ſua impedit quidem collationem beneficij, illam tamen non irritat, ſed ſi id facit, id habet ex iure prorſus Eccleſiaſtico, atqui nullibi extat tale ius vti oſtendunt allati DD. & maximè Suar. qui ſingula loca ab aduerſariis temerè congeſta expendit accuratius, Canones enim prohibent quidem dari beneficia irregularibus, quos etiam volunt egere diſpenſatione, quæ omnia vera ſunt, quia illicitè dantur iſta beneficia, & tota ea collatio irritari poteſt, inde tamen non ſequitur ipſo iure nullam eſſe collationem de quo vno contendimus, prærerquam quod in pleriſque locis coaceruatis ab aduerſariis non agitur de irregularitate, aut de ea ſola.

10. Nam cap. Cum bonæ de ætate & qualit. loquitur de ſuſpenſo ſimpliciter hoc eſt ab officio & beneficio, & de priuatione beneficij per iudicem imponenda vt ex vltimis eius verbis conſtat, cùm æquè loquatur de beneficio priùs obtento, atque obtinendo, & dicat neutrum ab hoc ſuſpenſo retineri poſſe.

In cap. poſtulaſti de Clerico excomm. miniſtr. ſermo eſt de excommunicato, non de Irregulari, neque dicas, idcircò negari eo loco collationem factam excômunicato validam eſſe, quia non fuit Canonica, ſiue ex præſcripto Canonum facta, quæ ratio æquè valet in irregulari, nam alioquin omnis collatio & quæcunque alia diſpoſitio contra Canonum ſcita, nulla eſſet. Itaque videndum eſt ad validitatem alicuius actionis à Canonibus prohibitæ, an conditiones, quas in ea requirebant Canones ſint ipſi ſubſtantiales, an accidentales, vt iuxta ſubiectam materiam actio non Canonica dicatur inualida, aut illicita tantùm & caſſanda vt pote contraria Sanctis PP. & Eccleſiæ Regulis.

Alia infra dicunt tantùm irregularẽ impediri per Canonum ſanctiones ne poſſit promoueri ad beneficium. vrgere aliquid videtur cap. 2. de Clerico pugnante in duello, cum quo dicitur diſpenſari poſſe ad beneficium obtinendum, verùm neceſſitas huius diſpenſationis facilè patet ex eo quod alioquin illicita ſit & irritanda, qua ratione interpretor Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. dum edicit non licere homicidæ ordines aut vllum beneficium quamuis ſimplex conferre, non enim dicit ſecùs factum irritum eſſe, & quamuis id ſanciret, homicidij criminis id peculiare foret non commune omni irregularitati pœnali, nam etiam ſuperius monui, crimina nonnulla non tantùm irregularitate, ſed etiam amiſſione beneficij ipſo iure incurrenda puniri, vnde non poſſumus colli-

gere

gere eam priuationem eſſe effectum irregularitatis, alioquin beneficiis ante ipſum contractum obtentis priuaret.

Cum itaque nulla pœna incurratur ipſo iure, niſi in illo exprimatur, & iſta nullitas collationis factæ irregulari, nullibi exprimatur in iure, inducenda non eſt, quare hinc noſtram ſententiam veram eſſe in puncto iuris fatebantur laudati DD. quamuis contrariæ, vt potè magis communi, & quam ſtylus Curiæ ſeruat, adhæreant; verùm iam nobis perſuaſum ex 1. part. ſcientiæ Canonicæ quoties aliqua diſpoſitio pendet ex mero iure poſitiuo præhabendam eſſe ſententiam, quæ conformior eſt iuri, illi enim nequeunt derogare DD. aliter ſentientes, cùm ipſi non faciant ius, immò & tunc aberrent à iure, ſtylus etiam Curiæ ſequitur opinionem communem & probabilem, non reddit tamen oppoſitam neceſſariò falſam, vt ibidem oſtendimus. Itaque niſi ſit contraria conſuetudo, quæ iuri derogarit, & quam fortaſſis probat cóſenſus DD. adhærendum omninò eſt, liquido iuri, & ex illo emendandi ſunt DD. contrarium ſentientes potiùs quàm ſequendi aberrantes à iure, ſi enim dubium eſſet de ſenſu Canonis, tunc dandum aliquid communi DD. ſenſui & authoritati exiſtimarem; quæ omnia eo loco explicata ſunt; adde nos in hac controuerſia non deſtitui authoribus iiſque illuſtrioris nominis inter iuris Canonici interpretes.

41 Dices ſaltem nullam eſſe iſtam collationem factam irregulari defectu voluntatis conferentis, à qua pendet tota validitas collationis, vti patet, atqui nolle collatorē beneficij illud conferre irregulari certum videtur, cùm nollet id facere quod ſine peccato præſtare nequit, aut dare beneficium illi, qui illud retinere non poteſt, facereque collationem irritandam.

Reſpond. imprimis totā hanc nullitatē collationis non prouenire ab irregularitate, quod tamen vnum modò quæritur, ſed aliunde, deinde idem argumentum fieret de omnibus aliis impedimentis, quæ aliquam collationem illicitam facerent, aut irritandam, quia tota ea collatio, aliàve ſimilis diſpoſitio inuoluntaria, ſubreptitia ac proinde nulla diceretur 3. poteſt collator ſponte conferre beneficium Petro, quem neſcit eſſe irregularem: neque Petrus tenetur ſuam occultam irregularitatē ſtatim manifeſtare, quod ſi Petrus neſciat ſe incurriſſe irregularitatem, & petat atque adeò impetret beneficium, vndenam dicetur ea collatio ſubreptitia; immò ſi collator beneficij nouit irregularitatem, in eaque ipſa diſpenſare poſſit, cur non cenſebitur ipſa collatione diſpenſaſſe, & denique cur non conferet beneficium cum onere petendi diſpenſationem & conditionatè, non negamus tamen aliquando eiuſmodi collationem inuoluntariam fore, quod ex variis adiunctis inquirendum erit, & donec id conſtiterit, collatio valida omnino cenſenda eſt ſaltem in foro conſcientiæ, quàmuis fortaſſis in foro externo Iudex communiorem ſententiam ſequutus & ſtylum Curiæ obſeruans, illam nullam fuiſſe pronunciet; ſi tamen forum externum vitet hic Irregularis, licitè retinebit & validè ſuum beneficium, intereà dum diſpenſationem proſequitur eaque obtēta nulla noua collatione indigebit; quod iterum tradit Dian. tract. cit. Reſolut. 79.

Consectarivm I.

An Irregularis peccet, & quas pœnas incurrat ſuſcipiendo aut exercendo Ordines?

12 Respondeo primò. Certum eſſe hunc Irregularẽ grauiſſimè peccare, etiamſi primam tonſuram, aut Ordines tantùm minores cum eo impedimento Canonico ſuſcipiat aut præſtet quamcunque actionem Sacram, & quæ à Laïco exerceri nón ſoleat, quia violat legem Eccleſiaſticam in re graui, niſi cauſa aliqua legitima excuſet, vt metus aut grauis infamiæ ſcandalum vitandum; Quænam verò ſint hæ ſacræ actiones vnà cùm Ordinis exercitio prohibitæ ſæpiùs diximus lib. de cenſuris cap.7.

Resp. ſecundò, quod attinet ad pœnas violatæ Irregularitatis nullas eſſe ſtatutas in Iure, poterunt tamen ipſi imponi, néque noua etiam Irregularitas incurritur, quamuis enim nihil prohibeat multiplicari Irregularitates in eodem ſubiecto, cùm tamen ea non contrahatur niſi in caſibus in iure expreſſis. cap. Is qui de ſentent. Excomm. in 6. & hic caſus violatæ Irregularitatis nullibi dicatur aliam parere Irregularitatem, id profectò non faciet.

Consectarivm II.

An Irregularis poßit ſuſcipere Sacramenta?

13 Respondetvr poſſe, ſi excipias ſolos Ordines, quia Irregularitas, vt ex eius definitione conſtat, non priuat niſi Ordinibus & omnia alia Sacramenta ſuſcipi ſolent à Laïcis, de pœnitentię Sacramento poſſet aliqua moueri fortaſſis difficultas, verùm cum expiatio peccati non pendeat ab Irregularitate, quæ vel ſæpè non eſt pœna, vel ſi aliquando eſt non pendet à duratione peccati ſiue contumaciæ, vt cenſura, neque per ſe priuat vllo alio Sacramento, quam Ordinibus, non eſt, cur dicamus illam impedire abſolutionem Sacramentalem; neque benè obiicitur Extrau. Inter cunctas de Priuilegiis. §. obſeruent. Vbi dicitur neminem poſſe abſoluere à peccato, cui eſt annexa Irregularitas, niſi poſſit in eadem Irregularitate diſpenſare, qua punitur tale peccatum, nam omiſſis quæ diſputat Couarr. in cap. Alma Mater. 1. part. §.6. num.6. Pontifex, qui ex Priuilegio concedit Religioſis Prædicatoribus & Minoribus facultatem abſoluendi à peccatis, limitat hoc ſuum Priuilegium neque vult extendi ad illa peccata, quæ puniuntur Irregularitate, niſi quando eiuſmodi erit Irregularitas, quæ ab iiſdem Religioſis ſiue ex illo, ſiue ex alio quopiam Priuilegio tolli poterit, inde tamen non poteſt erui propoſitio vniuerſalis ratione Irregularitatis reſeruari peccatum, & eum qui nequit diſpenſare ab Irregularitate, non poſſe etiam abſoluere à peccato propter quod illa incurritur, prætterquam quod illa Extrauagans reuocata eſt per poſteriora Priuilegia iiſdem Religioſis conceſſa.

Consectarivm III.

An Irregularis poßit abſoluere Sacramentaliter?

Respondetvr poſſe, eamque abſolutionem validã fore, quamuis 14

ſi id ſcienter faciat, peccet. Ita Suar. ſect.2. cit. num.45. Fillinc. tract. 19. cap.3. num.80. Villalobos diff.2. cit. num. 8. Layman. cap. 1. cit. num.2. Kon. diſp.18. num.7. Bonac. diſp.7. quæſt.1. part.4. Præpoſit. in 3. part. quæſt.5. de Irregula. dub.3. num.13. Dian. 4. part. tract. 2. Reſol.68. Contra Hurtad. diſput.1. diffi.5. & Auila. diſp.2. cit. dub.6. con.7. qui Irregularem ſaltem denunciatum inualidè abſoluere dixit & Nauarr. adduxit cap.9.num.8.vbi tamen loquitur tantum de Excommunicato, ſuſpenſo & Interdicto publicè denunciato, & de Excommunicato quidem id concedimus, de ſuſpenſo autem ab Ordine præciſè & de Interdicto idem omninò quod de Irregulari ſentiendum eſſe, optimè ſtatuit Suar. num. 46. Ratio aperta videtur, quia neque Irregularitas, neque ſuſpenſio præciſa ab Ordine, neque interdictum tollit Iuriſdictionem ſiue ordinariam, ſiue delegatam, ſi iam habeatur, neque illius quoque acquiſitionem impedit, ac proinde eius ſolius defectu non poterit reddi inualida ea abſolutio, neque quidquam facit diſtinctio denunciati & non denunciati, quia etiamſi denunciatio faciat vt non poſſimus ab eo Irregulari petere abſolutionem Sacramentalem quem ſcimus non poſſe, abſque culpa illam dare eo quod includat eſſentialiter vſum Ordinis ipſi prohibitum, ac proinde tunc pœnitens ponat obicem Sacramento reddátque inutilem totam illam Confeſſionem propter Sacrilegium in ea commiſſum. Hæc tamen inualiditas non oritur ex defectu Iuriſdictionis Sacerdotis abſoluentis, ſed ex peccato pœnitentis; quare ſi neſciret hunc eſſe Irregularem, aut eſſe denunciatum, & non peccaret ad illum accedendo, validè abſolueretur.

Dices Eccleſiam impedire quan- 19
tum poteſt Irregularem ab vſu Ordinum, ac proinde quando poterit inualidare aliquem actum tollendo Iuriſdictionem ad illum neceſſariam, id reuera faceret; quare eius defectu nulla erit abſolutio ab Irregulari facta, non quia Irregularitas primò & per ſe priuat Iuriſdictione, ſed quia prohibet quantum poteſt vſum Ordinum, ac proinde inualidat actus, quos poteſt inualidare, alios autem illicitos tantùm reddit.

Respondetur Eccleſiam quidem poſſe inualidare abſolutionem Sacramentalem impenſam ab Irregulari, priuando ipſum Iuriſdictione, verum nego eam Iuriſdictionem auferri ab Irregulari, quod oſtendendum eſſet firmiori aliqua coniectura quàm ea quæ ſumitur ex prohibitione facta Irregulari, alioquin omnis prohibitio actus illum inualidaret, quoties prohibens id præſtare poſſet ſola ſua voluntate & lege, quod quàm falſum ſit patet ex lib.3. de ſcientia Canonica. Vbi legem prohibentem ab irritante diſtinximus.

Maior fortaſſis videbitur difficultas de Iuriſdictione delegata Irregulari, neque enim videtur Epiſcopus dare velle hanc poteſtatem illi, quem ſi ſciuiſſet eſſe Irregularem, nulla ratione ad illud munus, quod ſine peccato obire nequit, deſtinaret, Errantis enim nulla eſt voluntas; vnde Comitolus lib.6. Reſponſ. q. 58. omnes Confeſſiones factas apud Sacerdotem, qui occultata ſua Irregularitate, munus audiendi Confeſſiones obtinuerat, conſuluit iterari, quod defectu poteſtatis nullæ eſſent. Verùm perſto in ſententia, quia imprimis Epiſcopus dedit huic occulto Irregulari Iuriſdictionem abſolutè, neque illam reſtrinxit, quamuis ſi

ſciuiſſet illum eſſe Irregularem non fuiſſet daturus. Secundò vt vtatur licitè vti poteſt excutiendo impedimentum ſi quod habet; prætereà quia occulrum impedimentum Iuriſdictionem habentis non nocet ſubdito cùm publicus error accedit, quod malè negat ibid. Comitolus.

CONSECTARIVM IV.

An Irregularis poſſit adminiſtrare ſuum beneficium eiuſque fructus percipere?

16 RESPONDETVR irregularem percipere poſſe fructus omnes ſui beneficij, ſiue ante, ſiue poſt contractam irregularitatem obtenti, illudque omni ratione adminiſtrare donec per ſententiam iudicis illo ſpolietur. Ratio euidentiſſima eſt, quia vti oſtendimus, Irregularitas neque priuat beneficio priùs obtento, neque eius fructibus, neque reddit incapacem noui beneficij acquirendi, quamdiu igitur non irritabitur noui beneficij collatio, aut veteri, non priuabitur illorum fructibus, tanquam ſuis & propriis gaudebit, quod fateri neceſſe eſt eos omnes, qui nobiſcum idem de effectu Irregularitatis circa beneficia ſentiunt; immò neque poterit Iudex deinde priuare hunc Irregularem fructibus, quos in hanc diem licitè percepit; neque eſt cur retrotrahatur ſententia ad diem commiſſi criminis, quia non debet eſſe tantùm declaratoria ſed condemnatoria; loquor enim de priuatione, quæ imponirur præcisè propter hanc irregularitatem pœnalem, non de illis delictis, quæ ſimul irregularitate & priuatione beneficiorum ipſo facto plectuntur; quàmuis enim ad ſententiam vſque declaratoriam criminis licitè percipiantur fructus beneficij à tali Reo tamen eos omnes deinde reſtituere tenebitur propter retrotractionem ſententiæ ad diem commiſſi criminis, qua de re dicemus alibi, neque etiam hìc quidquam particulare eſt.

CONSECTARIVM V.

An irregularis poſſit renūtiare ſuo beneficio in fauorem alterius, & an teneatur illud dimittere?

RESPONDETVR primò, Quoties officium debitum ratione beneficij præſtari poterit ab Irregulari per ſe vel per alium, non cogitur illud dimittere. Ita Suar. diſp. 40. ſ. 2. num. 19. quia neque vllo iure, neque vlla ratione ad hanc dimiſſionem beneficij adigitur, quādo quidem illius munera obire poteſt. 17

Secundò, ſi beneficium poſtulet perſonale aliquod officium, quod includat exercitium Ordinis, & non poſſit obtineri diſpenſatio ab irregularitate, aut nolit beneficiatus illam petere, debebit dimittere beneficium, quod ratio ipſa indicat, non poteſt enim retinere id vnde oritur obligatio, quam nunquàm implere poterit; at verò ſi ſit ſpes aliqua diſpenſationis, intereà dum illam quærit, licitè retinebit beneficium Irregularis, eiuſque fructus percipiet cum onere tamen curandi vt alius officium impleat, & licèt ipſe ſit aliquantulum negligentior in procuranda diſpenſatione, non idcircò tamen excidet ſuo beneficio. Ita Suar. l. c. Bonac. diſp. 7. q. 1. p. 4. n. 10. vbi Filluc. & Reginald. dabit.

Tertiò

Tertiò, poterit Irregularis renuntiare ſuo beneficio in fauorem alterius, aut in manibus ſuperioris antequam per ſententiam illo priuetur, & pendente lite aut accuſatione, vt tradit Gloſſa in cap. 2. vt lite pendente v. finita in 6. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. n. 7. vbi & alios refert additque ex communiori ſententia validam eſſe eam renuntiationem etiamſi quis iam illud beneficium impetrauerit, quod alibi diſquiremus; quod attinet ad noſtrum Conſectarium illud manifeſtum eſt ex dictis, cùm enim Irregularis adhuc obtineat beneficium ſiue ante ſiue poſt Irregularitatem obtentum habeatque plenam eius adminiſtrationem, diſpoſitionem & vſum, poterit illud alteri cedere, atque etiam permutare, quandoquidem ex nobis noui quoque acquirendi capax eſt, vti oſtendimus.

Conſectarium VI.

An irregularis retineat ius Electionis.

17 RESPONDETVR retinere, quia Ius illud eſt aliquid iuriſdictionis non Ordinis, etiamſi aliquando ſupponat Ordinem tanquam conditionem quandam, & ſoli ordinati ſacro Ordine habeant ius ſuffragij, vt dicemus alibi. Deinde ferè hoc ius competit ratione alicuius beneficij Eccleſiaſtici, cuius quidam veluti fructus eſt, cùm igitur Irregularis neque beneficij fructibus, neque Iuriſdictione priuetur, neque ius eligendi amittet, quod idem de collatione, Inſtitutione beneficiorum aliiſque ſimilibus dicendum eſt cum Suarez diſp. 40. ſ. 2. n. 27. Villalob. diff. 2. num. 12. tract. 21. & cæteris communiter.

Conſectarium VII.

Quid poſſit Parochus Irregularis?

RESPOND. poſſe ea omnia quæ anteà poterat, præterquam illa, quæ poſtulant vſum Sacri Ordinis, retinet verò totam ſuam iuriſdictionem, vti antea, immò & validè abſolueret in Sacramento pœnitentiæ, ſi ſolum impedimentum irregularitatis attenderetur, vti fuit explicatum Conſect. 3. poterit quoque validè & licitè aſſiſtere matrimonio, vti diximus de ſuſpenſo ab Ordine, quia ea præſentia non eſt actus Ordinis, vti eo loco monuimus, benedictiones tamẽ nuptiales, quia ex Eccleſiæ inſtitutione ſunt annexæ Ordini ſacro, dare nequibit. 18

Capvt III.

De Irregularitate ex defectu inculpabili.

Quæſtio prima, de Irregularitate ex defectu natalium.

Quæſtio ſecunda, de Irregularitate ex defectu Corporis.

Quæſtio tertia, de Irregularitate ex defectu Animi.

Quæſtio quarta, de Irregularitate ex defectu Sacramenti.

Quæſtio quinta, de irregularitate ex defectu libertatis aut exolutionis ab aliis obligationibus.

Defectvm inculpabilē appello illum, qui reuerà non eſt culpa in eo, qui ipſum patitur, quāuis aliquando culpā maximè alienam ſupponat, vt defectus Nataliū, qui non eſt culpa illegitimi, ſed crimen parentum, quamquam & aliquando ſpuria proles ſine culpa ſuſcipi poſſit à parentibus v. gr. in amentia copulatis, vti obſeruauit Koninck diſp. 18. dub. 14. conſ. 5. Mutilatio etiam, quam quis alieno ſcelere paſſus eſt, naſcitur ex ſcelere, eſt tamen ſimplex defectus in mutilato, immò ſi quis ſua intemperantia inciderit in morbum, qui illum remoueat ab Ordinibus, non dicetur tamen incurriſſe irregularitatem ex delicto, ſed ex defectu, quia ille defectus, qui eſt proxima irregularitatis cauſa, reuerà culpa non eſt quāmuis ex culpa præuia oriatur, eiuſque effectus exiſtat.

Qvæstio I.

De Irregularitate ex defectu Natalium.

Multiplex Nataliūm defectus. n. 1.
Propoſitio vniuerſalis. n. 2.
Prima Pars propoſitionis. Omnis Illegitimus eſt Irregularis. n. 3.
Occultus illegitimus malè excipitur à quibuſdam. n. 4.
Secunda Pars propoſitionis. Expoſiti non ſunt Irregulares. n. 5.
Tertia Pars propoſitionis. De Canonicè Illegitimis.

1 Mvltiplicem Natalium defectum faciunt aliqui, primus eſt eorum qui ex parentum ſcelere infamiam aliquam trahunt cuiuſmodi ſunt filij hæreticorum, verùm de his agemus, cùm de irregularitate ex infamia prouenient vltimo loco diſputabimus. Secundus defectus eſt eorum, qui ex illicito concubitu extra matrimonium naſcuntur, quos communi voce Illegitimos nominamus, neque enim placet modò accuratiùs ſingulas ipſorum ſpecies diſtinguere. Tertius defectus eſt incertitudo natalium ex qua aliqui præſumunt illegitimitatem, vt in expoſitis contingit. Quartus eſt ortus ex vero, quidem Coniugio, ſed cuius vſus illicitus redditus fuerit per votum aliquod ſolemne Caſtitatis profitendo Religionem aut aſſumendo Ordinem ſacrum, iſti enim dicuntur Canonicè illegitimi, quia iure Canonico habentur tanquam illegitimi, nam reuerà ex illegitimo quamuis maritali congreſſu nati ſunt, & turpitudinem quandam ex ſua origine trahunt.

Propositio vniuerſalis.

2 Irregvlaris eſt omnis illegitimus, non autem expoſitus, aliique quorum incerti parentes & incogniti natales exiſtunt, niſi graues coniecturæ illegitimationem aliunde perſuadeant; filij quoque Preſbyterorum ex illicito Concubitu ſiue intra ſiue extra verum matrimonium geniti illegitimi ſunt ſaltem Canonicè, ac verè Irregulares.

PROPOSITIO

PROPOSITIO ET CONFIRMATIO Propoſitionis.

PRIMA PARS.

Omnis illegitimus eſt Irregularis.

3 PRIMA Pars huius Propoſitionis, quæ omnem illegitimum irregularem eſſe, & à ſacris Ordinibus ſuſcipiendis prohibitum agnoſcit, perſpicuè definita eſt cap. 1. de filiis Preſbyt. & in 6. eod. tit. & cap. per venerabilem. Qui filij ſint legitimi & d. 56. pluribus capitibus, conſentiuntque omnes DD. quos dabit Garc. 7. part. de benefic. cap. 2. num. 1. & 5. Et ſanè ex ea origine aliquam turpitudinem ac probrum trahere videtur fœtus, quia quamuis ſolius parentis ſcelus ſit, cùm tamen infans ex eo ſcelere accipiat ſuum eſſe, in eo potiùs agnoſcitur turpiſſimæ actionis dedecus, quàm in eius authore, in ſuo enim termino ſuas omnes notas imprimit actio, non in agente, à quo fluit; quanquam & in ea infantum infamia parentum ſcelus caſtiget Eccleſia, caueatque, ne filius paterni ſceleris quondam imitator exiſtat, & ſacrum miniſterium, ſi illi mancipetur, inficiat.

4 DIXI verò omnem illegitimum Irregularem eſſe, ne quis cum à Caſtro lib. 2. de lege pœnali cap. vlt. con. 3. dicat occultum illegitimum poſſe Ordinari, vt enim non diſputem hoc loco, an quoties crimen occultum eſt, neque probari in iudicio poteſt, vitetur ſuſpenſionis & Irregularitatis pœna, vt eo loco contendit hîc author, & nos lib. de cenſur. reiecimus, exiſtimo cum communiori ſententia Nauar. cap. 27. num. 201. Vgolini cap. 44. de Irregul. §. 1. Gutierres lib. 1. qq. Canonic. cap. 13. num. 20. Auila 7. p. diſp. 3. dub. 6, con. 1. & recentioribus paſſim, hunc occultum illegitimum eſſe per ſe loqüendo Irregularem, neque video, cur ea in parte dubius hæſerit Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. 3. num. 4. quia Iura abſolutè pronuntiant illegitimum Irregularem, neque diſtinguunt inter occultum & notum; neque vlla ratio ſuadet, cur ſilente iure, aut potiùs indefinitè ſiue vniuerſaliter loquente, nos eam diſtinctionem inducamus, & ad nororiam tantùm illegitimationem doctrinam vniuerſalem reſtringamus, quamuis enim ex occulto defectu non oriatur infamia, quando tamen defectus non eſt impedimentum ratione infamiæ vt contingit hoc loco, nihil attinet ſitne occultus ſiue cognitus & probabilis ſit; quare ſi Titius nouerit certò ſe eſſe illegitimum, quamuis alii id neſciant, non poterit abſque diſpenſatione ſuſcipere Ordines niſi legitima aliqua cauſa excuſet, quia v. gr. vrgetur ad ſuſcipiendos Ordines, & huius ſui occulti impedimenti diſpenſationem obtinere non poteſt abſque graui ſua infamia quam apud Pontificem aut Epiſcopum incurret, vt ſi quis exiſtimatus Regis primogenitus, cùm tamen probè ſciat ſe illegitimum eſſe, fieri velit Cardinalis Diaconus, vti hæreditatem fratri verè legitimo hæredi relinquat, non tenebitur ſe apud Pontificem petendo diſpenſationem infamare, vti ait Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 5. num. 2. quod de cuiuſcunque etiam Cenſuræ abſolutione, alij quoque conſtanter affirmant. atverò ſi neſciat

ciat iſte ſe eſſe illegitimum poterit Ordines ſuſcipere, neque vti alibi dicam, tenetur matri, aut alteri affirmanti credere, niſi liquidò ipſi ſuam illegitimationem demõſtrent; neque mater permittere duntaxat poteſt eam ſuſceptionem Ordinum, cùm ea non teneatur ſe infamare, ſed etiam ſuadere poteſt, vt ait ibidem Layman, quia conſulit filio, quod licitè propter inuincibilem ignorantiam, qua laborat, præſtare poterit. Denique in dubio non tenetur ſe exiſtimare aut illegitimum aut Irregularem, vti ſuperius diximus & cum aliis docet Diana 4. pa. tract. 2. Reſolut. 59.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Expoſiti non ſunt Irregulares.

5 DIxi ſecundò, Expoſitos alioſve, quorum parentes incogniti, & incerti ſunt non eſſe Irregulares. Ita Præpoſit. in 3. part. q. 5. de Irregul dub. 16. n. 129. Pezant. in add. ad 3. part. q. 20. diſp. 5. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. Vnic. ſect. 24. num. 246. Malderus in 1. 2. q. 19. a. 5. diſp. 87. Kon. diſp. 18. num. 105. Auila 7. part. diſp. 3. dub. 9. Perin. tom. 2. de Religioſ. Prælat. q. 2. cap. 8. n. 36. Turrian. de Cenſur. lib. 9. diſp. 71. dub. 1. Palco. tract. de ſpuriis cap. 63. num. 3. Rodriq. c. 161. tom. 1. ſumm. & in qq. Regular. tom. item 1. q. 13. a. 1. & quæſt. 14. a. 3. Baſili. lib. 11. de matrim. cap. 9. Sanctarell. varia. Reſol. 4. q. 44. Diana alios referens 1. tr. 15. reſolut. 22. & 4. part. tr. 2. tr. Reſolut. 58. Contra Couarr. in 4. Decretal. 2. p. cap. 8. §. 3. & in Clem. ſi furioſ. 1. part. init. num. 9. Vgolin tract. de Irregul. cap. 44. §. 7. Sayr. de Cenſur. lib. 6. cap. 10. n. 39. Rebell. p. 2. de obligatio Inſt. lib. 6. q. 2. num. 15. Vaſq. 1. 2. diſp. 66. n. 48. Hurtad. diſp. 2. de Irreg. diffi. 14. num. 57. Bonac. diſp. 7. de Cenſur. q. 2. p. 3. n. 10. Garc. 2. p. de benefic. cap. 2. n. 10. Marchin de Ordine tract. 1. p. 10. cap. 1. diffic. 1. qui poſteriores dabunt alios.

Noſtra autem aſſertio ex eo manifeſtè probatur, quod ea expoſitio non poſſit afferre niſi dubium legitimationis, illudque ſatis infirmum, in dubio autem benigniora præſumenda ſunt, vnde tandem Suarez diſp. 50. ſ. 4. n. 4. Layman cap. 5. cit. & alij volunt non debere eum ordinari antequam de eius parentibus inquiratur, quod ſi nihil reſciri poſſit, ordinari omninò poſſe, tutius tamen fore ſi ab Epiſcopo diſpenſetur, id enim ipsũ poſſe in dubiis facti tradunt plerique; ſi autem ſit iam admiſſus ad ſacros Ordines, in illis tuta conſcientia miniſtrare poterit, vti Couarr. & cæteri paſſim fatentur, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, iſte autem iam poſſidet Ordines & dubium eſt an poſſit illos adminiſtrare licitè, propter defectum omninò incertum profertur quidem ab Henriq. & aliis Bulla Gregorij 14. an. 1591. qua iubet expoſitos qui à confraternitate aluntur, haberi pro legitimis ad omnes præbendas, verùm nihil inde efficitur ad noſtram ſententiam confirmandam, facilè enim dicetur fieri priuilegium iſtis Expoſitis in gratiam Confraternitatis & cum illis diſpenſari in natalium irregularitate; quare ex ea potiùs illegitimatio probaretur, niſi dicamus voluiſſe Pontificem tollere dubium hac in

parte

parte in gratiam horum Expoſitorum.

TERTIA PARS Propoſitionis.

De Canonicè illegitimis.

ITA nominantur, qui licèt ex vero legitimóque Coniugio ſuſcepti ſint, quia tamen illius vſus illicitus factus eſt, habentur tanquam illegitimi ab Eccleſia & iiſdem oneribus aut legibus, quibus reipſa illegitimi obſtringuntur, fit autem illicitus hic veri matrimonij vſus propter votum ſolemne Caſtitatis per ſacri Ordinis ſuſceptionem, aut Religioſam poſſeſſionem; ſuppono verò ex alibi dicendis votum Caſtitatis non ſolemne etiamſi faciat ſacrilegum vſum coniugij modo explicando alibi, non tamen reddere prolem illegitimam etiam Canonicè, neque proinde Irregularem, vt probat fusè Sanch.lib.de matrim. diſp. 38. num. 3. Nunc verò non fit eiuſmodi votum ſolemne, niſi in ſuſceptione ſacrorum Ordinum aut profeſſione Religioſa. Tota itaque difficultas eſt de ea prole quæ ſuſcipitur poſt ſolemne votum profeſſionis religioſæ, aut ſuſceptos Ordines ſacros, quæ controuerſia, quia plurima inuoluit, quæ aliò ſpectant, paucis dirimenda mihi videtur hoc loco, & varij caſus diſtinguendi, nam vel profeſſio Religioſa emiſſa fuit, & Ordines ſuſcepti ante conſummatum matrimonium, vel poſt eius conſummationem, vel alter coniux conſenſit vel reſtitit, aut ſiluit, quia ignorauit. 1. igitur quoties ante conſummatum matrimonium alter coniux profitetur in aliqua Religione, ſi deinde prolem ex prio re coniuge ſuſcipiat, illa ſpuria erit & illegitima; quia per profeſſionem Religioſam matrimonium fuerat diſſolutum, quare deinde non accedit ad ſuam.

Secundò, Si vir poſt contractum matrimoniũ nondũ conſummatum initietur ſacris Ordinibus, & deinde ex ſua coniuge liberos ſuſcipiat, non erunt illegitimi, quia matrimonium non fuerat per eam Ordinum ſuſceptionem diſſolutum.

Tertiò, Quoties coniux poſt conſummatũ matrimonium inſcia aut non conſentiente vxore profitebitur in religione, aut ſacris initiabitur, proles ex eo deinde Coniugio ſuſceptæ, ſiue qui voto ſolemni tenetur, debitum reddiderit, ſiue petierit, legitima erit, quia profeſſio nulla fuit, Ordines quidem validè ſuſcepti fuere contra iuris tamẽ diſpoſitionẽ; quare neque matrimonio, neque ſoboli officere poſſũt.

Quartò, Proles ſuſcepta contra legitimam profeſſionem alterius Coniugis, aut eius ad Ordines promotionem conſentiente nimirum altera parte, ſiue legitima, ſiue illegitima ſit quoad ſucceſſiones, hæreditates & parentum dignitates, neque enim placet intricatam litem, alieno loco definire, inhabilis tamen eſt ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, atque Ordines, ac proinde Irregularis, vt habetur cap. litteras de filiis Preſbyteror. Itaque docent omnes, quos inutile foret adducere.

Atque vides, quid dicendum ſit de filiis Preſbyterorum, ſi enim ex illicito concubitu nati fuerint ſiue intra ſiue extra matrimonium modo explicato, ſunt Irregulares, ſiue verè ex vero matrimonio, quamdiu eius vſus fuit ipſis illicitus, non erunt Irregulares; an verò in eadem

Eccleſia, in qua ſui parentes miniſtrant, beneficia poſſidere; aliave munera exercere, & in Clero eius cenſeri valeant, diſquiremus alibi, intereà cõſule Sayr.l.6.c.10.à n. 42.

QVÆSTIO II.

De Irregularitate ex defectibus Corporis.

Quotuplex ſit Corporis defectus.n. 1.
Propoſitio vniuerſalis. n. 2.
Expoſitio & Confirmatio. n. 3.
Prima Pars propoſitionis, cauſa huius Irregularitatis. n. 4.
Secunda Pars propoſitionis, quale corporis vitium faciat Irregularem.n. 5.
Tertia Pars propoſitionis, à quo indicandum ſit, quis defectus faciat Irregularem. n. 6.
Quarta Pars propoſitionis. Exceptio ab vniuerſali Regula. n. 7.
Qui culpabiliter ſe mutilauit eſt Irregularis. ibidem.
Qui inuitus licèt non ſine ſua culpa ab alio fuit abſciſſus, non eſt Irregularis ſi inde non impediatur Ordinis exercitium. n. 8.
Conſectarium primum. An carens oculo vel viſu ſit Irregularis.n. 9.
Conſectarium ſecundum. Quænam faciei deformitas faciat Irregularem. n. 10.
Conſectarium tertium. Quænam carentia, aut vitium cæterorum membrorum & ſenſuum faciat Irregularem.n. 11.
Conſectarium quartum. An Eunuchi ſint Irregulares.n. 12.
Varia Eunuchorum genera.ibid.
Thlliæ & Spadones, atque inuiti Caſtrati non ſunt Irregulares.n. 13.
Qui ſua culpa cauſam dederunt huic iniuria, non ſunt Irregulares. n. 14.
Qui ſanitatis cauſa abſcindi ſe voluit, non eſt Irregularis.n. 15.
Qui ſe ipſum Eunuchat culpabiliter, eſt Irregularis. n. 16.
Conſectarium quintum. An monſtroſi ſint Irregulares. n. 16.
An qui duplicata membra habent ſint Irregulares. ibidem.
An gigantes & pygmæi. ibidem.
Conſectarium ſextum, An Hermaphroditi ſint Irregulares, n. 17.18. & 19.
Conſectarium ſeptimum. Quinam morbi inducant Irregularitatem.n. 20.
Conſectarium octauum An Epileptici ſint Irregulares.n. 21.
Conſectarium nonum. An Dæmoniaci ſint Irregulares. n. 22.
Dæmoniaci liberati Irregulares non ſunt. n. 23.

DEFECTVS Corporis ad tria capita reuocari poſſunt ad ſexum nimirum, membrorum ſiue partium corporis carentiam, imbecillitatem vel deformitaté, & morborum impedimenta; verùm ex his defectibus ſexus non inducit Irregularitatem ſed incapacitatem potiùs, vti iam aliàs monuimus, an verò quando in aliquo ſexus vterque reperitur, contrahatur irregularitas, & non incapacitas, quia ſexus fœmineus non præualet, dicemus inferius. Itaque omnis irregularitas ex defectu corporis orta petenda erit, vel ex aliquo vitio corporis & membrorum eius, vel ex aliqua ægritudine, nam quod attinet ad defectum ætatis etiamſi illum communiter DD. inter cauſas Irregularitatis enumerent, eo quod, qui ita ordinatus eſt abſtinere debeat ab actionibus Ordinum quos ſuſcepit, donec legitimam ætatem attigerit, quia tamen videtur tántum eſſe conditio quædam præſcripta à lege. vt legitimè quis initietur non eſt vſ- 1

que adeò propria Irregularitas, verùm quidquid in controuerſia admodum leui ſtatuas, huius defectus explicatio aliò pertinet cum part. 2. ſcientiæ Canonicæ de Ordinibus ex inſtituto diſputabimus, vbi etiam agemus de ſuſpenſione, quam ex noua Pij II. conſtitutione incurrunt, qui in Ordinibus ſacris ante legitimam ætatẽ ſuſceptis illa nondum completa miniſtrant; reſtat igitur hoc loco ea tantùm explicanda Irregularitas, quæ ex vitio & morbo corporis prouenit.

PROPOSITIO VNIuerſalis.

2 CAVSA Irregularitatis ex vitio & defectu corporis eſt ſola impoſſibilitas ingensve difficultas, aut inſignis deformitas in exercẽdis ſacris miniſteriis ex eo defectu proueniens; quare nulla Carentia, mutilatio, debilitas & deformitas alicuius membri & partis, nullus morbus, nullumque aliud corporis vitium inducet Irregularitatem niſi impoſſibilem aut admodum difficilem vel indecentem cum adſtantium horrore & ſcandalo Ordinis ſacri adminiſtrationem Epiſcopi iudicio reddiderit, aut niſi quis ſibi ipſi culpabiliter partem aliquam aut membrum abſcidiſſet, aut abſcindi iuſſiſſet.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

3 HANC vniuerſaliſſimam Regulam tradunt Couarru. in Clem. ſi furioſus 1. part. Initio n. 5. Molin. diſp. 70. tract. 3. Tolet. lib. 1. cap. 63. aliàs 57. Auila 7. part. diſp. 3. dub. 1. Henriquez lib. 14. cap. 8. Vgolin. tract. de Irregul. cap. 46. & ſequentib. Sayr. lib. 6. cap. 7. Rodriq. tom. 1. ſumm. cap. 158. alijque deinde recentiores magno conſenſu vel expreſsè probant vel ſupponunt, cùm liquidò colligatur ex toto tit. de Corpore vitiatis, & de Clerico ægrotante, atque ex pluribus capitibus d. 55. repetenda porrò eſt diſtinctio cap. 1. allata de Irregularitate, quæ aduenit poſt ſuſceptos Ordines, & ea quæ præcedit ipſorum ſuſceptionem, vitium enim quod prohiberet ne quis promoueretur ad vllum Ordinem, ſi accidat poſt ſuſceptionem ipſorũ impediet tantum eam actionem, quam difficilem, periculoſam aut deformem admodum facit, & ad altiores Ordines promotionem, vti monuimus, retinebit tamen ita ordinatus ſuam dignitatem & gradum, vti ſcribit Gelaſi. Palladio Epiſcopo apud Gratian. d. 55. cap. præterea; probanda verò eſt hæc propoſitio.

PRIMA PARS Propoſitionis.

De cauſa huius Irregularitatis.

DIXI igitur ſecundò. Cauſam propter quam vitium aliquod corporis inducit Irregularitatem, duplicem eſſe, 1. eſt quòd qui eo laborat, vel non poſſit exequi, vel non niſi cum ſumma difficultate & periculo functionem ſacram. Secundò quod licèt poſſit præſtare miniſterium ſui Ordinis, id tamen ſine inſigni aliqua difformitate, offenſione, & ſtomacho adſtantium nequeat, quam vtramque cauſam aſſignauit Eugen. cap. 2. de Clerico ægrot. Prohibet enim Preſbytero, cui à prædone duo digiti cum 4

medietate palmæ fuerant abſciſſi, celebrationem Miſſarum, quia, inquit, nec ſecurè propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri hoc fieri poſſe confidimus, vbi igitur vitium aliquod corporis creabit periculum in miniſterio ſacro propter ineptitudinem vel debilitatem membri, aut ſcandalum propter deformitatem reddet Irregularem; quare ob eandem deformitatem & horrorem adſtantium, à ſacris officiis remouētur leproſi cap.3.& 4.de Clerico ægrot. cap.autem 1. de corpore vitiatis, permittitur qui in duello partem digiti amiſerat in ſuo Ordine miniſtrare, quia non tantum perdiderat de digito, quin ſine ſcandalo poſſet ſolemniter celebrare & cap.vlt.eod. tit. Honorius III.reſpondet Engoliſmenſi Epiſcopo, Thomam Monachum, cui caſu barrâ ferreâ vnguis dextri pollicis fuerat auulſus ad Ordinem Sacerdotij promoueri poſſe ſi ad frangendam Euchariſtiam ſit in pollice ipſo potens, quia nimirum quæ ſola reſtabat deformitas ex eo vulnere & vnguis auulſione magna non erat; oportet enim eſſe, vt dicitur cap. Expoſuiſti eodem tit. Enormem defectum, vt impediat promotionem ad ſacros Ordines,vnde ibidem quidã altera manu mutilatus antequam in Abbatem, promoueretur ab Epiſcopo neſciente, Abbatia mulctatur, & ſanè ſapientiſſimè Eccleſia hos omnes à ſacris arcet, cùm & Leuit. 21. qui notati eſſent aliqua macula à miniſterio Leuitico remouerētur, quas maculas ibi ſigillatim explicat Moſes & ad interioras animæ notas ſubtiliter traducit Gregor. 1. part. Paſtoralis cap. vlt. & ſanè quamuis ſpirituales maximè defectus à ſacris miniſtris abeſſe velit Eccleſia, vnde in illis non damnat eas omnes corporis maculas quas in Leuitis Moſes improbat, inſigniores, tamen, quæ ſacrorum auguſtam Maieſtatem & adſtantium oculos offendant, reiicere debuit. Quando autem vitium corporis affert impoſſibilitatem ſacri miniſterij, vt alicuius manus-abſciſſio, cæcitas, aliiuè ſimiles defectus ſtatim apparet impedimentum, quod potiùs ex ipſa lege naturali, quàm ex iure Eccleſiaſtico oriri videtur, atque adeò non eſſe eo caſu Irregularitatem duntaxat, ſed etiam incapacitatem, ſi cauſa eiuſmodi impoſſibilitatis, vel ſummæ difficultatis ſit propter vitium aut morbum alicuius membri, aut totius corporis, quia tamen debilitas, ex qua periculum aliquod timeri poteſt in vſu Ordinum inducit quoque hoc impedimentum, & licèt ſint plures ac diuerſi actus eiuſdem Ordinis & defectus membri aliquando impedit vnum tantum actum, non poteſt ex natura rei prohibere promotionem Ordinis, qui abſolutè loquendo poſſet ſecundum aliquem actum exerceri, immò & ſecundū omnes aliquando quamuis non ſine aliquo periculo,non potuit hæc Irregularitas niſi per legem Eccleſiaſticam induci.

SECVNDA PARS Propoſitionis.

Quale corporis vitium & defectus inducat Irregularitatem.

EX hac prima parte noſtræ propoſitionis ſequitur ſecunda in qua definio quænam vitia, defectus, & morbi inducant iſtam Irregularitatem. Dixi enim quamcun-

quæ ſiue membri, ſiue partis carentiam, mutilationem, debilitatem, aut deformitatem, quæ reddit periculoſam, aut impoſſibilem actionem ſacri Ordinis afferre hanc Irregularitatem, quod idem dè quocumque corporis aut partis morbo affirmandum eſt, è contrariò verò quicũque defectus non afferet eam impoſſibilitatem, difficultatem, deformitatem circa ſacra miniſteria tum pariet Irregularitatem, quæ vtraque propoſitio tum affirmatiua, tùm negatiua ex variis iuribus ſuperius ſtabilita eſt, & ratione euidentiſſima probatur. nam nunquàm inducitur Irregularitas ſine culpa aliqua, vel cauſa, quoties autem vitium corporis, quo nomine complector omnes defectus ſuperius enumeratos eiuſmodi eſt vt Ordinis miniſteria neque difficilia, neque impoſſibilia, neque deformia reddat, nullà prorsùs cauſa, aut culpa ſuppetit, vnde naſcatur Irregularitàs, non culpa, quia ſupponimus nullam in eo corporis defectu contrahendo admiſſam fuiſſe, de eo enim caſu ſtatuemus 3. parte, non etiam cauſa, quia illa reſpicere debet vſum Ordinum, qui aliquo modo impediatur, neque aliud fingi poteſt illius vſus impedimentum, quam vel indecentia, vel difficultàs & impoſſibilitas, neutrum autem cauſat vitium de quo agimus ſiue ſit carentia membri, ſiue mutilatio, ſiue debilitas, ſiue inepta eius conformatio, ſiue quidpiam aliud, vnde nulla omninò reſtat cauſa Irregularitatis; quare videmus eum, cui fuerat vnguis dextri pollicis auulſus non iudicari Irregularem à Pontifice, ſi nihilominus poſſit hoſtiam frangere inſulſiſſimum porrò eſt, quod aliqui volebant membrum abſciſſum deferri, vt vitetur Irregularitas, quod ridet meritò gloſſa in cap. Eunuchus d. 55. Panorm. in cap. 2. de corpore vitiat. Couarr. l. cit. & alij deinceps.

TERTIA PARS Propoſitionis.

A quo iudicandum ſit de defectu ſufficienti ad Irregularitàtem?

DIxi tertiò, Epiſcopi iudicio relinqui, vt definiat, quænam deformitas, debilitas impotentiave ſit ſufficiens ad inuehendam Irregularitatem, de qua loquimur. Ita Panorm. & cæteri Canoniſtæ in cap. 2. de corpore vitiatis, Innocent. in c. ſignificaſti eod. tit. Archidiaco. initio d. 55. quibus adhæſere ſummiſtæ magno conſenſu, & Theologi deinceps quos dabit Sayr. lib. 6. cap. 7. num. 16. Dian. p. 3. tract. 6. Reſolut. 61. Ioann. de la Cruz. 2. p. directorij tract. de Irregula. dub. 2. con. 2. Molin. tract. 3. diſp. 70. & alij paſſim, quamuis enim in illo cap. hoc arbitrium permiſſum ſit Archiepiſcopo cum Concilio ſuorum ſuffraganeorum, id factum fuit, quia agebatur de promotione in Epiſcopum, quæ pertinet ad Põtificem, vel de eius licentia ad Archiepiſcopum, cùm igitur aliæ promotiones pertineant ad Epiſcopum, ad ipſum quoque ſpectabit iudicare de hoc impedimento, quoties dubium de eo contigerit, nomine autem Epiſcopi eum omnem intelligo, qui poteſt dare dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos, ac proinde ipſos etiam Prælatos regulares cum Angelo V. Corpore vitiatus n. 5. Tabien. V. eod. n. 3. Maiol. lib. 1. cap. 2. num. 1. Auila 7. p. diſp. 3. dub. 2. Armil. V. 6

Corpore vitiatus num. 3. Henriquez lib. 14. cap. 8. num. 2. litter. A. licèt num. 21. dixiſſet contrariũ, Suar. diſp. 51. ſect. 2. n. 16. Layman tract. 5. cit. p. 5. cap. 7. n. 6. Villalob. tract. 21. cit. diffic. 35. num. 15. Miranda tom. 2. manu. Prælat. q. 8. a. 3. con. 3. Diana 4. part. tract. 2. Reſolut. 73. qui alios dabit contra Sylu. v. corpore vitiatus, q. 1. & Nauarr. cap. 27. n. 100. Barboſ. allegat. 42. de poteſtate Epiſcopi cap. vlt. & alios apud Dian. nihil enim eſt, quod illis Prælatus hoc iudicium adimat, immò debent videre, an ij quibus dant facultatem ſuſcipiendi Ordines idonei ſint, alioquin eam negare debebunt. Liberum tamen erit Epiſcopo, qui Ordines collaturus eſt, patientes aliquod eiuſmodi corporis vitium reiicere ſi ipſe exiſtimet ſufficiens eſſe ad iſtam Irregularitatem.

QVARTA PARS Propoſitionis.

Exceptio ab vniuerſali Regula.

7 DIxi quarto, Irregularem eſſe eum, qui culpabiliter ſibi abſcidit membrum aliquod aut eius partem, aut qui ſibi abſcindi iuſſit, quamuis ea abſciſſio neque miniſterium ſacrum impediat, neque inſignem afferat deformitatem; atque ità limitanda eſt ſecunda pars noſtræ Propoſitionis. Colligitur verò hæc exceptio ex variis capitibus d. 55. inferius afferendis de eo qui ſeipſum abſcidit, ex cap. maritum 33. diſtinct. & cap. vlt. 87. diſt. cap. ex parte, & cap. ſignificauit de corpore vitiatis, eſtque omnium conſenſu recepta, vt teſtatur Couarr. in Clem. ſi furioſus initio num. 6. Ratio verò mihi perſpicua videtur, plectitur enim ea Irregularitate culpa ſæuitiei ac partialis homicidij in ea abſciſſione commiſſi, quod communiter tradunt DD. apud Sayr cap. -. lib. 6. num. 16. Idcircò non attenditur aut deformitas aut impedimentum miniſterij Ordinum, cùm plerumque illud membrum ſit occultum aut pars exigua; Quare hæc Irregularitas eſt pœnalis & non tantùm indecentia, aut purum impedimentum, ideò enim quando ea abſciſſio facta fuit inculpabiliter, cauſa ſanitatis v. gr. aut ab hoſte, aut caſu, aliavè ſimili ratione nullam inducit Irregularitatem, vt perſpicuè traditur in iuribus allegatis, & ſanè non poteſt parere Irregularitatem pœnalem, illa enim ſupponit neceſſariò culpam, quam tamen hic non eſſe ſupponimus, neque Irregularitatem indecentiæ, ea ſiquidem nunquam incurritur ex carentia, mutilatione aliovè vitio membri aut corporis, niſi impediatur exercitium ſacri Ordinis aut magna difformitas cum offenſione adſtantiũ in eo miniſterio ſequatur, quæ duo non contingunt in mutilatione aut abſciſſione membri occulti, ergo quoties ea abſciſſio fuerit inculpabilis eam patienti, nullam inducet Irregularitatem: vnde confirmatur quod dicebamus cauſam huiuſcè Irregularitatis eſſe ſæuitiam & partiale homicidium in ſeipſum.

Hinc etiam colligo, nullum fieri Irregularem ex abſciſſione membri occulti & vſum Ordinum non impedientis, quoties illam inuitus ab alio patitur, etiamſi ſua culpa v. gr. quia in pœnam commiſſi criminis à iudice mutilari iubetur, aut in rixa & duello mutilatus fuit aut deprehenſus in adulterio à marito, aut 8

alio

alio quopiam exſectus fuit. Ita Præpoſit. in tertiam part. q. 5. de Cenſur. n. 117. Hurtad. diſp. 2. de Irregular. diffi. 14. num. 52. Turrian. lib. 9. de Cenſuris diſp. 62. dub. 4. Kon. diſp. 18. n. 108. faceturque Suar. diſp. 51. ſect. 2. num. 8. in rigore Iuris veram eſſe hanc ſententiam, quamuis contraria communior videatur apud Sayr. lib. 6. cap. 7. n. 15. qui plures DD. allegat, quos ſequitur Molin. tract. 3. diſp. 70. n. 18. Auila 7. part. diſp. 3. dub. 1. Laym. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 7. n. 5. Reginald. lib. 30. tract. 2. cap. 5. num. 47. Villalob. tom. 1. tract. 21. diffic. 35. n. 6. Bonac. diſp. 7. de Cenſur. q. 2. p. 2. num. 29. & 33. Ioann. de la Cruz 2. part. directorij de Irregula. dub. 2. con. 2. Filliuc. tract. 19. cap. 6. num. 177. Diana 4. p. tract. 2. Reſolut. 60. probatur nihilominus noſtra ſententia, quia omnia iura, quæ agunt de hac Irregularitate, loquuntur de abſciſſione actiua, & non tantùm paſſiua, & de ea culpa, quam in ſui ipſius mutilatione quis committit, ſiue ipſemet id præſtet, ſiue ab alio id fieri curet vt ſingulos textus expendenti patebit viditque Suar. imò indicant ſpecialē quandam audaciam & ferociam in ſeipſum, ad quam non ſufficit indirecta tantùm voluntas, qua quis vacans rei illicitæ dicitur cauſa pœnæ inde conſequutæ; damnantur enim Irregularitate cap. ex parte de corpore vitiatis, *Qui ſeipſos ſani abſciderint & affectauerint vt ab alio abſcindantur*, quis autem dicat adulterum affectaſſe, vt ab vxoris, quam corrupit, marito abſcinderetur.

Dices cap. 1. de corpore vitiatis, Clericum qui in voluntario duello amiſerat digiti partem, quæ celebrationem non impediebat indiguiſſe diſperſatione, ibi enim dicitur *poteris cum eo miſericorditer* agere & permittere; Igitur erat irregularis, non alia de cauſa, quàm quia ea abſciſſio, quamuis inuitus ab alio eam paſſus fuiſſet, erat ipſi culpabilis. Reſpondetur ex eo potius textu iuuari noſtram ſententiam, ille enim non fuit irregularis, & ex ipſo textu facilè intelligitur, neque miſericordia, quam ipſi indulgeri poſſe dixit Pontifex, eſt diſpenſatio ſuper Irregularitate, ſed eſt venia culpæ, quam in eo duello commiſerat, ait enim Pontifex, *Eius exceſſum grauem admodum extitiſſe*; quare puniendus grauiter fuerat quod obſeruauit etiam Suar. num. 7. cit. allegans Nauarr. Vides igitur ius nobis & non aduerſariis ſuffragari, iuri autem accedit Ratio, cum enim hæc Irregularitas ſit pœnalis & plectat culpam vti vidimus & aduertit Filluc. num. 177. cit. aliam ſanè non plectit, quam ſæuitiem, aut homicidium in ſeipſum, non autem illam omnem, ex qua ſequitur caſu aliquo, & non ex neceſſaria connexione membri abſciſſio, aut mutilatio, vt adulterium vel ſtuprum, caſu enim contingit, vt adulter à marito, vel conſanguineis eius, quam corrupit, deprehenderetur & exſcinderetur; cùm itaque nulla ibi ſit ſæuitia in ſeipſum, ea enim non contingit niſi dum aliquis ſeipſum mutilat, aut ſe mutilari iubet ab alio, tunc etiam tantùm hæc Irregularitas incurretur.

An verò illa abſciſſio ex indignitate & impatientia, qua quis ſibi partem digiti, aut digitum aliudvè membrum abſcindit, debeat eſſe notoria ad incurrendam Irregularitatem, cuius meminit cap. Qui partem d. 55. quæri poteſt, affirmat Tannerus 3. part. diſp. 6. q. 10. num. 18.

num. 18. Vgolin. de Irregula. cap. 51. num. 1. Reginald. lib. 30. tract. 2. cap. 5. num. 4. Rodriq. cap. 158. n. 7. tom. 1. & quando pars membri tantum abſciſſa fuit, Couarr. & denique communiter DD. id tamen pendet ex quæſtione ſuperiùs agitata, an delictum occultum ſufficiat ad incurrendam Irregularitatem, quod affirmauimus cap. 2. q. 2. 3. part. propoſitionis.

Consectarivm I.

An carens viſu vel oculo ſit Irregularis?

9 EX vniuerſaliſſima doctrina in ſuperiori propoſitione tradita innumeras fere quæſtiones definire licebit, quarum aliquot afferemus.

Prima eſt circa vitium oculorum, quod multiplex eſſe poteſt, aliqui enim carent vno aut altero oculo, ſiue erutus & effoſſus illis ſit, ſiue quo alio caſu eo fuerint orbati, alij quamuis minimè careant oculis, facultatem viſiuam, aut impeditam aut infirmam, aut nullam habent, ſiue in altero tantùm oculo ſiue in vtroque, propter albuginem aut maculam, aut aliud impedimentum, vel ipſius facultatis extinctionem.

Primò itaque qui cæcus eſt, vel quia caret oculis, vel quia orbatus eſt lumine & viſu quocumque caſu id acciderit, Irregularis eſt, cùm ad omnia ferè munera Eccleſiaſtica ineptus cenſeatur. Can. 76. Apoſtolo & cap. hinc enim §. cæcus diſt. 49. ſi autem quis cæcus fiat poſt ſuſceptos Ordines poterit ea, quæ viſum non requirunt, exercere, Confeſſiones v. gr. audire, Conciones habere, vt de Didymo Alexandrino proditum eſt, quod enim de cæcitate Bedæ & habita ab ipſo Concione ad lapides quos homines eſſe exiſtimaret, circumfertur, in nugis numerat Baronius Anno Chriſti 731. poſſe tamé à Pontifice diſpenſari cum eiuſmodi cæco, vt celebret, modò ſibi Coadiutorem adhibeat, certum videtur, cùm ad ſacrificandum ſatis ſit materiam eſſe ſenſibiliter præſentem, etiamſi enim perſpici nequeat oculis, alio tamen ſenſu percipi poterit manu v. gr. contrectari. Itaque ſacerdoté cæcũ ex diſpenſatione Pontificia celebrantem vidiſſe ſe refert Soto in 4. d. 13. q. 1. a. 10. ad 3. Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 2. littera N. neque opus eſt dicere cum Sayro lib. 6. cap. 8. n. 6. illos non fuiſſe ita cæcos, vt nihil omninò viderent, vel enim ſufficienter ad celebrandum videbant, & ita non fuit opus diſpenſatione, nam qui aut breuiorem viſum habent, aut qui indigent conſpiciliis non ſunt Irregulares ex communi ſententia apud Vgolin. cap. 47. n. 3. & 4. vel non videbant ſufficienter ad celebrationé, & ita ſe habebant reſpectu eius, atque ſi omninò cæci fuiſſent; quare in eo caſu æquè difficilis erat diſpenſatio, & ſi in vno data eſt, in altero quoque dari potuit.

Secundò. Monoculum communiter DD. pronũtiant irregularé cum Sylu. V corpore vitiatus n. 5. ex cap. ſi Euangelica diſt. 55. quod tamen, vt cum Nauarr. cap. 27. n. 199. obſeruat Molin. tract. 3. diſp. 70. n. 6. loquitur tantùm de eo, cui erutus aut effoſſus ſiue mutilatus eſt oculus, quod vix vnquàm contingit ſine inſigni aliqua deformitate; quare

Tertiò. Circa priuationem luminis

minis & viſus in altero tantùm oculo integro & minimè deformi diſtinguendum eſt cum eodem Nauarr. & Molina, quibus cæteri deinceps recentiores adhæsêre, de oculo dextro & ſiniſtro, ſi enim ſolus dexter lumine & viſu deſtituatur ſine vlla notabili deformitate non contrahitur Irregularitas, quia tunc neque eſt indecentia & difformitas, neque impedimentum actionis ſacræ; ſi autem oculus ſiniſter qui & Canonis dicitur, orbatus ſit viſu, quia Canon recitari nequit ſine difformi quadam faciei conuerſione, contrahitur Irregularitas, niſi ea ſit vis luminis dextri, vt abſque indecenti conuerſione Canon legi poſſit, tunc enim ceſſat tota ratio huius difformitatis.

Quartò. Circa maculam oculi, ſiue ea ſit lippitudo, ſiue albugo, ſiue diuaricatio oculorum, ſiue prominentia, ſiue inæqualitas, ſiue magnitudo inſolens, ſiue aliud quodpiam, Epiſcopi erit arbitrari, an ea ſit difformitas, quæ offendat animos adſtantium & ſacrum miniſterium dedeceat, vt remoueat ab ordinibus, qui iis vitiis laborant, aut illos admittat; neque alio ſenſu ſtrabones & lippi aliique ſimiles dicuntur Irregulares, de quibus Maiol. cap. 20. cit. Sayr. cap. 8. & alij paſſim.

CONSECTARIUM II.

Quænam faciei deformitas faciat Irregularem.

10 IN facie non modò totius hominis dignitas elucet, ſed omnes ferè ſenſus tanquam in illuſtri ſede locati ſpectabiles ſe faciunt, quare ex eius maximè ſpecie pulchritudo aut deformitas hominis peti ſolet.

Hæc porrò faciei deformitas, quæ ſi inſignis eſt, ab Ordinibus remouet, petitur à colore, notis quibuſdam, & partium, quibus illa conſtat, defectibus.

Quoad colorem autem ſiue ille niger, ſiue albus, ſiue croceus ſit, vt in aurigine & morbo icterico non inducit Irregularitatem ex Maiolo lib. 1. cap. 21. ſecus dicendum eſt de alio quodam morbo, qui fœdo quodam furfure totam faciem inficit & illam horridam reddit, cuius meminit Plin. lib. 36. cap. 1. & mentagra dicitur, eſtque inſanabilis, quare Irregularem facit ex eodem Maiol. ibid. ſub fin. Henriquez lib. 14. cap. 8. n. 2. & Sayr. lib. 6. cap. 8. n. 10. qui adducunt Speculato. in cap. ſi forte de Electione in 6. n. 5.

Hinc fit vt Æthiopes minimè ſint Irregulares, vt ibidem contendunt DD. citati, quibus accedit Gauant. in Enchiridio Epiſcopo. v. Irregularitas num. 18. & Dian. 4. part. tract. 2. Reſolut. 84. Vgolinus tamen aliter ſentit cap. 54. num. 4. de Æthiopibus inter nos verſantibus, horrorem enim generant, quod mihi falſum non videtur. Qui faciem fucant, aut barbam crineſque tingunt, non niſi poſt pœnitentiam admouendos eſſe ad Ordines monet Maiol. lib. 1. cap. 21. ſub fin. ſed quo Iure non probat, ſcio quidem Clement. lib. 3. Pædagog. c. 3. aduerſus pilorũ tinctores multa conqueri, ſed de Irregularitate nulla mentio eſt.

Secundò. Inſignes aliquæ notæ in facie, vt cicatrices quoties offendunt oculos ſpectantium pariunt difformitatem, neque quidquam intereſt, quod culpa illas parientis inductæ ſint, vti velle videtur Maiol.

G cap,

cap. 21. cit. nam cùm hæc Irregularitas non ſit pœnalis, nulla requiritur culpa, qua puniatur, ſatiſque eſt reperiri illam difformitatem, propter quam ſacrorum ſanctitas poſtulat quoſdam ab illis excludi.

Tertiò. Conformatio vitioſa faciei facit Irregularitatem, Primò, quando quis habet os turpiter diſtortum. Secundò, labra corroſa, aut abſciſſa, ita vt vix dentes operiant. Tertiò, Denaſati quoque Irregulares ſunt, ſi verò nares tantùm corroſas habeant, aut diſtortas, aut grandiores ſolito, aut multum breuiores, Epiſcopi fuerit arbitrari de illa difformitate ex Maiol. lib. 1. cap. 22. & aliis communiter. Quartò, dentium defectus non facit Irregularem, quia non ſunt membra corporis. Vnde obſeruat Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 2. litt. S. Eum qui excutit vel ſibi, vel alteri dentem non fieri irregularem, eorum tamen fœda prominentia extra os inducit Irregularitatē, vnde reſecandos eſſe monet Vgol. cap. 50. n. 5. Quintò, defectus auricularum aut alterius tantùm, aut partis alicuius notabilis facit Irregularem. Ita Maiol. lib. 1. cap. 25. Henriq. cap. 8. cit. num. 3. Sayr. cap. 8. lib. 6. n. 17. Vbi alios refert; ſed mihi imprimis diſtinctio abſciſſionis culpabilis aut inculpabilis, qua vtitur Maiol. inutilis videtur, quia vel non punitur culpa in hac Irregularitate, vel ſi aliqua punitur, ea eſt ſola ſæuities in ſeipſum; quare quoties ea abſciſſio fiet ab alio nobis inuitis, quamuis culpa noſtra dederimus occaſionem, non inducet vllam Irregularitatem niſi ratione inſignis deformitatis, ad quam tandem tota iſta Irregularitas reuocanda eſt; quare ſi capillitio aliave ratione eam difformitatem, quæ inſignis omninò eſt, occultare liceat, non erit Irregularitas, vt Auila 7. part. diſputat. 3. dub. 1. Kon. diſp. 18. n. 108. Filliuc. tract. 19. cap. 6. num. 169. Bonac. diſp. 7. q. 2. p. 2. num. 8. poſt Henriquez cap. 8. citat. num. 3. aſſerunt.

Consectarium III.

Quanam Carentia aut vitium cæterorum membrorum aut ſenſuum faciat Irregularem? 11

Hanc Controuerſiam ex hactenus dictis facilè fuerit definire.

Primò igitur, ſurdus omninò, cum careat ſenſu neceſſario, Irregularis eſt ex Can. 7. Apoſtolorum, quod ſi poſt initiationem contingat eà ſurditas poterit adhuc Miſſam ſumiſſa voce celebrare, non autem ad Miſſam ſolemnem, aut publicam admitti debebit ne riſum moueat; quod ſi ſurdaſter duntaxat ſit, quia difficilè audit, Irregularis non erit modò vt diximus non careat auribus cum turpi deformitate. Ita Filliuc. tract. 19. num. 169. Sayrus cap. 8. num. 17. & alij.

Secundò. Qui caret ſenſu odoratus, integro tamen naſo & non corroſo, aut difformi irregularis non eſt, quia hic ſenſus vix neceſſarius eſt ad ſacra miniſteria exercenda. Filliuc. num. 170.

Tertiò. Qui mutus eſt, ſiue lingua careat, ſiue non, eſt irregularis ob impoſſibilitatem exercēdi actiones Ordinum, qui verò impeditioris tantùm linguæ & bleſioris eſt pro difficultate, quam patitur in loquendo, pronunciandus erit irregularis

iudicio

iudicio Epiſcopi. Ita omnes apud Sayr. cap. 8. num. 21.

Quartò. Qui carent vtraque manu, aut altera tantùm, aut qui ita debiles habent, vt hoſtiam contrectare, frangere & eleuare calicem non poſſint, aut non ſine periculo, Irregulares ſunt, idem enim cenſetur carere membro aut illud ineptum ad opus faciendum habere; Quod item dicendum eſt, de eo qui caret pollice, qui verò orbatus eſt aliquo digito, aut vnguibus, ſi ea priuatio neque magnam debilitatem, quæ impedimento ſit ſacris miniſteriis, neque deformitatem afferat, Iudicio Epiſcopi, non pariet Irregularitatem, in quibus omnes DD. conueniunt.

Quintò. Qui altero pede caret, aut qui pede ligneo opus habet ad altare, aut qui ſine baculo nequit conſiſtere etiam in altari, Irregularis eſt tum ob membri carentiam, tum propter indecentiam, qui autem habet pedes diuaricatos, aut alio vitio laborantes modò veſtibus tegi poſſit ea difformitas, non erit Irregularis, ſicut neque claudus ex aliquo morbo, vt dicitur cap. ſi quis diſt. 55. quod de claudo, qui ſine magna indecentia aſtare poteſt altari, intelligunt omnes DD. apud Molin. tract. 3. diſp. 70. n. 6. & Sayr. cap. 8. cit. n. 22.

Sextò. Cui Splen vel Curationis cauſa, vel ad cōparandam velocitatem vel alia de cauſa fuerit ablatum, non erit Irregularis, cùm huius occulti membri carentia nullam aut deformitatem, aut impedimentum actionibus ſactis afferat, ibi Maiol. lib. 1. cap. 16.

CONSECTARIUM IV.

An Eunuchi ſint Irregulares?

RESPONDETUR cum Balſam. in 12
Can. 24. Apoſtolq. tria eſſe Eunuchorum genera. Primò, Thlibiæ, qui ab infantia genitales partes amiſerunt, eo quod à parentibus illis expreſſæ & inutiles redditæ ſint. Secundò ſpadones, qui à natiuitate teſticulos non habent; & Tertiò, Caſtrati, qui ferro exſecti ſunt, cauſtrum enim inquit, Romanis ferrum eſt, καυϛρον παρὰ ῥωμαίοις σίδηρος, fortè voluit κέρος, quod erat teli genus à Perſis inuentum, vt Suidas deſcribit, quidquid ſit, Caſtrandi & Caſtrationis voces crebræ ſunt apud Iuriſconſultos, vti obſeruat Anton. Auguſtin. loco ſtatim afferendo. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 68. de duplici Eunuchiſmo, Contuſione & exciſione diſputat, contuſio fiebat κατὰ θλάσιν per compreſſionem, relaxatis enim membris infantium aqua calida in balneo, teſticuli digitis comprimebantur, donec abolerentur & euaneſcerent; atque hi pueri erant in deliciis virorum Principum & Matronarum, quare & pretioſè venibant l. ſi ſeruus §. ſi puerum ff. ad legem Aquiliam, ſi puerum quis caſtrauerit, & pretioſiorem fecerit, Viuianus ſcribit, ceſſare Aquiliam, ſed iniuriarum erit agendum &c. & Quintilia. lib. 5. Inſtitution. cap. 12. ait Mancipiorum negotiatores formæ puerorum exciſa virilitate lenocinari, huius turpitudinis inuentionem Marcelli. lib. 14. Hiſto. tribuit Semiramidi, eademque ratione in mulieres inſaniuiſſe quoſdam veteres cōſtat, nam Adramythem Lydorum Regem Eu-

nuchos habuiſſe ſcribit Athenæ.l.12. dypnoſ. cap. 12. Quod verò attinet ad diſtinctionem Eunuchorum allatam, eandem Theophilus in ſuis Inſtitutionibus aliique Iuriſconſulti admittunt, & inter hæc Eunuchorũ genera plurima diſcrimina conſtituunt, vt latè diſſerit Antoni. Auguſtin. lib. 3. Emendation. cap. 5. aliquando tamen Spadonis vox vniuerſalius accipiebatur pro Eunuchis vt Caſtratos & Thlibias cõprehenderet,quod ex Vlpiano oſtendit ibid. Auguſtin. *Si ſpadoni*, inquit Vlpian. *mulier nupſerit diſtinguendum arbitror, caſtratus fuerit, nec ne vt in caſtrato dicas dotem non eſſe, in eo qui caſtratus non eſt, quia eſt matrimonium, & dos, & dotis actio*, & Mamertinus in Panegyrico, *nec fœminas tantùm, ſed ſpadones quoque, quos quaſi conſortio generis humani extorres ab vtroque ſexu aut natura origo, aut corporis clades ſeparat*, immò iſta vox σπάδων apud Suidam ſignificat exſectum, & νεωσπάδα recens auulſam & σπαδανίσματα conuulſiones & contractiones, vt videas harum vocum ſignificationes admodum fuiſſe confuſas; nam etiam Caſtrati, tum qui natura, tum qui arte tales fiunt nominantur, quod obſeruat Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 16. num. 1. ex Alciato in L. Spadonum 128. ff. de Verbo.ſignific.Eunuchi etiam pro iis, qui arte tales fiunt, ſumuntur, aliquando & diſtinguuntur à Spadonibus, apud Lucian.in Eunucho, vnde & Varro in lege Mæuia, ſcriptum ait, maiorem, parentem, patriam, extinguere eum, qui ſe eunuchat, nos tamen hæc nomina in propria ſignificatione ſumimus & vocamus Thlibias ſiue Thlaſias eos, qui pueri à nutricibus aliiſque attritione & contuſione, aut etiam exciſione Eunuchi redditi ſunt; ſpadones autem, qui aut natura tales editi sũt aut valetudine, alióve corporis vitio præpediti & inhabiles ſunt congreſſui maritali, etſi partibus generationi deſtinatis minimè careant, qua ratione ſpadones nominantur ab Agricolis ſurculi ad germinandum inutiles, teſte Columella lib. 3. cap. 10. Vnde etiam ſpadonibus Iure Ciuili permittebatur matrimoniũ non verò Caſtratis. l. ſi Serua. §. fin. ff. de Iure dotium vti dicemus alibi

Dico igitur Primò. Ex omnibus his Eunuchis, Thlibias, Thlaſias & Spadones minimè à ſacris remoueri ex Can.21.Apoſt. & can. 1. Niceno.

Dico ſecundò. Caſtratos, quibus inuitis ferro, aliavè ratione exſecta ſunt virilia, ſiue ſua culpa cauſam dederint huic abſciſſioni, ſiue per ſummam iniuriam id paſſi ſunt, ad Ordines promoueri poſſe, & ſanè de iis,qui à Dominis aut à Barbaris exſecti ſunt;id fatentur apertè Canones Apoſtolo.& Nicen.primus,

Quæſtio verò eſt de iis, qui ſua culpa cauſam huic iniuriæ dederunt. Primò, quia ea pœna plectuntur à Iudice, quod Francis in vſu quondam fuiſſe leges Salicæ teſtantur, nam ſeruus, qui quadraginta denarios ſubripuerat, caſtrari iubebatur tit. 13. de furto ſeruo. §. 2. & ſeruus qui cum aliena ancilla mœchatus fuerat,ea mortua caſtrabatur tit. 29. de adulteri.ancilla. §. 6.

Secundò. Quia in vltionem illatæ alteri iniuriæ ab ipſo ita mutilantur quamuis iniuſtè, vt adulter à marito fœminæ, quam corrupit, quod factum Pinciæ an. 1535. ex Villadiego narrat Couarr.in Clem. ſi furioſ. initio num. 6. hi enim videntur volentes exſcindi.

Hos itaque exſectos Irregulares

communiter

communiter faciunt DD. nos verò negamus ex iis, quæ in vltima parte noſtræ Propoſitionis ſtabiliuimus, DD. enim eo loco allegati loquuntur de hac ſectione virilium, & reuerà omnia iura quæ ſeipſos abſcindentes arcēt ab Ordinibus, loquuntur tantùm de abſciſſione actiua, & non paſſiua, etiamſi illa ſit indirectè voluntaria, & quod quis ſua culpa cauſam illi dederit, neque enim actio illa fuit neceſſaria occaſio, ſiue neceſſariò connexa cum abſciſſione, licèt præuideri potuerit, & voluntas indirecta non poteſt eſſe fortior voluntate directa cōtraria, neque Reus commeritus ſuſpendium dicitur ſeipſum ſuſpendiſſe, aut fur, qui in furto deprehenſus occiſus fuit, dicitur homicida ſui ipſius, atque adeò ſi quæ pœnæ homicidis ſui ipſorū impoſitę ſunt, quæ poſt mortē infligi poſſint, vt ſuſpenſio Cadaueris, negatio ſepulturæ, aliæque eiuſmodi illi minimè ſubeundæ erunt, atqui non alia de cauſa Canones eos, qui ſeipſos abſciderunt, à Clero reiiciunt, quàm quia homicidæ ſui ipſorum ſunt, vt ſtatim monebo, quod nemo dixerit de adultero à marito exſecto, aut ſeruo à Iudice caſtrato, vti fieri quondam à Francis ſolitum fuiſſe monebam.

Dico tertiò. Illum qui morbi cauſa ſeipſum abſcidit, vel ſe abſcindi volens permiſit, aut iuſſit, non eſſe Irregularem contra Balſamon, qui in Can. 24. Apoſtolo. exiſtimat omnem Clericum, qui quouis ſanitatis obtentu ſe abſcindi permiſerit à ſacris excludi, quia Canon 23. Apoſtolo. abſolutè pronuntiat, Clericum, qui ſeipſum mutilauit ἀκρωτηριάσῃ, deponi, verùm ex eadem indefinita loquutione æquè colligere debuerat Balſamon, etiam non Clericū, qui cogente morbo ſe mutilauerit, à Clericatu deponi, quia Canon prior, nempe 22. abſolutè quoque prohibet eum qui ſeipſum mutilauit, ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, fieri Clericum, neque quidquam diſtinguit de cauſa huius mutilationis; Deinde Laicos, qui ſe mutilant, tribus annis ſegregari iubet Can. 24. quod Balſam de iis, qui morbi iniuria ſeſe abſcindunt, interpretatur, cùm tamen nihil in textu ſit, vnde id colligat, mos verò ille, quem ibidem refert Balſamon deferendi pueros caſtrandos ad Eccleſiam, & morbum ac abſciſſionem, τῶν διδύμων ἐκκοπὴν aperiendi, non fauet huic opinioni, ſed potius oſtendit, hanc abſciſſionem ab Eccleſia morbi cauſa probatam fuiſſe, quod ſi parentes poterant abſque culpa filiorum ſanitatem abſciſſione eiuſmodi tueri, quidni & ipſi potuerint illam, eadem vrgente cauſa, imperare, immò & ipſi, ſi neceſſitas vrgeret, perficere, vt ſtatim dicam. Denique omnem dubij cauſam ſuſtulit Nicenum, Can. 1. Apoſtolorum mentem & Eccleſiæ totius ſenſum interpretans, eum enim, qui cùm ſanus eſſet, de induſtria ſeipſum abſcidit, à Clero remouet, neque rectè ibidem Balſamon id exponit de iis, qui ante Sacerdotium exſecti ſunt ſanitatis cauſa, quibus tamen non niſi poſt Sacerdotium lis mota fuit, nam verba ipſa Canonis loquuntur apertiſſimè de Clerico exciſo, cum iubet in Clero manere, ſi morbi cauſa exſectus fuit, ſi autem ſanus ſe abſcidit à Clero ceſſare πεπαῦσθαι, & deinceps nullum eiuſmodi promoueri; neque eſt quidpiam in toto eo textu, vnde eam exſectionem ante Clericatum factam fuiſſe colligatur.

Reſpondet ſecundò Balſamon,

intelligendum eſſe Nicenum Canõnem de caſtratis poſt Sacerdotium ſanitatis cauſa ex venia Eccleſiæ, tunc enim à Clero remouendi minimè forent, quãquam addat nulli id vnquam permiſſum fuiſſe etiãſi dum ipſe Cartophylax & Patriarcha eſſet, multi id Synodicè petierint; verum licèt non dubitemus Eccleſiæ veniã tollere omnem Irregularitatẽ, ſi quæ foret eo caſu, inde tamen minimè probatur, reuera eiuſmodi abſciſſionem prohibitam fuiſſe, ſed tantùm petitam veniam ab Eccleſia ad vitandum dubium, ſi quod ſuboriretur, & Eccleſiam id noluiſſe, niſi rarò admodum, permittere, propter periculum tam inſoliti remedij, atque ita Martinus Bracarenſis in capitulis Synodorum Græcæ cap. 21. hunc Nicænum Canonem refert, quem Gratianus in veteribus Codicibus c. ſi quis in Infirmitate d. 55. Martino Papæ inſulsè tribuerat; vti obſeruauit Couarr. in Clem. ſi furioſus, initio num. 6. & nos alibi, in quem eundem errorem impegit quoque Iuo part. 6. cap. 374. Adde Zonaram in Can. 24. Apoſt. & 1. Nicen. eadem planè ratione eos omnes Canones interpretari, & eos qui ſe morbi cauſa exſcindere curarunt, minimè à Clero reiici, & ſanè cùm idcircò Apoſtoli eos, qui ſe abſcindunt, damnent, quia ſunt ſui ipſorum homicidæ, & diuinum opificium deſtruunt, ſtatim apparet iis, qui ſanitatis cauſa exſectionem patiuntur, ſui ipſorum homicidium exprobrari non poſſe. Denique Pariſienſem quendam Presbyterum, qui ob lepræ periculum virilia ſibi iuſſerat abſcindi, ad altaris miniſterium admittendum eſſe ſcripſit Innoc. III. ad Epiſcopum Pariſienſem cap. ex parte de corpore vitiatis, *Quoniam*, inquit, *Canones SS. Patrum hunc à ſacri altaris adminiſtratione non prohibent*, itàque deinceps contra vnum Balſamonem magno conſenſu cæteri docuerunt Molin tract. 3. diſp. 70. num. 15. Maiol. cap. 15. cit. Tolet. lib. 1. cap. 57. lect. 63. in ſecunda Regula, qui ait id verum eſſe etiamſi quis ſeipsũ abſcinderet, quod tradit quoque Sylu. V. corpore vitiatis num. 3. ſi non adſit copia alicuius Chirurgi, qui id præſtare poſſit.

Hinc vides falsò dixiſſe Rodriq. cap. 158. tom. 1. num. 7. eum, qui accedens ad Scortum, quod ſciebat lue venerea laborare, eâdem inficitur, atque pudendi putrefactionem abſciſſionemque pati cogitur, Irregularem eſſe, eo quod vacans rei illicitæ dederit cauſam huic abſciſſioni, nam neque ſeipſum ãbſcindit, eo quod ſua culpa cauſam det abſciſſioni; neque abſque cauſa eam patitur, ſed vrgente lue & morbo, quamuis ſua culpa eum morbũ contraxerit; qui enim ſua culpa impotentem ſe reddidit ad ſeruandam legem, Reus deinceps non eſt violatæ legis, vt omiſſi v. gr. ieiunij, qui ſua intemperantia ita debilitauit ſtomachum, vt ieiunium amplius ferre non poſſit quod in ſcientia Canonica fuſius oſtendimus.

DICO quartò. Illum qui abſque iuſta cauſa ſe eunuchiſat, aut eunuchiſari permittit, vt loquitur Dionyſius Exiguus in ſuo Codice Canones Apoſtolorum interpretatus, Irregularem eſſe. Ita enim diſertè definiunt Apoſtoli Can. 22. 23. & 24. quo vltimo loco Laicum, qui id tentarit, à communione fidelium tribus annis ſegregauit; conſentit Nicen. Can. 1. & Concilij Arelatenſ. 2. can. 7. viguitque ſemper in Eccleſia ea lex. Ratio porrò, qua 16

perſuaſi

perſuaſi ſunt Apoſtoli, fuit ſæuitiei hominis in ſeipſum, vnde hos vocant ſui homicidas, & inter omnes modos ſæuiendi in ſeſpſum, damnatur imprimis iſta exſectio, cùm ſit in DEVM contumelioſa & apud ſapientes probroſa, cuirati enim iſti homines bonis omnibus odio ſunt; vide quæ benè multis in hæc monſtra, hominum refert ex Cyrillo Suidas. V. σπάδων, vbi περιτμόρφων σεσ-σώτων appellat;alia dabit Petrus Gregor. lib. 7. ſyntagmat. cap. 2 quam ſeuetis etiã legibus poſteriores Imperatores hanc turpitudinem caſtigarint, & à Romani Imperij finibus proſcribere tentarint monet Photius in Nomo-Canone tit. 5. cap. 14. & ibid. in Scholiis Balſamon nouellam Iuſtiniani, aliaſque aliorum Imperatorum ſanctiones ex libris Baſilic. referens. Quas Romanorum leges Franci noſtri in ſuis ſalicis æmulati ſunt. tit. de debilitatibus. §. 17. 18. 19. & 20. vbi non tantùm eum, qui ingenuum caſtraſſet ſed etiam qui antruſioni eandem iniuriam irrogarit, mulctant pecunia non leui cui pœnæ ſubiicitur quoque Saleucus, qui alium Saleucum caſtrauerit; & demùm Carol. Magnus in legibus Capitularibus, quas legibus Longobardorum addere placuit cap.3. impuram iſtam Caſtrationem punit.

Maiori verò laborant infamia, qui volentes exſectionem patiuntur licèt falsò obtendant amorem caſtitatis effrænatæ libidini ſuæ quæ incenditur potiùs, quàm ſopiatur, vti docet eruditè Baſil. lib. de Virginit. ſub calcem, & Epiſt. 87. Cyrill. apud Suid. loco citato Palladi. in vita Ioann.Chryſoſt. apud Lippoman. pluribus enim deplorat ſtatum Epheſinæ Eccleſiæ, cui Eunuchus Epiſcopus præerat, cuius inſanam libidinem deſcribit atque Theodorum R. E. diaconum eius promotores damnaſſe,& eodem loco habuiſſe atque eos qui Chriſti capiti coronam ſpineam impoſuerant. Sanè hanc exſectionem non amãt iſta virilia ſcorta niſi vt inter puellarum greges liberius laſciuiãt vt de Leontio Preſbytero Antiocheno, qui ſe exſcindi voluit,vt cum puella Euſtotio, de cuius commercio infamabatur, liberiùs conſueſceret Teſtatur Athanaſ.Apolog.de ſua fuga.ſub.fin. & Epiſt. ad ſolitarios, Socrat. lib. 1. cap. 21. Theodor. lib. 2. cap. 24. atque id facinus cauſam dediſſe Nicenæ Synodo condendi Canonẽ, cuius hactenus meminimus,eo quod leges Apoſtolicæ de hac re in deſuetudinẽ abiiſſe alicubi viderentur,quod obſeruauit quoque Zonaras Monachus in illũ Canon. ſed ead. de cauſa iam olim à Demetrio Alexandrino dãnatus fuit Origenes, quãquàm id ſuccis potiùs & pharmacis,quã ferro ab ipſo tentatum fuiſſe quidam exiſtimant apud Epiphan. Hæreſ. 64. qui quam inconſtãtes fuerint de eo Origenis facto Opiniones refert; Eius tamen exemplo deinde Monachi Ægyptij ſeſe abſciderũt, ſed à Theophilo Alexandrino cõmunione priuati à nullo Epiſcopo admitti vnquam valuerunt, donec ab Epiphanio tandem admoniti correctique ſunt, quod in vitis SS. PP. narratur. Fuit denique ſecta quædam Eunuchorum ſeu Valeſiorum à Valeſio quodam Arabe authore diffamata, qui ſuos omnes, aut ſeipſos caſtrare, aut id ab aliis pati cogebãt,quodvbi præſtitiſſent omnibus animantibus, quibus abſtinebãt antea vti poterãt. Ita Auguſt. de Hæreſ cap.37. & Epiphan. hæreſ. 58. Errarunt nimirum hi

hi omnes,qui ad litteram ſeruandum eſſe Chriſti ſiue conſilium, ſiue præceptum, de Eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum imperitè exiſtimauerunt, cùm Chriſtus loquatur de his qui volẽtes abſtinẽt à re vxoria, & quos Eunuchos non neceſſitas,aut impotẽtia,ſed volũtas reddit, caſtitas enim caſtratorũ laudãda non eſt,vti latè exponitCouarr. in Clem. ſi furioſ. initio. n. 7. Quare Chriſtianus Adoleſcens Alexandrinus, qui ea ratione libidinis motus exſcindere voluerat, non potuit ab Auguſtali præſide obtinere, vt liceret medico, qui pœnam legibus ſancitam metuebat ſibi in ea abſciſſione operam præſtare,vt tunc Alexandriæ degens teſtatur Iuſtin. in Apologia ad Antonin.

Consectarium V.

An monſtroſi ſint Irregulares?

17 Mõnstrosi ſunt diuerſi generis. Primò, enim aliqui duplicia aut plura habent membra, duo v. g.capita,tres manus, ſex digitos in manu. Secundò, alij membra compoſita& conſtructa inſolito more gerunt. Tertiò, quidam magnitudine vel paruitate inſolita laborant,vt gigantes & pigmæi. Quartò, denique quidquid à cõmuni ratione naturæ, vel in figura, vel in quantitate abhorret monſtroſum eſt.

Primò igitur monſtra, vti vulgi ſenſu capiuntur, pro inſolenti admodũ corporis conformatione quocunque tandem vitio laborent, cùm horrorem quendam afferant, Irregulares ſunt,vt qui habent plura capita, plures manus quàm par ſit, qui caput in ventre gerunt, aut oculos aliamve aſpectabilem partem extra naturalem ſuum locum ſitam,vnde non poteſt non magna oriri difformitas; immò eiuſmodi monſtra nequidem inter liberos computantur, quoad iura ſuccedendi, leg. non ſunt. ff. de ſtatu hominum.

Secundo, habentes ſex digitos in pedibus aut manibus, non ſunt Irregulares, niſi ſextus ille digitus pariat magnam difformitatẽ, quod relinquitur Epiſcopi iudicio, & niſi impediat liberum aliorum vſum ad exercitium ſacri Ordinis, vt in duplicato pollice vel indice facilè contingere poteſt, ita Sayr. lib. 6. cap. 8. num. 1. Dian. 3. part. tract. 6. Miſcellan. Reſolut. 61. Tabien. V. corpore vitiati numero 2. Maiol. lib. 1. cap. 13. num. 3. ſumma Confeſſo. lib. 2. tit. 1. q. 44. & alij à Sayr. & Dian.relati,ſi quis autẽ digitũ illũ ſibi abſcindat, aut abſcindi curet citra vitæ periculũ, & ne inde aut debilitas aut deformitas maior oriatur, minimè erit Irregularis, quod Tabien. & Sylu. eod. verbo corpore vitiati, & Sayr. lib. 6. cap. 8. num. 1. Rodriq. tom. 1. cap. 158. num. 7. aliique docent, quod idem dicendum eſt de reſecatione digiti longioris, aut diuulſione eorum, qui eos coniunctos habent.

Tertiò. Gigantes & Pygmæi Irregulares non ſunt, niſi ita proceri, aut puſilli ſunt, vt omnibus admirationem & riſum excitare valeant, quamquàm cùm ſoleant facilè homines his aſſueſcere, aut ex ea ſtaturæ inſolentia non tam offendãtur, quàm ſtupeant, vix vnquam ex illa naſcetur Irregularitas. Vide Maiol. lib. 1. cap. 13. ſanè Turonenſem Gregorium tam breuis ſtáturę fuiſſe, vt omnibus Romanis ſui admiratio-

nem

rem cieret, vulgo tradunt, narratque Ioann. Andr. in 6. Decretalium in proœmio V. à multis. Ioannem Mariã de Caſtello Bononienſi Manſionarium,& Iuris Canonici peritiſſimum, tam puſillum fuiſſe; vt cùm coram Bonifacio VIII. ſtans verba faceret,genua flectere exiſtimaretur.

Quartò, de gibboſis idem dicendum eſt, nempe, Epiſcopum arbitrari debere, an ita deformes ſint vt arceri debeant à ſacris. Ita omnes cum Maiol. lib. 1. cap. 19. vbi & de variis gibbis diſputat, ſed hæc omnia ex ipſa inſpectione penſanda erunt.

Consectarivm VI.

An Hermophroditi ſint Irregulares.

17 INTER monſtra numerarunt Hermaphroditos Romani veteres, cùm enim ex lege Romuli apud Halicarnaſſ. lib. 1. monſtroſi partus abiicerentur aut necarentur, ſæpiùs Androgynos deportatos atque necatos Haruſpicum iuſſu narrant Liui. decad.4. lib.9. Plin.lib.7. cap.3.& 4. Gelli. lib. 9. cap. 4. & Iulius Obſequens libr.de prodigiis: immò & Conſtantinum id hominum genus de medio tolli iuſſiſſe lege lata teſtatur Euſebi. l.4.in eius vita.Quanquàm ſi rem penitiùs inſpiciamus, cùm ex naturæ tantùm exuperantia hæc ſexus geminatio contingat vt aduertit Ariſtotel. lib.4. de generat. anim. cap. 4. & nimiam ſeminis excretionem accuſet Hippocrat. lib.9. de victus ratione habeantque hi omnes formam humanã,inter monſtra cenſeri non debebunt, ex numero enim liberorum eos ſólùm expungunt Iuriſconſulti, qui contra formam humani generis conuerſo more procreantur, vt loquitur Paulus lib. 4. ſententiarum in L. non ſunt liberi ff. de ſtatu hominum; idemque omninò ſupponit Imperator Iuſtinian. L. quam certum. C. de poſthum. hæredib. inſtituend. Verum quidquid de hac quæſtione, quæ leuis fortaſſis videri poteſt, ſtatuatur, negandum non eſt in hoc duplici ſexu aliquid inſolens reperiri, niſi apud illos fortaſſis Africæ populos, quos omnes Androgynos fuiſſe dixit Plini. lib. 7. cap.2. & 3. nugaturque Plato in ſympoſio, dum primos homines cum fœminis coniũctos fuiſſe fingit, vnde fiat vt tam ardenter priorem coniunctionem repetant. Porrò hi Hermaphroditi ſunt in triplici differentia, in quibuſdam enim alter ſexus præualet, in aliis vterque æqualis eſt, àlij verò ab vno ſexu in alium tranſeunt, & cùm aliquamdiu fuerint mulieres, deinde fiunt viri, quod minimè fabuloſum eſſe contendit Plini. lib. 7. cap. 4.& pleraſque puellas primo congreſſu maritali eſtractis quibuſdam inuolucris in viros euaſiſſe prodeuntibus virilibus pudendis, multis oſtendit Maiol lib. 1. cap. 27. Delrio. lib. 2. diſquiſit. Magica. q.22. vnde non veram eſſe conuerſionem vnius ſexus in alium, ſed vtriuſque ſexus genitalia, quæ primum latuerant per caloris deinde ἐκλάμψεις emicatus & effulgeſcentias erumpere, aut propter vitiatam genitalium conformationem impoſitum fuiſſe obſtetricibus, aliiſque pluribus differit Laurent. l. 7. Hiſto. Anatom. q. 8. Illi igitur, in quibus alter ſexus præualet vir vel fœmina pro eo ſexu iudicandi ſunt L. quæritur 10. ff. de ſtatu hominum; in quo autem vterque ſe-

xus æqualis ſit, neque vir neque fœmina dicendus erit, cùm vtrumque ſit, tunc autem alterum ſexum, quo impoſterum vtatur, eligere debet, vt communi conſenſu docent Hoſti. in ſumma tit. de teſtibus. §. quis poſſit eſſe teſtis. num. 2. Sylu. Tabien. & Armilla in V. Hermaphroditus. Maiol. loco cit. Henriquez lib. 14. de Irregul. cap. 8. num. 6. Nauarr. pluribus locis, quod annotauit Sanchez. lib. 7. de Matrim. diſp. 106. & ſequuntur cæteri recentiores. Baſili. Ponc. Hurtad. aliique de horum matrimonio diſputantes, idemque fatentur Iuris Ciuilis interpretes, quos dabit Tiraquell. q 17. de Iure primogenio. opinio. 2. num. 15. Quos ego omnes DD. ita interpretor, vt hæc ſexus electio non tantum libera ſit, quando vterque ſexus æqualiter ſe prodit in Androgyno, ſed etiam quando vnus ita præualet, vt tamen alter habeat vim ſufficientem & integram, quod æquè contingere poteſt, atque illa æqualitas ſexuum & virium vtriuſque. Hæc porrò ſexus alterius electio ita fieri debet, vt iuramento ſe obſtringat, ſe nunquam altero ſexu vſurum, vti iidem DD. cum Hoſtienſi loco cit. conſentiunt. Quamquàm neget Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 4. vnquàm vtrumque ſexum ſimul potentem & vegetum ad ſua propria officia in eodem reperiri; quare nunquàm eſſe poterit locus huic electioni ſexus, ſi tamen aliquando contingeret ille caſus, plurima enim inſolita quandoque occurrunt, libera permittenda eſſet optio alterius; turpiſſimum enim eſſet modò virum, modò fœminam gerere, & repentè ex vnius officiis ad alterius munera tranſire, quod ſi dubium ſit, quis ſexus inualeſcat iudicio medicorum & inſpectione corporis vtendum erit, aut ſi nihil adhuc certò conſtet ipſius Hermaphroditi iuramento fidem adhibendam eſſe vult Bald. in l. quæritur ff. de ſtatu hominum. His obſeruatis.

D i c o imprimis Hermaphroditum, in quo vterque ſexus æqualis eſt, aut fœmineus præualet, incapacem eſſe Ordinum, quos inualidè omninò ſuſciperet. Ita Henriq. l. 14. cap. 8. num. 6. Nauarr. lib. 1. Conſilio. tit. de ætate & qualit. Conſil. 8. num. 6. & lib. 3. tit. de Irregularib. conſil. 47. num. 3. Suar. diſp. 51. ſect. 2. initio. Sayr. lib. 6. cap. 8. num. 25. plures allegans; quia cùm fœminæ Iure diuino remoueãtur ab Ordinibus, & iſte ſit ſimpliciter & abſolutè fœmina, aut neque vir, neque fœmina, aut ſi vtrumque ſit, abſolutè tamen fœmina eſt, initiari Ordinibus ipſorumque Characterem accipere non poterit, neque dicas ipſum etiam eſſe virum, & ea de cauſa Ordinis capacem, quia Chriſtus excluſit fœminas, quæ tantùm fœminæ eſſent, non autem quæ ſimul viri forent, cùm enim iſta ſexuum coniunctio rarò admodũ contingat, ſitque inſolens in natura, de illa non debuit ferre legem Chriſtus, ſed nomine fœminæ eum omnem in quo perfectus eſſet ille ſexus, comprehendit, quod maximè communis Eccleſiæ ſenſus, cuius DD. locupletes teſtes ſunt, ſuadet.

D i c o ſecundò. Eum in quo eminet ſexus virilis, aut qui ex muliere factus eſt vir, eſſe Irregularem, ſi res nota & publica ſit, ſi autem occulta ad ordines promoueri poſſe. Ita Marchin. tract. 1. de Sacramen. Ordin. part 4. cap. 2. num. 11. atque ita compono diſſidentes ſententias, cùm enim hæc Irregularitas

oriri

oriri non poſſit, niſi ex monſtroſitate & ſcandalo ſeu difformitate, & monſtroſitas, ſi quæ ſit in eo caſu, non impediat exercitium Ordinis ex ſola infamia, aut offenſione aliorum, ſi videant illum, quem norunt eſſe quoddam monſtrum ex viro & ſemi-fœmina compoſitum, aut quem prius muliebri ſchemate indutum & mulierem agenté modò in virum derepenté mutatum, altaris miniſterio defungi, colligenda erit Irregularitas; hæc autem omnia incommoda ceſſant, vbi ea ſexuum ſiue coniunctio ſiue mutatio in vno eodemque vulgo ignota eſt, vti diſſerit Maiol. lib. 1. cap. cit.

CONSECTARIVM VII.

Quinam morbi inducant Irregularitatem?

20 POSTREMVM caput ex quo naſcitur irregularitas ratione vitij, aut defectus alicuius corporis diximus eſſe morbos, qui vel ineptos ad Ordinis actiones reddunt, vel quandam turpitudinis notã afferunt, vnde inſignis indecentia & difformitas non ſine graui cæterorum offẽſione ſuboriatur; Quinã verè ſint hi morbi paucis in hoc Conſectario indicandum erit.

Primò igitur morbi; qui nullum horrorem afferunt, nullaque fœda ſui veſtigia relinquunt, etiãſi quamdiu cruciant aliquẽ, impediant illum à ſacris Miniſteriis non faciunt Irregularem, niſi ita lubeat appellare ægrotum, quamdiu lecto detinetur, aut ægritudine prohibetur ſolita ſua officia peragere; quare laborantes febri ſiue continua, ſiue alia quapiam non ſunt Irregulares, niſi quamdiu febris illos vrit, immò cùm leuior eſt, aut libera interualla relinquit, vt in quartana, poterit fieri ſacrum.

Secundò Chiragra & Podagra ſi non relinquat liberũ pedum & manuum vſum facit Irregularem, vbi autem reſtituentur ea membra ſuæ libertati, quamuis contracta fortaſſis maneant, ceſſabit Irregularitas.

Tertiò. Peſte aut morbo venereo laborantes non ſunt Irregulares, periculum tamẽ infectionis impediet, ne corã aliis celebrent, atque etiam ſi aliqua vlcera fœdaque veſtigia, quæ horrorem generẽt, relicta manſerint ex lue venerea, quod iudicandum erit ab Epiſcopo.

Quartò. Idem dicendum erit de iis, quibus vi morbi capilli & barba exciderint, videndum enim erit, an nimiam deformitatem pariat ea pilorum denudatio.

Quintò. Leproſus initiari non debet, ſi verò fuerit initiatus, & non laboret inſigni deformitate celebrare poterit tum priuatim, tum inter alios leproſos qui ex eo morbo nullum horrorẽ capient, niſi aut manus impeditas, aut alia membra inepta haberet ad celebrationem, aut ita corroſa labia aliaſque partes, vt ipſis quoque leproſis ſtomachum moueret; Ita communis conſenſus DD. quos dabit Sayr. lib. 6. cap. 9. n. 7. quibus etiam ſubſcribunt Recentiores, eſtque expreſſum ius, nam cap. de Rectoribus, & cap. Tua nos de Clerico ægrotante remouentur iſti leproſi ab altari propter ſcandalum & abominationem populi; vnde vides quando ea lepra eſt, quam albam vocant, quæ nullum ſui veſtigium externum imprimit, neque dignoſcitur, non afferre Irregularitatem;

Leproſus verò Parrochus non amittit beneficium, vt habetur in textibus allatis, ſed ei Coadiutor dandus eſt, aut ſi remoueatur ab officio, alendus erit ex Eccleſiæ bonis, additque Panormit. in c. de Rectoribus. de clerico ægrotãte,n.6. ſi beneficium tenue ſit neque vtrique Parocho nimirũm leproſo & Coadiutori ſufficiat,prouentus beneficij relinquendos eſſe Parrocho infirmo, & cogendos eſſe Parrochianos, vt Coadiutori, qui ipſis laborat, prouideant. Vide Sylu. v.corpore vitiati. §.7.& V. leproſus. num.6. & Angel.eod. V. quibus cæteri Summiſtæ conſentiunt.

Sexto qui ita debili eſt capite, vt ſine aliquo operimento nequeat celebrare, irregularis non eſt, ſed *honeſto aliquo birreto* caput operire poterit, vt inquit Rodriq. tom.1. cap. 158.num.6. ex Nauarr. Quod ſi dubitetur, an ſit ſufficiens neceſſitas, Epiſcopus diſpenſare poterit.

Consectarivm VIII.

An epileptici ſint irregulares?

21 Morbo caduco affecti irregulares ſunt; neque hác opinionem habere contradictionem dixit Gloſſa in cap.3. d. 33. Tabien. Sylu. & Angel.V.corpore vitiati. Vgolin. cap.54.§.1. Sayr. lib.6. cap. 9. n.11. & alij paſſim recentiores poſt Maiol. lib.2. cap. 16. probatur ex cap. communiter d. 33. quod tum Gratian. tum Iuo. 2.p.cap. 25. tribuunt Pio Papæ, cùm tamen, vt aduertit Maiol. loco cit.ex cap. 13. Concilij Toletan. 11. exceptum eſſe conſtet; quamuis autem ibi agatur tantùm de iis, qui iam ad Ordines promoti ſunt, prohibentur enim in iis miniſtrare, ſi aliqua eiuſmodi paſſione laborent, idem tamen valet circa nondum promotos, ex Regula ſiquidem generali quidquid impedit adminiſtrationem Ordinis iam ſuſcepti,eius quoque ſuſceptionem impediret, ſi ſuſceptus non eſſet; vnde etiam monet Gloſſa in cap. cit. eos, qui iam ſuſceptis aliquibus Ordinibus quidpiam eiuſmodi paſſi ſunt, non eſſe promouendos ad vlteriores.

Eſt tamen aduertendum circa eos, qui ante vel poſt ſuſceptos Ordines incidunt in hunc morbum, nam aliqui volunt opus eſſe diſpenſatione, etiamſi quis perfectè conualuerit, vt ordinetur, quia nimirum putant nunquam ſanari omninò poſſe, ſi tamen Medici exiſtiment perſanatum prorſus eſſe,neque ſentiant imminere vllum periculum, ac denuo recurrat, cenſet Maiol. ab Epiſcopo, nulla alia petita diſpenſatione promoueri poſſe.Molin. verò diſput.70.tract.3. num.12. ait æquum vt diſpenſetur cum iam promoto, vt ad Sacerdotium aſcendat, immò religioſis, qui nullis Ordinibus initiati ſunt,ſi perfectè conualuerint, diſpenſationem ad omnium ſuſceptionem negandam nullatenus eſſe. Qui vero iam Ordinatus eſt, ſi in eum morbum inciderit, & ſæpè aliquid tale patitur, celebrare nequit,cap. in tuis litteris 7. q. 2. Immò etiamſi raro hoc affectu, atque adeò ſemel tantum in anno, ſi tamen deſpumet, abſtinere debebit à celebratione ex cap. nuper.7. q. 2. ſi verò neque deſpumet, neque collidatur, neque frequenter vexetur celebrare illum poſſe aſſiſtente ſibi alio ſacerdote, concedunt

dunt Molin.n. 11.cit. Maiol. Roſell. V. Vitiatus. Tabien. V. corpore Vitiatus. Sayr. lib. 6. cap. 8. num. 11. & alij apud ipſos cum gloſſa in cap. Communiter, d. 33. probantque ex cap. illud. 7. quæſt. 1. quod malè Iuo. 2. part. cap. 126. & Burchard. lib. 3. cap. 73. tribuunt Soteri, cum totum habeatur in Concilio Toletan. 11. cap. 14. ex quo etiam ipſum retulit Gratian. immò monet Molina, Eum qui raro admodum laborat hoc morbo, neque deſpumat, aut voces confuſas emittit aliaque ſimilia facit, poſſe priuatim etiam ſine adiutore preſbytero ſacrificare cum Canon Concil. Toletani in c. illud, id ſatis innuat; obligat enim iſtum ad aſciſcendum ſibi Socium vbi, loci, temporis vel Cleri copia ſuffragatur.

Verùm ex hoc Canone non poteſt efficaciter colligi, quod volunt aduerſarij imprimis, quia vti aduertit Vgolin. cap. 54. §. 1. num. 3. hic Canon generalis eſt & loquitur de quocumque ſacrificante, qui vicinum Sacerdotem habere debeat, vt cœpta Sacramenta perficiat, ſi ingruerit aliqua neceſſitas, quod obſeruat quoque ibidem gloſſa, & patet ex ipſo contextu, maximè ſi conferatur cum iis, quæ Concili. 7. item Toletan. cap. 2. definierat; Deinde in cap. illud addidit Gratian. de ſuo hæc verba, *Sed ſi hoc ſacrificanti frequenter acciderit, tunc omnimodè ab oblatione prohibeatur*, neque enim in Toletano habetur, neque apud Iuon. & Burchard. Iure igitur negauit Vgolin. colligi poſſe ex hoc loco, Epilepticum etiam rarò laborantem, aut ad Ordines admitti, aut in illis miniſtrare poſſe ſiue ſolum, ſiue adiuncto ſibi ſocio.

Obiiciunt prætereà c. finale 7. q. 1. Vbi qui emittit voces confuſas & colliditur, prohibetur celebrare, vnde à contrario colligunt, ſi hæc non faciat vi morbi, celebrare poſſe, verùm vt omittam, quæ in ſcientia Canonica diſputauimus de hac ratiocinandi & argumentandi methodo, & quàm non ſemper efficax ſit in iure poſitiuo, in eo tantùm capite agitur, an Epiſcopus, qui delatus fuerit ad Romanum Pontificem, reuerà laboraret eo morbo, quod diligenter inquiri mandat Gelaſius, & ſigna, quibus id dignoſcatur tradit; non autem affirmat eum, ſi teneatur eo morbo, etiamſi non emittat voces confuſas, aliaque ſimilia patiatur, quæ horrorem incutiunt, poſſe celebrare, vti contendunt Aduerſarij. Eodem modo interpretor decretum Alexandri II. cap. in litteris 7. q. 2. Vbi Viuarienſi Archiepiſcopo, ſiue, vt habet Iuo. 6. part. cap. 405. Innanenſi de Preſbytero hoc morbo laborante, ſic ſcribit, *Conſulimus itaque, vt ſi frequenter hoc morbo tangitur ab oblatione omnimodè & miſſarum celebratione prohibeatur*, quaſi concedat, vt ſi rarò laboret, celebrare non prohibeatur, nam hanc frequentiam accipit Pontifex pro ſigno nondum perſanati morbi, cùm enim ille Preſbyter Romam adiiſſet, atque ita haberet libera aliqua interualla, dubitari poterat, vtrùm conualuiſſet, & intereà Miſſas offerre poſſet, quod negat Pontifex, ſi frequenter laboret, frequens enim ille recurſus ſatis oſtēdit, minimè extinctum fuiſſe morbum, quare non debebit admitti ad diuina peragenda, non præcisè tantùm, quia frequenter talem affectionē patitur, & quia ſi rarò tantùm eam pateretur, id ipſi liceret, ſed quia ex ea frequentia arguitur ipſum non fuiſſe ſanatum, ſi

enim rarò admodum contingeret ea paſſio, exiſtimare poſſet aliquis illum conualuiſſe, cùm morbi aliquando recurrant; atque hanc eſſe Alexandri mentem coniicio imprimis ex eo quod ſi ſola frequentia huius affectus faceret Irregularem, non erat quod Gebonardus Archiepiſcopus ſuper eo Clerico rarò admodum laboranti ea valetudine conſuleret ſedem Apoſtolicam. Secundò, Idem euincit ratio, propter quam negat Alexand. Eum Clericum admittendum eſſe ad ſacra peragenda, *Indecens enim eſt*, inquit, *& periculoſiſſimum, vt hoc ei accidat, quatenus in conſecratione Euchariſtiæ morbo victus Epileptico cadat.* Atqui eadem indecentia, idemque periculum continget, etiamſi rarò laboret, & victus hoc morbo cadat, vnde aduerſarij volunt ad vitandum eiuſmodi periculum ſocium Sacerdotem celebrāti adhibendum eſſe. Tertiò, expreſſiſſimis verbis Alexand. vult ipsū conualuiſſe, vt celebret, *Si verò Dei miſericordiâ conualuerit, quandoquidem non culpa, ſed infirmitas eſt in cauſa, eum ſacrificare non interdicimus*, ſi igitur non conualuerit, ſacrificio interdictus erit, alioquin debuiſſet dicere Alexand. ſi autem rarò hoc ei accidat, ei ſacrificare non interdicimus, vt videas hanc frequentiam non aſſumi à Pōtifice, niſi in ſignum non recuperatæ valetudinis toto medio illo interuallo, quo liber ab illa affectione videri poterat. Itaque donec conſtiterit de ſanato morbo, indigebit diſpenſatione Epilepticus, quæ tamen facilius concedi poterit, vbi rarò admodum recurrere ſolitus eſt hic morbus, & ſine graui periculo, eo quod neque collidat, neque ſpumas, neque voces inconditas aliaque ſimilia excitet. Ad minores quoque Ordines, à quibus arceantur Epileptici, hanc Irregularitatem extendunt Maiol. & Vgolin. locis cit. quod conſtat ex iis, quæ dixi cap. Superiori. q. 3. p. 1. propoſitionis.

Quantum attinet ad prolem, cùm hic morbus in illam transfundi ſoleat, conſtare debebit Epiſcopo, an reuerà liber ſit ea affectione filius parentis Epileptici, priuſquam ſacris ipſum initiet.

Quamdiu verò expectandum ſit, vt conſtet de ſanatione huius morbi & quibus indiciis id certò ſciatur conſulendos exiſtimo medicos, ex quibus Gabuccin. egregium tractatum de toto hoc morbo edidit, Gelaſi. c. nuper. 7. q. 2. iubet per 30. dies veſci omnib[illegible] carnibus indifferētèr, in cap. verò communiter. d. 33. aſſignatur vnus annus, quæ loca ita conciliat Maiol. vt mēſis aſſignetur, ad videndum an quis ſit Epilepticus, an dæmoniacus; & ideò voluit Gelaſi. intereà illum veſci omnibus carnibus indifferētèr, quia cùm aliquæ, nempè Caprinæ & hircinæ morbum comitialem excitent ex Clem. Alexand. lib. 7. ſtromat. aliique apud Gabuccin. lib. 1. de morbo comitiali, facilè contingere poterit, vt dignoſcatur an à dæmone an aliunde prouocetur hic morbus; quod verò ibidem ait gloſſa V. triginta. Carnes Hædinas prouocare dæmones ridiculum eſt, ſed de his diximus alibi. Vbi de Iuriſdictione in dæmones diſputaremus.

Qui ſola vertigine, ſyncopo, aut animi deliquio laborant, Irregulares non ſunt, niſi ſit præſens periculum imminentis Epilepſiæ, de quo arbitrari debebit Epiſcopus iudicio medicorum, qui tamen eiuſmodi ſunt ſacris initiati videant vt prudenter ſe gerant, & vt priuatim celebrent

brent aut etiam pro grauitate periculi ſibi ſocium ſacerdotem adſciſcant. Ita Maiol. lib. 2. cap. 16. Bonac.diſp.7.q.2.p.2.num.23.& alij apud ipſum.

Consectarium IX.

An Dæmoniaci ſint irregulares.

21. De Dæmoniacis & eorum ab Epilepticis diſtinctione plurima diximus in ſcientia canonica huiuſce partis;nunc hoc vnum duntaxat quæro, an ſint irregulares, quod ex hactenus diſputatis facillimum fuerit definire.

Dico primò, Dæmoniacum Energumenum & arreptitium, neque enim placet modo ſcrupuloſius iſta diſtinguere, irregularem eſſe, & à ſuſcipiendis Ordinibus excludi cap. Maritum. cap.Communiter. & cap. Clerici. 33. diſt. cap.16. Concilij 1.Arauſicani,& can.79.Apoſtolorum ſtatim afferendo,cuius ſanctionis rationé reddit Balſam.in Comm. Canonis Apoſtolo.citati.quia Energumenus inſanus eſt; Zonaras verò ibid. quia impurus & iniquus cenſetur ille,qui dæmoni præbet hoſpitium, quare ſi vaſi putri non creditur vnguentum ex Gregorio Theologo quomodo dæmonis receptaculo gratia Spiritus ſancti creditur,vnde idem Canon prohibet, ne talis cum aliis oret, & cum fidelibus communicet.

Dico ſecundò, Dæmoniacum à vexatione dæmonis omninò liberatum promoueri poſſe ad Ordines, niſi ex memoria recentis morbi manſerit aliqua infamiæ nota & occaſio offenſionis. Hæc aſſertio pugnat cum communi ſententia,vt teſtatur Gloſſa in cap. Communiter. d.33. v. de iis. Vgolin. cap. 55. §.1. num.4. Roſella. V. vitiatus. num. 3. Tabiena, Sylu. & Angel.V. corpore vitiatus. Maiol. lib. 2. cap.17. Sayr. lib.6.cap.9.num.14. quibus ſubſcribunt paſſim recentiores, affirmantque magno conſenſu Dæmoniacum etiam liberatum ea vexatione non poſſe ad Ordines promoueri. Noſtram tamen aſſertionem liquidò tradit can.73.Apoſtolor. *Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur. purgatus autē καθαρθεὶς δὲ recipiatur, & ſi fuerit dignus, fiat.* Quid clariùs neque vllam exigunt diſpenſationem Apoſtoli, ſed indefinitè & abſolutè pronuntiant, à dæmone liberatum,tum in conſortium aliorum fidelium, tum in Clerum admittendum eſſe, ſi aliunde dignus ſit; itáque abſolutè exponunt Balſam. & Zonaras Monachus. Confirmatur,quia ratio propter quam arcetur à Clero dæmoniacus eſt, ne furoris tempore ſacerdotium contumelia afficiatur, & diuinum numen blaſphemiis proſcindatur, vt ait Balſam. & quia non poteſt non offendi populus,ſi quem ſcit dæmone vexari, videat ſacra perficere, vti monet Gelaſi. Epiſt.ad Epiſcopos Lucaniæ, cap. 21. & denique quia immundus cenſetur, qui dæmoni præbet hoſpitium ex Zonara. Quæ rationes omnes ceſſant in eo qui liberatus omninò eſt, non verò in eo qui per interualla tantùm furit ὁ ἐκ διαλείμματος μαινόμενος, cùm enim periculum ſit, ne quo tempore miniſtrabit,furore corripiatur, in clerum cooptari χειροθῆναι non decet, quod ſapienter aduertit Balſam. qui idcircò ait longè aliam eſſe rationem participationis myſterio-

rum & ſacrorum Ordinum, quamuis ab vtraque ea ſuſceptione dæmoniacum prohibeat hic Canon, quia loquitur de Energumeno, qui perpetuò inſanit, dum enim lucidis interuallis vtitur, ſi tunc neque enuntiet, id eſt, prodat myſterium, quod arcanum erat, & ſolis quondam fidelibus explicatum, neque blaſphemet, donari poterit Euchariſtia, vti Timoth. Alexandrin. reſpődet ad tertiam Interrogationem, quam hac ratione cum iſto Canone concilianr Balſamon & Zonaras.

Obiiciunt Aduerſarij. cap. Clerici. d. 33. vbi Nicolaus prohibet clericos in ſua adoleſcentia obſeſſos à dæmone *ad Superiorem Sacri regiminis gradum aſcendere*, ergo etiamſi dæmoniacus iam liberatus fuerit non poterit ordinari. Reſpondetur imprimis non conſtare ex eo Nicolai fragmento, quod vnde deſumptum ſir, non liquet, an ij Clerici eſſent planè liberati, eo quod ab adoleſcentia ſæpius agitati fuiſſent. Secundò, inde tantum colligeretur hos dæmoniacos à ſacris Ordinibus repelli, non autem à minoribus, eo quod de illis non vſurpentur verba illa *Sacri regiminis ſuperior gradus*, quod totum gloſſa, Archidiaco. Maiol. & alij concedunt, cum tamen Concilij Arauſicani I. cap. 16. prohibeat energumenum ad vllum Ordinem aſſumi, & ab impoſitis iam officiis repelli velit, Concil. etiam Eliberitan. cap. 29. ne eius quidem nomen ad altare recitari, neque ipsũ vt in Eccleſia ſua manu miniſtret, patiatur, & omnium apertiſſimè Canon Apoſtolo. à nobis allatus prohibeat dæmoniacum fieri Clericum; Quare ſi poſt liberationem à dæmone perſeueret Irregularitas, vti contendunt Aduerſarij, ea ab omnibus etiam minoribus Ordinibus excludet, contra quam ipſi contendant, quod fatetur etiam Vgolin. Cùm igitur hoc dictum Nicolai non probet, à dæmonis vexatione liberos eſſe ſimpliciter Irregulares, ſed tantum ratione maiorum Ordinum conſentientibus ipſis Aduerſariis, iam habemus ceſſante dæmonis afflictione non perſeuerare ſimpliciter Irregularitatem. Tertiò, aliter interpretandum eſt hoc caput, quàm DD. communiter acceperint, alioquin pugnabit cum aliis Canonibus à nobis relatis. Quartò, ex dubia mente Nicolai non debemus apertiſſimo Iuri, & liquidiſſimæ definitioni Apoſtolorum derogare; quare dixerim quod in noſtra aſſertione monui hos Clericos ex illa diuturna dæmonis vexatione, & quæ omnibus nota fuerat, contraxiſſe infamiam, propter quam non poterant ſine ſcandalo ad *Superiores ſacri regiminis gradus aſcendere*, quamuis in ſuſceptis Minoribus Ordinibus miniſtrare, cùm iam liberati eſſent, permitterẽtur ſine graui offenſione, vnde etiam confirmatur, quod dicebam, ſublata hac vexatione tolli Irregularitatem, alioquin enim ne quidem in ſuſcepto Ordine miniſtrare liceret, ſed ab omni ſibi impoſito officio reiici debuiſſent ex decreto Concilij Arauſicani citati.

Obiiciunt ſecundò. Caput, Maritum. d. 33. quod falsò tribuit Gregorio Gratian. cùm deſumptũ ſit ex cap. 72. libri de dogmatibus Eccleſiaſticis, quod Gregorij non eſt, ſiue Auguſtini, ſiue Gennadij, ſiue alterius cuiuſcunque ſit. Eo igitur cap. dicitur ordinandum non eſſe eum, qui in furiam aliquando verſus inſaniuit, vel afflictione diaboli vexatus eſt; quæ verba cùm ſint præteriti temporis,

tem præteritam non extantem ſignificant, vt argumentatur Vgolinus, atque adeò ſupponit huius capitis author, eum qui vexatus fuit dæmonis afflictione, licèt ea liber ſit, non eſſe ordinandum.

Reſpondetur imprimis huius authoris, quiſquis ille tandem fuerit, dicta non ferre legẽ Eccleſiæ, neque eo quod à Gratian. aliiſque Compilatoribus congeſta fuerint in corpus Canonum, propterea vim Canonum & Sanctionũ Eccleſiaſticarum habere, vt latè monuimus in ſcientia Canonica, & multò minus poſſe eiuſmodi verba derogare apertiſſimæ legi Eccleſiaſticæ ab ipſis Apoſtolis ſancitæ, qualem hactenus protulimus. Deinde cùm ibi hic author eodem modo loquatur de dæmoniacis, atque de inſanis & furioſis, & certum ſit, vt dicam q. ſequenti, eos qui non ſũt inſani habitualiter, quia non habent eius perpetuam cauſam nimirum læſionem organorum, humorum intemperiem, aliavè ſimilia, non eſſe Irregulares, vbi perſanati ſunt, ita neque erunt dæmoniaci, vbi perfectè liberi fuerint, neque enim habẽt cauſam habitualem aut internam, vti contingit in aliis morbis.

Maneat itaque, quod aſſeruimus, Dæmoniacos plenè liberos in Clerum admitti poſſe ex Canone Apoſtolico, cui nulla poſteriora Iura derogarunt, vt falsò dixit Suar. diſp. 51. ſect. 1. num. 7. cùm nulla proferantur; quare non fuerit opus diſpenſatione, niſi quatenus erit penes Epiſcopum arbitrari an omninò Energumenus ille ſit perſanatus: addidi tamen infamiam & ſcandalum, quod ex recenti vexatione generari poſſet, aliquando inducere hanc Irregularitatem, quia eſt mens Gelaſij cap. 21. Epiſtolæ ad vniuerſos Lucaniæ Epiſcopos; atque hanc noſtram ſententiam docet, & communem eſſe contẽdit Bartholomæus ab Angelo, dialo. 5. §. 180. & 183.

Dico tertiò. Dæmoniacos poſt Ordines ſuſceptos illis abſtinere debere, vbi tamen curati fuerint iudicio Epiſcopi, & vnius anni ſpatio liberi poterunt ſua officia repetere. Ita omnes ex cap. cõmuniter. d. 33. quod vt monui ex Concil. Tolet. 11. cap. 13. deſumptum fuit; neque vllus abnuit; an verò ad vlteriorem ordinem promoueri valeant, liquet ex ſuperiori aſſertione, dicendũque omninò eſt id poſſe, ſi infamia non obſtet & prorſus perſanati fuerint.

Dico quartò. Eos, qui ſe Dæmoniacos eſſe ſimulant, eodem modo Irregulares exiſtere, atque ſi reipſa dæmoniaci eſſent, nam Synod. 6. Conſtant. can. 60. iiſdem pœnis ſubiicit eos qui ita ſimulant, atque ipſos Energumenos, cum & ſua ſcelera velent turpi ea ſimulatione, & familiaritatem cum dæmone acquirant, quare ſemper punitos eſſe eiuſmodi homines grauioribus pœnis teſtatur Balſamon queriturque mollitum videri ea in re diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorem.

QVÆSTIO III.

De Irregularitate ex defectibus Animi.

Quot ſint animi defectus hoc loco. n. 1.
Prima Propoſitio. De defectu rationis. n. 2.
Expoſitio & Confirmatio propoſitionis. n. 3.
Propoſitio ſecunda. De defectu ſcientiæ. n. 4.

Quænam Ignorantia faciat Irregularem. n. 5. 6.
Explicantur varij Canones. n. 7.
Conſectarium vnicum. An Irregularitas ex Illiteratura ſit diſpenſabilis. n. 8.
Tertia Propoſitio de Neophytis. n. 9.
Quamdiu quis cenſeatur Neophytus. n. 10.
Probatur Expoſitio. n. 11.
An Neophytus poſſit fieri Clericus. n. 12.

1 TRES ſunt præcipui defectus animi, qui aliquem à ſacris Ordinibus repellere poſſunt, nimirũ defectus Rationis, Scientiæ, & Fidei, de quibus ſingulis ſigillatim dicendum erit.

PRIMA PROPOSITIO.

De Defectu Rationis.

2 DICO primò. Impotem rationis vndecunque proueniat ea impotentia ſiue ex furore, ſiue ex inſania, ſiue ex quapiam alia cauſa Irregularem eſſe, & neque quamdiu ea perſeuerat, aut eius cauſa, ad Ordines promoueri poſſe, neque in ſuſceptis miniſtrare.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO Propoſitionis.

NON diſtinguo accuratiùs hoc loco, inſanos, furioſos, Lunaticos & alios eiuſmodi, qui cerebri affectibus ita laborant, vt rationis deliquium patiantur, de iis enim aliqua diximus alibi dum à dæmoniacis eos diſtingueremus, ſed hos omnes generali voce nomino mente captos, aut expertes & impotes rationis, eoſque omnes.

Imprimis aio eſſe Irregulares, & neque promoueri ad Ordines, neque eorum quos iam ſuſceperunt, actiones exercere poſſe, quamdiu illud rationis deliquium perſeuerat, quod nemo prudẽs negabit cùm non tantùm Ius Canonicum cap. maritum. & cap. vſque adeò d. 33. atque alibi ſæpius, ſed ipſa etiam naturalis lex ita iubeat, quomodo enim, qui nequidem more humano agere poteſt, ſacra & diuina officia exequetur.

DICO ſecundò. Eos qui habent cauſam ſuæ inſaniæ habitualem, vt loquuntur, ſiue perennem eo quod implantata ſit organorum affectioni vitio humorum, nunquàm ad Ordines promouendos eſſe; atque ita interpretor cap. maritum citatum, quamquam, vt monui, non ſit magnæ admodum authoritatis, cùm non ſit ſanctio aliqua Eccleſiaſtica, ſed libri de dogmatibus Eccleſiaſtic. plagula. Hinc fit vt Lunatici, quia per interualla idẽtidem eos affectus patiuntur, nunquàm promouendi ſint.

DICO tertiò. Si conſtare poſſet aliquem eſſe omninò ſanatum, vti contingit quando cauſa delirij aut inſaniæ, vel etiam furoris accidentalis eſt, & non perpetuà, ſed quæ arte tolli, aut curari poſſit, reuerà promoueri poſſet, qui eo affectu aliàs laboraſſet, vti ex iis quæ de Epilepticis & Dæmoniacis q. ſuperiori Confect. 8. & 9. dicta ſunt, facilè colliges; quia verò ſanitas nunquàm erit ſperanda quoties amentiæ cauſa habitualis eſt, idcircò docent communi ſenſu DD. eum qui inſaniuit aliquãdo non eſſe vnquam promouendum, quia ſemper præſumitur periculum amentiæ, quare non pugnãt nobiſcum DD. ſi eorum mens potiùs quàm verba attendantur.

Dixi denique Amentem poſita amentia, ſi iudicio Epiſcopi, qui iam annuo experimento id probauit, ſanatus fuerit, permittendum eſſe Ordinis ſui munia exercere. cap. communiter. d. 33. Vide Maiol. lib. 2. cap. 13. 14. & 15.

Hinc vides, quid dicendum ſit de bardis & ſtolidis, ſi enim ſatis rationis habeant ad Ordinum munia, etiamſi ſimpliciores videantur, non erunt Irregulares: arbitrium itaque erit penes Epiſcopum.

SECVNDA PROPOSITIO.

De defectu Scientiæ.

4 ILLE tantùm defectus ſcientiæ facit irregularem, ex quo ſequitur ineptitudo & inhabilitas omnimoda ad exercendum munera alius ordinis.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO propoſitionis.

5 DVPLICEM ignorantiam, ſiue potiùs neſcientiam, & ſcientiæ defectum diſtinguo hoc loco, aliqua enim ignorantia eſt, quæ ſimpliciter impedit, ne exerceantur Ordinis alicuius actiones, eo quod ſine ſcientia oppoſita prorsùs præſtari nequeanr; Lector v. gr. debet pſalmos & plura alia legere in Eccleſia, Exorciſta recitare exorciſmos ad fugiendos dæmones, Subdiaconus Epiſtolam, & Diaconus Euangelium; quare ſi quiſpiam omninò rudis litterarum eſſet, ita vt neque ſyllabas, & elementa appellare poſſet, ineptus omninò foret ad munera Lectoris, Exorciſtæ, Subdiaconi, & cætera eiuſmodi, quæ rudem ſaltem aliquam litterarum cognitionem requirunt cùm legendo exerceantur. Alia verò eſt ſcientia, quæ ſolùm confert ad ritè obeunda munia ſacra, qualem præſcribunt ſacri Canones ſingulis Ordinibus, & Trident. ſeſſ. 23. c. 4. cap. 11. 13. & 14. vnde etiam inſtitutum fuit examen Ordinandorum, quod ab Epiſcopis diligenter volunt haberi eædem Eccleſiaſticæ Regulæ; & nos de illa agemus alibi diſputantes de Conditionibus eorum, qui ad beneficia promouentur; interim verò adi DD. relatos à Garc. 7. part. de benefic. cap. 7. n. 3.

Ex his igitur duabus ignorantiis alteram tantùm conſtituere Irregularitatem aſſero, eam nimirum quæ reddit omninò ineptũ & inhabilem ad exercendum munus Ordinis ſuſcipiendi, aut iam ſuſcepti, de qua loquitur cap. Illiteratos. d. 36. quanquàm hęc Irregularitas non tam oritur ex Iure Eccleſiaſtico, quàm ex ipſa quodammodo rei natura, quæ docet illum, qui ad aliquod munus exercendum inhabilis eſt, illo minimè donandum eſſe.; aut ſi iam illud habeat, ab eo abſtinere debere donec aptitudinem neceſſariam acquirat.

ALTERA Ignorantia, quæ opponitur Scientiæ, quam Canones in ſingulis Ordinibus exiguunt, vt ritè & decenter exerceantur, etiamſi abſque illa exerceri poſſent, ſed non ita commodè & appoſitè, nullam inducit Irregularitatem. 6 Ira docent Henriquez. lib. 14. c. 8. num. 11. littera A. Garc. cap. 7. num. 19. ſeptima part. de benefic. Sayr. lib. 6. cap. 13. num. 13. Homobon. in Exam. Eccl. tract. 4. cap. 9. q. 72. Reginald. 30. tract. 2. num. 36. Marchin. tract. 1. de Ordine. p. 5. cap. 1. n. 14. & 15. contra Nauarr. in cap. ſi quando de Reſcriptis. excepti. 13. Vgolin. tract.

de Irregularit. cap. 3. §. 3. n. 1. Villalob. tom. 1. tract. 21. diffi. 34. num. 4. Suar. diſp. 51. ſect. 1. num. 8. Hurtad. diſp. 2. de Irregul. diff. 19. Auila 7. p. diſp. 4. dub. 4. Maiol. lib. 1. cap. 32. & Gordon. lib. 8. Theolog. q. 18. num. 9. probatur noſtra ſententia, quia iſta Irregularitas nullibi exprimitur in Iure, ac proinde ex generali Regula in hac materia, inducenda non eſt. Probatur verò antecedens expendendo iura, quæ in ſuam rem afferunt aduerſarij.

7 Afferunt primò. cap. Illiteratos. d. 36. vbi eodem modo Gelaſi. illiteratos excludit à ſacris Ordinibus, atque vitio corporis laborantes, igitur ex vtroque defectu naſcitur Irregularitas.

Reſpondetur. Quamuis Geminian. & alij permulti, quos adducit & ſequitur Menochi. lib. 2. de Arbit. Iudic. Centuria. 5. caſu. 425. num. 50. Illiteratos interpretentur hoc loco eos eos, qui non habent ſufficientem ſcientiam; veriùs tamen eſt ea voce ſignificari à Pontifice eos, qui ita ignari ſunt, vt ne quidem litteras ſciant, nec legere nouerint, quam eſſe propriam huiuſce vocis ſignificationem eius Ethymon ſatis docet; atque ita interpretatur Gloſſa in cap. cit. & in cap. præcipimus. d. 35. & hos quidem nos fatemur eſſe irregulares, cùm vix vllus ordo abſque rudi illa litterarum notitia exerceri valeat.

Afferunt ſecundo, cap. fin. de ætate & qualitate ordinando. Ibi enim deponitur Epiſcopus, qui nunquam grammaticam didicerat, neque donatum legerat, ſi autem ob defectum ſcientiæ deiectus eſt Epiſcopatu, multo potiori iure ad illum admitti non debuit.

Reſpondetur quòd quamuis negemus defectum ſcientiæ competentis inducere irregularitatem non negamus tamen teneri quemcunque habere vel acquirere, quam ordo, ad quem aſpirat, aut quo initiatus eſt, exigit, vt illius munera perficiat, alioquin ſi vel ſcientia debita careat, vel negligens ſit, in illa acquirenda deponi poterit, & de ſuo gradu deiici; quandiu tamen non deponetur, poterit abſque irregularitate in ſuo ordine miniſtrare, non tamen ſæpius abſque culpa propter ſupinam, & craſſam ignorantiam, qua laborat in iis, quæ ſui muneris ſunt. Cùm igitur Honori. III. eo loco dicat, ***Ita per euidentiam facti conſtare de illiteratura, & inſufficientia,*** Cilienenſis illius Epiſcopi, ***quod contra Deum eſſet, & Canonicas ſanctiones tantum in Epiſcopo tolerare defectum.*** Iure merito illum à Pontificio munere, & Cilienenſis Eccleſiæ adminiſtratione remouet, atque electionem eius tanquàm contra Canones factam irritat, vnde non ſequitur illum fuiſſe irregularem, quamuis propter defectum aliquorum, quæ in Epiſcopo Patrum Regulæ requirunt, indignus eſſet, qui eligeretur, neque Honorius dicit eius electionem fuiſſe nullam, aut illum eſſe irregularem ſed priuat beneficio ad quod indignus licet, promotus fuerat.

Tertiò, plurima ex veteribus Canonibus & nouiſſimè ex Tridentino cõgerunt aduerſarij, quibus illa ſciẽtia in ſingulis Ordinibus poſtulatur.

Reſpondetur inde fieri, vt qui conſcius ſuæ ignorantiæ ſuſcepit Ordines, & qui ipſi eos confert cognito eo impedimento grauiter peccet, vt ait Homobon. q. 72. cit. atque etiam ſi adſit periculum quidpiam committendi in reuerentiam Ordinis

dinis illum exercendo teneri abſtine re ab eius actionibus donec acquirat, quæ ad id muneris neceſſaria fuerint, quæ obligatio eſt ex natura rei, non à lege tantùm Eccleſiaſtica.

Consectarivm Vnicvm.

An Irregularitas ex illiteratura ſit diſpenſabilis?

8 EX his quæ diximus in explicanda huius irregularitatis natura facilè fuerit celebrem cõtrouerſiam de eius diſpenſabilitate dirimere.

Dico enim primò. Non poſſe diſpenſari, vt quis adminiſtret Ordinem, ſi deſtituatur notitia, quæ ad illius actiones ex natura rei neceſſaria ſit, immò neque illum ſuſcipere poteſt, ſi non affulgeat aliqua ſpes ipſum poſſe ſibi comparare notitiam illam, atque ita interpretor, quotquot negarunt hanc irregularitatem eſſe diſpenſabilem; quanquàm tunc non ſit tam propriè irregularitas, quæ eſt duntaxat à iure Canonico, vti diximus cap.1. q. . quam impedimentum quoddam naturale, quod ſola diſpenſatione, quod aliquid extrinſecum eſt, & ab humana voluntate pendens non tollitur vt patet, ſi enim v. gr. nequeam obire munus aliquod niſi legendo, non poterit facere Pontifex, vt quandiu fuero litterarum ignarus, illud munus obire poſſim, & quamuis nemo teneatur iure naturali ſtatim exercere Ordinem quem ſuſcepit, ſi tamen ita ineptus ſit ad eius functiones, vt nulla ſpes ſit eum comparare ſibi poſſe talem aptitudinem, reuerà non poterit ad eum Ordinem ſuſcipiendum diſpenſari, cùm ſemper futurus ſit ineptus ad illius exercitium; ſi nihilominùs illum recipiat, validè recipiet cùm nihil ſit, quod Characteris impreſſionem impediat in eo caſu, vti ex communi DD. omnium ſententia probat Vgolin. §.11. cap.3. citati num.4.

Dico ſecundò, Irregularitatem, quæ ex illiteratura tantùm naſcitur diſpenſabilem eſſe, vt ſine peccato ſuſcipi poſſit Ordo à prorſus illiterato, atque etiam adminiſtrari, ſi abſolutè loquendo eius actiones à neſciente litteras fieri valeant. Ita Nauarr. cap.27. num. 205. Vgolin. §.1. num.3. Sayr. lib.6. cap.13. n.9. Suar. diſp.51. ſect. 1. num. 11. Villalobos diffic. 39. cit. Ratio aperta eſt, quia hæc irregularitas eſt inducta Iure Canonico, deinde quia vix vlla eſt actio ſacra, quæ ab illiterato fieri nequeat, quidni enim memoriter recitabit verba, quæ neceſſaria erunt, aut alio præeunte & prælegente: Denique poterit diſpenſari cum hoc illiterato, vt Ordines ſuſcipiat, & deinde diſcat, quæ neceſſaria erunt ad eos exercendos, vt monet Auila. dub. 1. diſp.4. quare nihil eſt hoc loco iuris diuini, quod proinde ab Eccleſia ſolui nequeat, vt falsò contendunt Turrecrem. in cap. ſi in Laicis. diſt.38. Innocent. in cap. dilectus. de temporibus Ordinum. Felin. in cap. Inquiſitioni. de Sentent. Excommunic. n.5. Dias in praxi crimin. Cano. c.21. Maiol. lib.1. de Irregula. c.32. & alij quidam, requirit enim Scriptura Scientiam in Sacerdote, à cuius labiis illam accipiendam eſſe vult, non tamen tanquam aliquid indiſpenſabiliter neceſſarium, ſed ad legitimum vſum Sacerdotij, quare quandiu non vtetur ſuo munere Sacerdos, etiamſi ignarus ſit, non peccabit, ſed de Scripturæ ſenſu adi Azori. 2. p. lib.6. cap. 6. q. 4. & nos 4. part. dum de conditionibus beneficiariorum diſputabimus.

Dico tertiò, Hanc diſpenſationem in omnimoda illiteratura à ſolo Pontifice & non ab inferioribus Epiſcopis concedi poſſe. Ita Rebuff. in praxi tit. de Cleri.& à quibus & quomodo. n. 28. Dias in praxi Canon. cap.21. cit. n.2. Nau. cap.27. n. 205. Suar. ſup. cit. Vgolin. l. cit. poſt Innocent.in cap. Dilectus. De temporibus ordinand. id enim prohibet Gelaſi. Epiſcopis Lucaniæ. Ep. ad ipſos. c. non confidat. d. 50. & ratio manifeſta eſt, quia Epiſcopi neque in Iure communi, neque in conſtitutione Concilij vniuerſalis diſpenſare poſſunt, vt Gloſſa in cap. cum dilectus. de Electione. v. in ætate, atque aliis locis. ibid. à Panormit. adductis n.10. tradit,

Dico quartò, diſpenſari poſſe in impedimento ſufficientis litteraturæ, patet ex ſecunda concluſione, ſi enim in defectu illiteraturæ poteſt aliquid condonari, multo magis in hoc defectu, qui minor eſt, idem poterit indulgeri, maximè cum graues & piæ cauſæ id ſuadere nonnunquam valeant, & hic defectus aliis cõmodis aliiſque qualitatibus compẽſetur, quod ſi diuino lumine ſcientiæ diſciplina ſuppleretur, non eſſet propria diſpenſatio, cum notitia, quæ ea ratione comparatur, illuſtrior multò ſit, quàm quæ diſciplina traditur. Vide Maiol. loc. citato.

Dico quintò, in Religioſis minorem multò ſcientiam requiri, quam in aliis, vt ad Ordines promoueantur, Gloſſa in cap. legi.16. quæſt. 1. v. Inſtructio Canoniſtæ & Caſuiſtæ; quos dabit Menoch. lib. 2. Arbit. Iudic. centur.5. caſu. 425. n.58. & 59. Barboſa allegat.46. n.14. de officio Epiſcopi. Mirand. in Man. tom. 2. q. 8. art.17. Rodriq. tom. 1. qq. Regula. quæſt.24. art.7. Perin. tom. 1. Priuilegio. Minimo. Conſtit. 6. Leon. v. §.13. n.25. Diana 3. part. tract.2.Reſolut. 86. Tamburin. de Iure Abbatum, tom.2. diſp.1. quæſt. 21. num.5. Villalob. tom.1. tract.21. diff.39. n.5. Marchin. tract. 1. de Ordin. p.5. c.1. n. 9. Ratio eſt quia hi non ordinantur ad curam animarum, & in ſocietate Religioſa facilè reddi poſſunt habiles ad exercenda munera, ſi quæ illis imponantur, quod tamen vix vnquam fiet, niſi exploratis ipſorum viribus à ſuperiore, & denique aliorum doctrina, quibuſcum viuunt facilè eorum ignorantiam ſubleuare poterit. Immò Villalobos id ipſum cenſet in Canonicis & aliis, qui ſimplici beneficio gaudent, etſi enim ſint minus litterati quàm fortaſſis dignitas Ordinis poſtularet, ſi tamen inſignes ſint moribus, aut alio quopiam eximio dono prædiri facilè ſcientiæ defectus aliquis diſſimulari poterit.

Tertia Propositio.

De Neophytis

NEophyti ſunt irregulares, neque ad Ordines admitti debent.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

TErtium defectum animi, ratione cuius aliquis ab Ordinibus 6
repelleretur, dicebam initio eſſe defectum fidei, quo nomine non intelligunt DD. infidelem, aut non baptizatum, hos enim omnes conſtat à Sacramentis omnibus excludi; quare etiam fidelis non baptizatus, & adhuc Catechumenus incapax eſt Ordinis. Itaque hîc non agimus de infidelitate aut carentia baptiſmalis characteris, ſed

ſed de minori quadam in rebus fidei peritia, qualem in iis, qui proximè in Eccleſiam allecti, & ab impia aliqua ſecta per Baptiſmi ſuſceptionem traducti ſunt, ſuſpicamur. Hos verò Neophytos nominamus ex antiquo Pii. vſu, nam quamuis aliquando id nomen Nouitiis alicuius Religionis, aut Laïcis, qui nullis ſeruatis interſtitiis Ordines ſacros ſuſceperunt, tribuatur in iure, quod obſeruauit Maiol. lib. 1. cap. 31. vbi idcircò varias Neophytorum ſpecies facit, ea tamen ſignificatio minus propria eſt, teſte Vgolin. cap. 2. §. 2. & à nobis modò non ſpectatur, qui de propriis tantùm Neophytis agimus, in quibus non comprehenduntur filij eorum, qui conuerſi ſunt ab infidelitate, ſi infantes baptizati fuerint, atque adeò ſemper ritu Catholico vixerint, quod ſapiẽter monet Turrecremata in ſummæ. diſt. 48. num. 2. vnde fit vt neque ab Ordinibus, neque à beneficiis Eccleſiaſticis cum Neophytis arceautur, neque ſubiiciuntur legibus, quæ Neophytis aliquando quædam onera imponunt, vt in Hiſpania Mauris recens conuerſis, niſi eæ leges exprimant horum filios, aut poſteros in fauorem antiquiorum Chriſtianorum, quod docet Couarr. in Clem. ſi furioſus p. 1. §. 2. num. 7. Ricciul. tract. de Neophyt. cap. 1. ç. autem 7. & 8. de harum legum æquitate diſputat, nos huic quæſtioni, quia inutilis in Gallia omninò eſt, ſuperſedemus.

101 DIFFICVLTAS porrò eſt, quandiu cẽſeatur aliquis eſſe Neophytus, aliqui enim volunt poſt annum à die ſuſcepti baptiſmatis numerandos eſſe inter veteranos; nam miles exacto militiæ anno veteranus dicitur. l. qui cum vno. §. final. & l. commeator. ff. de re militari, mancipia intra annum ſeruituris noua ſunt. l. final. §. quories. ff. de Publican. & vectigal. primo anno matrimonij dicitur noua vxor cap 1. 35. q. 8. & ibid. Gloſſa. v. anni Coronam: alij volunt biennium ad Ordines ſuſcipiendos, quia nouitius non debet niſi poſt biennium ſui ingreſſus in Religionem ordinari. cap. Monaſteriis. 19. q. 3. Ita Ricciul. tract. de Neophyt. cap. 10. n. 9. Verùm illud caput variè explicatur, vt videbis apud Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 10. num. 19. & Suar. tom. 3. de Religion. lib. 5. cap. 16. n. 17. & quidquid ſit de eius intellectu, ex eo non poteſt duci firmum argumẽtum ad noſtrum caſum: alij volunt decennium cum Nauarro cap. 27. n. 205. Dicendum eſt nullum certum tempus definiri hac in re à Iure, & arbitrio ſuperioris relinquẽdum eſſe, qui videbit vtrum ea peritia & virtute ſit, vt illi propter nouitatem fidei nihil timeatur, & ſacri Ordines committi ipſi valeant. Ita Couarr. in Clem. ſi furioſus. p. 1. initio. n. 10. Rodriq. tom. 1. qq. Regula. q. 24. art. 7. Auila. p. 7. diſp. 4. dub. 4. Sanch. lib. 2. in Decalog. c. 28. num. 12. Barboſ de officio Epiſcopi. part. 1. tit. 2. Gloſſa. 11. n. 8. Bonac. diſp. 7. de cenſur. q. 2. punct. 1. n. 5. Suar. diſp. 43. ſect. 3. num. 6. & 7. Vgolin. cap. 2. §. 2. num. 4. Gordon. lib. 7. quæſt. 18. cap. 1. §. 1. quare addit Suar. Quando Epiſcopus iudicat aliquem Neophytum dignum eſſe Sacerdotio aliiſve Ordinibus, aut Pontifex illum ad Epiſcopatum admittit, vt factum quondam fuiſſe ſcimus in Ambroſio, & aliis, non eſſe propriam diſpenſationem quia irregularitas, quæ hoc loco eſt, non eſt niſi propter fidei, humilitatis, & honeſtæ vitæ defectum, quem in nouo Chriſtiano ab infidelitate recenter conuerſo, iure merito eſſe ſuſpicatur Eccleſia,

Eccleſia, quare vbi abeſt ille defectus abeſt quoque omnis ex eo nata Irregularitas; iudicare igitur Neophytum iis eſſe moribus, ea doctrina, eaque animi modeſtia præditum, vt nullum ſit periculum, nè in laqueum incidat diaboli, quod vnum timebat Paulus, ſi initietur ſacris Ordinibus, non eſt reuerà cum illo diſpenſare in irregularitate, ſed potius declarare ipſum minimè irregularem videri; ſi verò reuera in eo Neophyto deprehenderetur defectus quem timet ineſſe Eccleſia, & qui paſſim in eiuſmodi hominibus eſſe ſolet, & tamen graues ob cauſas neceſſarium videretur illum nihilominus ad ſacros Ordines promoueri, tunc eſſet vera diſpenſatio in irregularitate, quæ pertineret ad ſummum Pontificem, non ad Epiſcopum aliumve Superiorem, cuius eſt tantùm probare illum quem ad Ordines admittit, & videre, vtrum aliquo impedimento Canonico teneatur, non autem cum illo diſpenſare.

11. IAm verò probanda ſupereſt noſtra Propoſitio, nimirum Neophytum Irregularem eſſe, quod quantũ attinet ad Epiſcopatum dixit Paul I. ad Timoth. 3. vbi prohibet Neophytum fieri Epiſcopum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Idem ſanciuit can. 8. Apoſtolor. illud tamen non tradit Paul. tanquam Domini præceptum, ſed ſua ipſe authoritate iubet; quare ab Eccleſia diſpenſari poterit, & reipſa diſpenſatum fuiſſe aliquando volunt DD. quanquam quæ de Ambroſio & aliis afferuntur, non probent diſpenſationẽ, cùm illi iis fuerint moribus & eruditione, vt timendum non eſſet, ne in ſuperbiam elati in iudicium inciderint diaboli ac proinde abeſſet omnis ea cauſa propter quam Paulus Neophytum ab Epiſcopatu ſummouebat.

Porrò quamuis de Epiſcopatu duntaxat loquutus fuerit Paul. eius tamẽ legẽ & prohibitionẽ ad ſacerdotiũ extendit Nicen. C. 2. & Conc. Laodicen. C. 3. ad diaconatum quoque. Conc. Arelat. II. cap. 1. & Conc. Sardic. cap. 13. denique ad ſacros Ordines in vniuerſum, Gregor. lib. 4. Ep. 51. aliàs 95. vnde Neophytus nequidem ſubdiaconus fieri poterit.

MAIOR autem difficultas eſt, an ad minores Ordines facilè admitti poſſit Neophytus, eo quod omnia iura de ſacris tantum Ordinibus meminerint, quo nomine non ſignificantur minores; quare nulla opus eſſe diſpenſatione reſpectu Clericatus & minorum iſtorum Ordinum affirmant Archidiacon. in cap. Quoniam. d. 48. Geminia. & Decius, quos allegat & ſequitur Marchin. cap. cit. num. 8. Tolet. lib. 1. c. 64. Contrarium tamen volunt Suar. loc. cit. Auila diſput. 4. cit. dub. 4. Hurtad. diſp. 2. de Irregul. diffi. 19. Henriq. lib. 14. cap. 4. num. 7. Gordon. loco cit. Ratio verò quæ perſuaſit poſterioribus PP. vt de aliis Ordinibus, quam de Epiſcopatu, de quo tantùm loquebatur Paul. eius verba explicarent, æquè valet in iſtis licet non ſacris, cùm etiam in his ſuperbiæ periculum ſit, neque recens conuerſi in doctrina fidei ſatis inſtructi aut in ea conſtantes eſſe ſoleant, & rerum Eccleſiaſticarum valdè rudes ſint; quare ſi potius rationem iuris quam ipſa verba attendamus, hæc poſterior opinio tenenda omninò eſt, quia tamen dubium Ius facit contraria illuſtrium DD. & Interpretum, vt Archidiaconi, Felini, 12.

Geminiani

Geminiani & Decij authoritas, quibus & aliqui Theologi adhæſerunt, non damnarem eum, qui Neophytum in Clerum admiſiſſet, neque ſubiicerem illum pœnis aduerſus ordinantes Irregularem, neque Neophytum peccati in ſuſceptione Ordinis commiſſi propter impedimentum Canonicum Irregularitatis Reum facerem.

QVÆSTIO IV.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti ſiue ex Bigamia.

Quid ſit Bigamia. n. 1.
Prima Propoſitio de Bigamia in vniuerſum. n. 2.
Expoſitio & Confirmatio propoſitionis. n. 3.
Triplex Bigamia. ibid.
Ad Bigamiam vtriuſque Matrimonij conſummatio requiritur. n. 4.
Secunda Propoſitio de vera Bigamia. n. 5.
Probatur ex Paulo. ibid.
Irregularitas bigamiæ eſt ſolius Iuris Eccleſiaſtici. n. 6.
Tertia Propoſitio. De Bigamia interpretatiua. n. 7.
Varij modi Irregularitatis interpretatiuæ. n. 8.
Prima Pars propoſitionis, Irregularitas oritur ex matrimonio valido cum vidua. n. 9.
Secunda Pars propoſitionis. Irregularitas non oritur ex matrimonio cum fœmina corrupta & non vidua. n. 10.
Ratio propter quam matrimonium cum vidua pariat Irregularitatem bigamiæ, non autem matrimonium cum corrupta non vidua. n. 11.
Tertia Pars propoſitionis, de Irregularitate ex coniunctione viri cum ſua vxore adultera. n. 12.
Expenduntur varia Iura. n. 13. & 14.
Affertur ratio. n. 15.
Vltima Pars propoſitionis, Irregularitatem bigamiæ nunquam oriri ex matrimonio inualido. n. 16.
Varij modi, quibus aſſeritur Irregularitas ex matrimonio inualido. n. 17. & 18.
Quarta Propoſitio. De bigamia ſimilitudinaria. n. 19.
Expoſitio & Confirmatio propoſitionis. n. 19.
Quinam contrahant hanc bigamiam n. 20. 21. 22. 23. & 24.
Conſectarium primum. An qui plura contraxit ſponſalia ſubſequuta copula fiat bigamus & Irregularis n. 25.
Conſectarium ſecundum. An vir qui cum pluribus, etiam viduis aut maritatis fuit ſcortatus aut adulteratus fiat Irregularis. n. 26.
Conſectarium tertium. An qui comperit ſuam vxorem non fuiſſe virginem ſit Irregularis. 27.
Conſectarium quartum. An qui prius à ſe deuirginatam ducit, ſit Irregularis. n. 28.
Conſectarium quintum. An Maritus cognoſcens vxorem vi oppreſſam ab adultero ſit Irregularis. n. 29.
Conſectarium ſextum. An vir, qui pendente lite de adulterio vxoris illam iubente Iudice cognouit, ſit Irregularis. n. 30.
Conſectarium ſeptimum. An vir recipiens vxorem, quæ ex fama mortis ipſius alteri nupſerat, fiat Irregularis. n. 31.
Conſectarium octauum. An qui poſt adulterium vxoris illi fuit reconciliatus fiat Irregularis. n. 32.
Conſectarium nonum. An ducens vxorem ab alio viro relictam propter matrimonij

trimonij nullitatem ſit Irregularis. n. 33.

Conſectarium decimum. An contrahens cum Moniali profeſſa ſit bigamus & Irregularis. n. 34.

Conſectarium vndecimum. An qui duxit puellam, quæ primo maritali congreſſu euaſit in virum, ſiat Irregularis, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias. n. 35.

1 BIGAMIAM & iterata coniugia defectum Sacramenti nominant DD. quia licèt licitæ ſint ſecundæ nuptiæ, & in ſingulis illis reperiatur Sacramentum integrum, vnitas tamen illa ſiue vnio Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ, quam ſignificat matrimonij Sacramentum non ita perfectè ſignificatur, quoties vir per iterata cõiugia diuiſit carnem ſuam in plures vxores, cùm Chriſtus ſit vnus vnius vxoris vir, vt explicat Innocent. III. cap. debitum. de bigamis. & ibid. Gloſſa. V. Sacramentum. Ex hoc porrò defectu exoritur Irregularitas, quam ex bigamia, ſiue etiam abſolutè bigamiam appellant; vnde Bigamia definitur ab Hoſtienſ. tit. de bigam. n. 1. Couarr. in Clem. ſi furioſus. 1. part. §. 2. n. 1. & aliis, Irregularitas ex Sacramenti defectu proueniens, aut ab Vgolin. cap. 56. §. 1. bigamia eſt Irregularitas ex multiplici matrimonio, cùm tamen bigamia, quæ iteratum matrimonium ſignificat, ſit potius cauſa Irregularitatis, quàm ipſa Irregularitas; quare vulgaris illa definitio cauſalis eſt, & non formalis; in explicandis autem variis modis quibus contrahitur hæc Irregularitas diſſident DD. cùm tamen facilè explicari poſſe mihi videatur omnis iſta controuerſia, ſi maluerimus potiùs inſiſtere rationi, quàm DD. varias interpretationes ſequi, & ſolo opinantium numero, aut præiudicata ex ipſorum authoritate opinione duci, maximè cùm certiſſima illa regula poſita ſit, nullam aliam Irregularitatem, quàm quæ in iure exprimatur, admittendam eſſe. Rem igitur omnem paucis iſtis propoſitionibus definiam.

PRIMA PROPOSITIO.

De Bigamia in vniuerſum.

2 DICO primo. Omnem Bigamiam ſiue veram, ſiue interpretatiuam, ſiue ſimilitudinariam, facere bigamum Irregularem, eumque à ſuſcipiendis Ordinibus & ſuſceptorum adminiſtratione remouere, modò matrimonium iſtud geminum conſummatum fuerit.

EXPOSITIO ET CONFIRMAtio Propoſitionis.

3 VNIVERSALIS iſta aſſertio certiſſima eſt ex toto titulo de bigamis non ordinandis & 26. diſt. & 34. diſt. à cap. ſi quis. de Laicis, & 77. diſt. cap. Quicunque, & 28. q. vlt. tota, probabiturque ſequentibus propoſitionibus, dũ de ſingulis bigamiis & variis ipſarũ modis agemus.

Obſeruanda tamen eſt hoc loco allata diſtinctio triplicis bigamiæ, quarum prima eſt vera, quando duo aut plura matrimonia ſucceſſiuè eaque vera & valida habita ſunt, id enim ipſa bigamiæ vox ſonat, & quamuis ter aut quater quis contraxerit, nomine tamen bigami comprehenditur, quia omnes nuptiæ, poſt primas dicuntur ſecundæ ex Gloſſa communiter recepta in Rubricam. C. de ſecundis nupt. Altera

bigamia

Bigamia dicitur interpretatiua, quã agnoſcit gloſſa in cap. ſuper eo. de bigamis. V. in bigamis. quia ex quadam Iuris fictione cenſetur vir diuidere carnem ſuam in plures vxores, etiamſi vnam tantùm verè & validè duxerit, vti contingit, quando quis vnicam ſibi coniunxit ſed viduam. Tertiam bigamiam addidit Specul. tit. de diſpenſationib. §. iuxta n. 6. quam ſimilitudinariam nominauit quoties aliquis voto ſolemni caſtitatis ligatus ducit vxorem, cùm enim iam matrimonium ſpeciale contraxerit per eiuſmodi votum, ſi carnale deinceps ineat, analogam quandam & ſimilitudinariam bigamiam incurrit; Quomodo autem ſingulæ iſtæ bigamiæ cauſent Irregularitatẽ ſtatim aperiam. Nunc ſatis ſit in vniuerſum dixiſſe huiuſmodi Irregularitatem ab omni ordine ſuſcipiendo, & à ſuſcepto adminiſtrando repellere, quod ex omnibus locis, in quibus de hac Irregularitate agitur, manifeſtum fit, cùm ex omni Ordine Clericali bigami reiiciendi dicantur, quod patebit inferius, vbi de pœnis bigamorum Clericorum agemus; quare reiiciendi ſunt, qui eiuſmodi bigamis vſum minorum Ordinum permittebant, ſi illis ante bigamiam contractam fuerant initiati, eo quod cap. lector. d. 34. & cap. ſi ſubdiaconus ead. diſt. illi qui viduam duxerat, id permittatur, verùm ea permiſſio fuit diſpenſatio in lege Eccleſiaſtica.

4 Ad omnem porrò bigamiam & irregularitatem ex illa prouenie͂tem requirebã conſummationem vtriuſque matrimonij, in bigamia enim vera debet cum vtraque vxore matrimonium conſummaſſe; In interpretatiua bigamia ſi ducat viduã debuit illa à priori viro cognita fuiſſe, & qui illam ducit, cum illa etiam conſummare matrimonium, vt dicatur bigamus, quod idem quoque in eo, qui duo inualida matrimonia vel ſimul vel ſucceſſiuè iniuit, vel vnum validum, alterum inualidum, ſi inde ſequatur interpretatiua bigamia vti communior ſententia fert, dicendum eſt, atque etiam in bigamia ſimilitudinaria. Ita enim definitur de ineunte duplex matrimonium ab Innocent. III. cap. debitum. de bigamis, & de ducente viduam ibid. atque à Gelaſio cap. fin. 34. diſt. Et denique de bigamia ſimilitudinaria in cap. vlt. de bigamis, ibi enim ſubdiaconus, qui iniuerat matrimonium tanquam bigamus repellitur *opere ſubſequuto* atque ita tradunt Sanch. lib. 7. de matr. d. 83. n. 4. & 5. Sayr. lib. 6. cap. 4. num. 3. Couarr. in Clem. ſi furioſus. prima parte. §. 2. num. 2. Quare paſſim reiicitur Magiſter, qui in 4. d. 17. exiſtimauit ſolum matrimonium ratum inducere bigamiam & Roſell. V. bigamus. n. 2. & alij qui ſolemniter profeſſum ineuntem matrimonium & non conſummantem bigamũ eſſe dicunt & ex bigamia ſimilitudinaria Irregularem, quod negant cæteri DD. apud Sanch. n. 5. cit. Ratio redditur ab Innocent. III. cap. debitum. de bigamis. quia ſine copula non ſignificatur Coniunctio Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, cùm per ſolam commixtionem vir & vxor fiant vna caro; quare abſque ea vir non diuiſit carnem ſuam in plures, neque habet defectum Sacramenti ſignificantis vnionem Chriſti cum Eccleſia tum per Charitatem tum per Incarnationem.

Ad hanc autẽ conſummationem neceſſariam ad bigamiam & ex ea prouenientem Irregularitatem re-

quiritur emiſſio ſeminis virilis in vas fœmineum neque ſufficit ſola vaſis illius penetratio etiam virili membro facta, quanquam enim Eccleſia præſumat per copulam & vaſis penetrationem, fuiſſe quoque ſeminis immiſſionem, atque perfectam matrimonij conſummationē, atque adeò iudicet in eo matrimonio, ſi cætera adſint nihil deeſſe ad bigamiam & defectum perfectæ ſignificationis Sacramenti quoad omnia externa de quibus tantùm ipſa pronuntiat, habeatque proinde talem pro Irregulari, reuerà tamen non eſt bigamus & ſi ſine ſcandalo poſſet ordinari, non peccaret aut in ſuſcipiendo Ordine, aut in miniſtrando. Ita Sanch. lib. 7. diſp. 83. n. 6. Hurtad. diſp. 2. de Irregularit. diffi. 13. Kon. diſp. 18. n. 102. quatenus requirit perfectam copulam, quæ ſine ſeminatione non fit contra Henriq. lib. 11. cap. 15. n. 3. vbi littera B. alios allegat, Innocent. enim. cap. debitum cit. requirit matrimonium conſummatum ea cõmixtione corporum, quæ connubium Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem repræſentet; non eſt autem conſummatum ſola vaſis fœminei penetratione, ſiue ſeminatione, vt paſſim tradunt DD. & ex illis Villalob. diffi. 13. tract. 13. Rom. 1. quandoquidem abſque ea commixtione & ſeminatione Coniuges non fiunt vna caro, in qua vnitate repræſentatur verbi Incarnatio, & ſanè qui non habuit niſi copulam imperfectam, neque ſeminauit etiamſi rigente virga clauſtra pudoris fœminei perrupe it, non tamen reuerà diuiſit carnem ſuam in plures, ac proinde non eſt verè bigamus.

Dices ex ſponſalibus inualidis defectu conſenſus interni oriri impedimentum publicæ honeſtatis, eo quod omnia, quæ exterius requiruntur ad illorum ſponſaliorum valorem poſita fuerint, cùm igitur in noſtro caſu omnia quæ ad conſummationem matrimonij neceſſaria videntur exterius poſita fuerint, reuerà einſmodi conſummatio ſufficiet ad bigamiam & Irregularitatem.

Reſpondetur, Inhoneſtatem propter quã prohibuit Eccleſia, ne quis duceret conſanguineã prioris ſponſæ reperiri quoties ſponſalia pro veris habentur, & exterius celebrata fuerunt, cùm illa inhoneſtas ſit in offenſione hominum, qui damnant iure merito ſubſequens matrimoniũ at verò bigamia exigit matrimoniũ, in quo ſit defectus ſignificationis, qui vt iam docui, reuerà non eſt niſi fuerit conſummatio per veram & perfectam copulam.

Quare etiamſi vxor fuerit corrupta per diſruptionem aut penetrationem pudoris inſtrumento aliquo, aut etiam virili pudendo, ſi tamen non ſuſceperit ſemen, quamuis virginitatem amiſerit, non tamen efficiet maritum bigamum, ſicut neque ſi ſodomiticè, aut extra vas quocunque modo cognita fuerit, quod etiã verius exiſtit, ſi voluntariè polluta fuerit abſque virili congreſſu: è contrario verò ſi virile ſemen, ſiue per matricis attractionem, ſiue qualibet alia arte aut ratione abſque penetratione vaſis, & violatione clauſtri exceperit, reuerà faciet bigamũ ſuum maritum, ſi cætera adſint, quia per eam ſuſceptionem ſeminis fit vna Caro cum ſuo viro, cui medio illo ſemine carnaliter commiſcetur. Ita Sanch. diſp. 83. cit. num. 7. & manifeſtè ſequitur ex dictis.

SECVNDA PROPOSITIO.

De vera Bigamia.

VERA bigamia facit Irregularem ex Eccleſiæ lege.

PRIMA PARS
Propoſitionis.

CIRCA priorem huiuſce propoſitionis partem nulla poteſt eſſe difficultas, cùm ex locis initio 1. propoſitionis allatis perſpicuè tradatur & à Paulo definita fuerit primæ ad Timoth. 3. cum vult Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum; quod in Diaconis quoque poſtulat ad Titum. 1. quibus verbis non prohibuit Paulus ſcortationem duntaxat & adulteria Epiſcopis quos ſua vxore contentos eſſe iuſſerit; neque ſolam Polygamiam à Clero reiecit vt latè diſputant Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 23. Turrian. lib. 1. pro defenſio. Canon. Apoſtolo. cap. 2. aliique DD. Catholici Lutheri & Magdeburgenſium aniles nugas confutantes, voluit itaque Paulus neque Epiſcopum neque Diaconum ſecundis nuptiis vnquam copulatos fuiſſe, nam primò cùm idem repetat ad Titum 1. & præterea velit hunc Epiſcopum vnius vxoris virum pudicum & continentem eſſe, ſatis oſtendit, nolle illum amplius dare operam liberis, atque adeò non præcipit duntaxat, ne polygamus ſit, aut ne ſcortetur, ſed ne ſecundas nuptias vnquã contraxerit, & ideò non poſtulat tantùm Epiſcopum pudicum, ſed etiam continẽtem, pudici ſunt etiam ipſi coniuges dum vtuntur matrimonio, non autem continentes, niſi ab omni concubitu abſtineant, nam ἐγκρατὴς dum abſolutè ponitur, ad voluptates ventris & guſtus refertur ex Ariſtotele primo magno. Morali. Immò continens addit generoſum aliquem conatum in frænandis hiſce voluptatibus & commotionibus appetitus, σώφρων enim, id eſt caſtus non patitur, ἐγκρατὴς verò id eſt continens patitur, inquit Ariſtoteles. Neque eſt quod dicant hanc continentiæ vocem in ampliori quadam ſignificatione vſurpatam fuiſſe à Paulo, & non pro illa ſpeciali virtute, quam modo ex Ariſtotele deſcribebamus quæ omnes delectationes venereas præſcindit, nam cum reliquæ virtutes quas in vtroque illo loco in Epiſcopo requirit Paulus, ſint ſpeciales & non tantùm genericæ & vniuerſales, reddant rationem oportet, propter quam hæc vna vox, ἐγκρατὴς in ampla quadam & communi ſignificatione fuerit vſurpata. Vult Paulus Epiſcopũ eſſe hoſpitalem, quod de impendendis eleëmoſynis & fratribus peregrinis ſuſcipiendis propriè capiendum eſſe patet tum ex Can. 41. Apoſtol. tum ex Petri Epiſtolis, tum ex omnibus antiquis monumentis, quæ hanc Charitatis exhibitionem aducitus egenos & peregrinos, fratres maximè fuiſſe commendatam Epiſcopis teſtantur. Vult eſſe φιλάγαθον ſtudioſũ eorum, qui probi ſunt, vt ſuo illo ſtudio prouocet omnes ad probitatem; caſtum ſiue pudicum, vt ſuo exemplo & hortatu ad pudicitiam incitet; ſit caſtus ἀπροσωπόληπτος, non acceptet perſonas ſiue diuitis, ſiue pauperis, ſed omnibus ſumma æquitate ius dicat in Eccleſia, ſit ὅσιος ſanctus addit enim aliquid ſanctitas Iuſtitiæ, vt obſeruat Photius in ſuo Lexico, quia iuſtitia ponit æqualitatem inter homines, ſanctitas autem reſpicit DEVM cui conſecrat

accipere; vnde Tertullian. exhortatione ad Caſtit. animaduertit in veteri lege caſtratam ſæpiùs fuiſſe nubendi licentiam, cautum eſt, inquit, in Leuitico, Sacerdotes mei non plus nubent, plus autem eſt, quod ſemel non eſt, quod non vnum eſt, quanquam hic locus neque in Hebræo, neque apud LXX. legatur. Apud Ethnicos quoque eiuſdem ſanctitatis veſtigia deprehendere licet, flamen enim amiſſa vxore flaminio decedebat, eo quod nefas alioquin illi eſſet ſecundam vxorem ducere teſte Gellio, lib. 10 Nocti. Attica. cap. 15. quod idem quoque affirmant Tertull. exhortatione ad Caſtitat. lib. 1. ad vxorem. lib. de Monogamia, ſub fin. & l. de præſcription. Hieronym. Ep. ad Gerontiam, quæ eſt de Monogamia, cuius laudes vterque hic Doctor iiſdem locis proſequitur, adduntque Flaminiam quoque vniuiram fuiſſe, diuque ceſſatum quondam fuiſſe ab iterandis Coniugiis, vt patet ex eo quod primum id auſum fuiſſe Lamechum dicat Tertullian. in lib. exhortat. ad Caſtitatem; Pauſanias verò Gorgophonem Perſei filiam mortuo priore Coniuge nupſiſſe Oebalis, atque ita initium dediſſe ſecundis Nuptiis.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Irregularitas Bigamiæ eſt Iuris Eccleſiaſtici.

6 TOTA igitur difficultas eſt circa ſecundam partem noſtræ Propoſitionis, in qua aſſerui hanc Irregularitatem inductā tantùm fuiſſe Iure Eccleſiaſtico, cùm enim Paul. illam locis initio allatis tradiderit, videtur eſſe Iuris diuini, atque ita affirmat Franc. Turrian. cap. 1. lib. 1. aduerſus Magdeburgen. eo quod omnia, quæ in Epiſtolis Apoſtolorum reperimus, tradita velit eſſe à Domino, non ore quidem proprio, ſed mediis Apoſtolis, neque aliud velle Paul. dum ad Corinth. ſcribens de connubio fidelis cum infideli, ait: Cæteris ego dico non Dominus, quā diſtinguere ea, quæ prius Chriſtus dixerat ore proprio quæ in Euangeliis referuntur, ab iis quæ tunc primum ore Apoſtolico loquebatur; Confirmat prætereà hanc ſecundarum nuptiarum prohibitionē quoad ſacros miniſtros ex Epiſtola ſecunda Petri ad Clem. idem quoque docet Petrus Soto lect. 18 de Matrim, & alij quidam apud Innocent. in cap. niſi cùm pridem. §. perſonæ. de Renuntiation. Verùm contrarium aſſerunt S. Thom. in 4. d. 29. a. 1. & alij omnes tum Theologi, tum Canoniſtæ quorum benè multos dabit Sayr. lib. 6. cap. 3. n. 20. alios verò enumerare ſuperfluum foret in tam conſtanti omnium ſenſu; falsū enim eſt, omnia quæ in ſuis epiſtolis præceperunt Apoſtoli eſſe Iuris diuini, cùm enim conſtituti & ipſi eſſent à Spiritu Sancto, Epiſcopi regere Eccleſiam Dei, plurimas leges authoritate ſibi tum Epiſcopali ordinaria, tum Apoſtolica ſanciuerunt Eccleſiæ, quæ Iuris diuini non ſunt, neque à Chriſto poſitæ, cuiuſmodi eſſe iſtam de Bigamis à ſacris miniſteriis remouendis atque de ipſo cœlibatu Sacerdotum exiſtimauit ſemper Eccleſia, quod alibi fuſiùs contra eundem Franciſcum Turrian. ſtabiliemus; obſeruandumque hoc loco eſt cum Suar. diſp. 49. ſect. 5. n. 2. præceptum Apoſtolicum de ſola bigamia vera agere, nō de interpretatiua, nam ſi propriè loquamur etiam ille,

ille, qui corruptã ducit, vnius vxoris vir eſt, ſicut etiam ſi illa viuente cum alia inualidè contrahat, cum eius ſecundæ vir non ſit, ſed adulter; Connubium autem ſpiritale, ex quo bigamia ſimilitudinaria ſequitur, non multiplicat Carnale, quare etiã ſi matrimonium voto ſolemni Caſtitatis ligati validum foret, non tamen propterea non eſſet vnius vxoris vir; Hæ igitur omnes bigamiæ ita ab Eccleſia inductæ ſunt, vt ne à Paulo quidem fuerint imperatæ.

Tertia Propositio.

De Bigamia interpretatiua.

7 Irregvlaritas ex Bigamia interpretatiua oritur duntaxat ex matrimonio valido cum vidua contracto; ex matrimonio autẽ cũ corrupta & vitiata extra matrimoniũ, & ex copula cũ propria vxore adultera naſcitur tantùm Irregularitas ex infamia; Denique ex nullo matrimonio inualido ſequitur Irregularitas, vel non niſi ex delicto & infamia, non autem ex bigamia.

Expositio et Confirmatio Propoſitionis.

8 Qvia DD. volunt pluribus modis incurri Irregularitatem ex Bigamia interpretatiua, vt aliqua ratione illorum diſſidia componam, diſtinguo duplicem Irregularitatem hoc loco, vnam quæ ſit propria Irregularitas bigamiæ; quia quamuis ex interpretatiua tantùm bigamia oriatur, tamen eodem modo contrahitur, eiuſdéque rationis eſt cũ Irregularitate, quæ ex vera bigamia naſcitur, cùm enim fictione Iuris hęc bigamia cenſeatur eoſdẽ Iuris effectus, atque adeò eandem omninò Irregularitatem cum vera bigamia producet: Hæc autem Irregularitas eſt ſolùm ex defectu Sacramenti, quæ proinde neque culpam, neque cognitionem eius, neque aliud quidquam requirit vt contrahatur, modò verus, vel ex Iuris fictione exiſtimatus ille Sacramenti defectus exiſtat.

Altera eſt Irregularitas ex delicto aut infamia, quæ quia oritur ex nuptiis cum perſonis infamibus, aut modo infami propter commiſſum in illis crimen contractis reducitur ad Irregularitatem ex bigamia, & malè cum illa, quæ eſt tantùm ex defectu Sacramenti confunditur à pleriſque DD. repugnante omninò Iure, quod licèt turpia & infamia illa matrimonia ſiue ratione modi, ſiue ratione perſonæ remoueat à ſacris, clarè tamen fatetur bigamiam non eſſe, neque propriam neque interpretatiuã, neque ſolum defectum Sacramenti, qui in matrimonio inualido fingi non poteſt, ſed delictum & infamiã attendit; comparat autem cum bigamis, non quod ipſos tandem cum illis Irregularitatem incurrere velit, ſed vt oſtendat potiori Iure quàm bigamos cenſendos illos eſſe Irregulares; quàmuis igitur vtriuſque huius Irregularitatis cauſa materialis ſit matrimonium, proxima tamen ipſarum radix longè diuerſa eſt, vna enim ex defectu Sacramenti, altera ex infamia aut delicto progerminat.

Quare inter vtramque plurimum intereſt, quæ enim eſt ex bigamia, ex actione externa etiam inculpabili atque occultiſſima, & ab ignorante contrahitur, neque vlla cauſa externa excuſatur, ſatis enim eſt eam actionem poni, à ſolo quoque Pontifice diſpenſabilis eſt, quæ autem

ex delicto cauſatur, requirit peccatum mortale cum contumacia, immò & notorietatem ſufficientẽ ad creandam infamiam exigit, quia vt oſtendam inferius, non imponitur ratione ſolius delicti, niſi famoſum ſit: quare excuſatur ea Irregularitas, quoties vel actio redditur immunis culpæ, vel quoties non generat infamiam; & demùm ab Epiſcopo diſpenſabilis eſt; vt docebimus ſuo loco. His obſeruatis ſingulas partes noſtræ propoſitionis oſtendo.

PRIMA PARS Propoſitionis.

Irregularitas oritur ex matrimonio valido cum vidua.

9 DIxi igitur primò bigamiam interpretatiuam, atque Irregularitatem defectu Sacramenti, quę eſt vera Irregularitas bigamiæ, contingere, quoties aliquis viduam ſibi matrimonio iungit, etſi enim ſit ibi vnum dũtaxat reipſa matrimonium, eſt tamen fictione duplex, eo quod vidua illa iam fuerit priori matrimonio alteri viro copulata, non eſt, inquit, Innocent. III. in cap. debitum. de bigam. vnica vnici, ſicut neque verè bigamus eſt vnus vnius, atque ita in neutro matrimonio cenſetur eſſe perfecta ſignificatio Connubij Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, Chriſtus enim eſt vnus vnius, & Eccleſia vnica vnici. Hanc porrò Irregularitatem agnouerunt perpetuo PP. & Concilia vt cap. 26. Martin. Bracaren. ex ſynodis Orientalib. collegit in ſua compilatione Canonum, & ſanè Can. Apoſtolo. 18. qui refertur cap. ſi quis viduam. d. 50. Gregor. lib. 2. Ep. 25. vnde deſumptum eſt cap. præcipimus. 34. d. & lib. 11. Epiſt. 8. Vrban. II. in Conc. Meldenſ. ex cap. nemo. diſt. 32. Siriti. Ep. 1. cap. 8. Innocent. I. Ep. 2. cap. 4. & 5. & Epiſt. 4. cap. 2. & Epiſt. 22. cap. 1. Ep. 24. cap. 5. Leo I. Ep. 1. cap. 2. & Ep. 84. cap. 3. & Ep. 87. cap. 1. Leo IX. contra Nicætam Monachũ. in cap. ſeriatim. de Clericorum gradibus. & Hilari. in Synodo Roman. vti refertur cap. Curandum. d. 34. apertiſſimè ita docent, ſicut & Innocent. I. Ep. 22. Conc. IV. Carthagin. can. 69. Valentin. can. 1. Toletan. I. cap. 3. & Toletan. IV. cap. 8. & 44. Arelatenſ. III. cap. 5. Gerundenſ. cap. 8. Aurelian. III. cap. 6. & Aurelian. IV. cap. 10. Turon. I. cap. 4. Hiſpalen. II. cap. 4. In his enim omnibus locis, qui viduam aut renuptam, aut internuptam duxerit à Clero reiicitur: debuit autem hæc vidua conſummaſſe matrimonium cum priori viro vt prima propoſitione monui, neque ignorantia viri illam ducẽtis excuſabit ab irregularitate; ſi v. gr. ipſa falsò iuraret ſe virginem eſſe, & à priori viro minimè cognitam fuiſſe, erit enim nihilominus talis maritus irregularis, & pro tali ſe gerere debebit, neque Ordines ſine diſpenſatione ſuſcipere poterit vbi vxorem ſuam à priori eius marito ſubactam nouerit, atque in hanc primam propoſitionis partem omnes æquè conſentiunt.

SECVNDA PARS Propoſitionis.

Ex Matrimonio cum fœmina corrupta non vidua non oritur Irregularitas.

CORRVPTAM appello, quæ extra legitimum matrimonium 10
viciata

d. 34. ex Synodo Romana ſub Hilario & cap. præcipimus ead. diſt. ex Gregor. qui viduam & non virginem duxit remouetur à ſacris, vox illa non virgo, non ſignificat infamem aliquam perſonam, ſed ſolum corruptam, qui igitur non virginem acceperit vxorem, ſiue res nota ſit, ſiue occulta, ſiue ipſemet ſciat, ſiue non, erit omninò irregularis, atque vbi deinde ſciuerit ſe non duxiſſe virginem, abſtinere debebit à ſacris donec diſpenſetur. Reſpond. Hos PP. per non virginē intellexiſſe viduam illis locis, neque hæc nomina ad ſignificanda duo genera perſonarum addidiſſe, ſed vt deſignarent quandonam matrimonium cum vidua faceret Irregularem, ſi nimirū cōtrahatur cum vidua non virgine, & à priori viro cognita, ſi enim nūquàm conſummaſſet prius illud matrimonium, non diceretur bigamus, qui illam poſteà duceret, vti prima Propoſitione diximus; quare PP. perpetuò agunt de vidua, & non virgine quæ & priori viro iuncta & cognita fuerit, ſi enim alterum ex iſtis deſit quia vidua quidem eſt, ſed non conſummato matrimonio virgo adhuc reſtat, vel licèt corrupta ſit, non tamen eſt vidua, quia nunquam coniuncta viro fuit, non efficitur bigamia etiam interpretatiua, neque proinde ex illa conſurgit Irregularitas quamuis aliunde ſi ob turpem vitam infamis ſit, naſcatur irregularitas ex matrimonio cum illa contracto, quæ erit Irregularitas ex infamia, & non ex defectu Sacramenti, & ſanè non erat, cur Apoſtoli in ſuo Canone, & cæteri deinceps Pōtifices ſolliciti eſſent in enumerandis iſtis perſonis ex quarum matrimonio naſceretur Irregularitas, ſatis enim fuiſſet dicere bigamiā accidere, quoties aliquis contraheret cum non virgine, neque viduam & non virginem eiectam, repudiatam, meretricem, & Scenicam nominare quidquam attinebat, niſi fuiſſet aliquod diſcrimen inter iſta coniugia, & diuerſa ratio propter quam à ſacris Ordinibus repelleret. Cum igitur nihil planè habeamus in Iure, quod Irregularitatem bigamiæ & defectus Sacramenti affingat iſtis Coniugiis cum corrupta non vidua, ſeu extra legitimum matrimonium vitiata, ſequitur, vt ſi quæ in illis nihilominus reperiatur Irregularitas, vti omninò aliquando reperiri certum eſt, illa vel ex delicto, vel infamia, vel vtroque eo capite ſumatur.

Qvibvs omnibus accedere mihi videtur euidentiſſima ratio. Bigamiæ irregularitas & defectus Sacramenti contingit, vti ſæpius monuimus ex Innoc. & communi Theologorum ex eo quod vir diuidat carnem ſuam in plures atque ita non ſit *vnus vnius aut vxor non ſit vnica vnici*, eo quod cum alio coniuncta fuerit; atqui hæc carnis diuiſio non reperitur in matrimonio cum corrupta extra Coniugalem thorum; ergo in eo matrimonio non eſt irregularitas bigamiæ, & defectus Sacramenti ſiue verè, ſiue interpretatiuè & ex Iuris fictione; Minor in qua conſiſtit tota vis & difficultas argumenti, cùm maior ab omnibus conceditur, facilè oſtenditur, ſi prius obſeruemus, quid neceſſarium ſit ad perfectam ſignificationē Sacramenti ſiue vt vnio Chriſti cum Eccleſia per aſſumptionē carnis perfectæ repræſentetur à matrimonio fideliū, inde enim ſtatim colligetur, quandonam ea repræſentatio manca futura ſit; Chriſti igitur vnio duo dicit nimirū

affectum eximiæ charitatis, & realem vnionem diuinæ ſubſiſtentiæ Verbi cum carne noſtra, per quam vnionem Verbum Caro factum eſt; quare vt aduertunt PP. in Concil. Alexandrino contra Arianos, Incarnatio non fuit facta per *συνάφειαν* quæ ſolam propinquitatem ſignificat], ſed per *ἕνωσιν* vnionem, per quam duo quædam fiunt vnum. Hæc itaque Chriſti cum Eccleſia coniunctio ſignificatur per matrimonium fidelium, in illo enim habemus mutuum affectum & realem vnionem per cōmixtionem corporum, ex qua coniuges iam non ſunt duo, ſed vna caro; & idcircò vir diligit coniugem ſuam tanquam ſuam carnem, quæ eſt ratiocinatio Pauli ad Epheſ. 5. Itaque & *viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua, qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit, nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit.* Debet itaque vir æſtimare, atque tractare deinceps ſuam vxorē tanquam propriam carnem, *Quia non iam ſunt amplius duo, ſed vna caro hoc autem Sacramentum magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia*, inquit, Paul. quia & per affectum vnitur Chriſtus Eccleſiæ, & per carnis cōmixtionē, vnde illā diligit tanquā propriā carnē & propriū corpus, & fideles dicūtur mēbra Chriſti caro de carne, & os de oſſibus eius; quod ratione totius Eccleſiæ in Incarnatione contigit; & cum ſingulis fidelibus in Euchariſtię manducatione perficitur, vti Vaſquez 3. part. diſp. 204. cap. 4. Alan. lib. 1. de Euchariſt. c. 28. de Xainctes. Repetit. 5. de Eucha. cap. 1. & 2. Turrian. lib. 1. de Euchariſt. cap. 8. & 9. Latiùs exponunt; vt igitur hæc Chriſti connubialis vnio perfectè repræſentetur, neceſſaria imprimis eſt maritalis affectio, & vinculum ex ea reſultans, alioquin copula etiam fornicaria illam repræſentaret, cùm in illa quoque reperiatur carnis vnitas, quia teſte Paulo 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici vnū corpus efficitur cum ea erunt* enim, inquit, *duo in carne vna*, & ſanè ex amore mutuo proficiſcitur illa commixtio, & eſt amoris, qui ad realem vnionem perpetuò tendit, conſummatio, quia tamen amor ille non ita ligat fornicantes, vt poſt illā cōmixtionem ſcortator habeat meretricem tanquam carnē ſuam & vt talem illam tractare & gerere debeat, ſicuti contingit in cōmixtione, quæ eſt conſummatio affectus maritalis; copula fornicaria nulla ratione repræſentat vnionem connubialem Chriſti cum Eccleſia, cùm iſti fornicatores non fiant propriè vna caro, etiamſi ſeſe ex amore commiſceant quod etiam verius eſt, ſi vi & renitente altero fiat illa coniunctio, cùm non ſit affectus reciprocus, qui ad vnionem efficiendam neceſſarius eſt; In matrimonio autem conſummato quàmuis altero coniuge diſſentiente exerceatur copula, Coniuges fiunt vna caro, quia cōmixtio illa & cōiūctio carnalis eſt prioris amoris ac conſenſus, quo ius ſibi mutuo in ſua corpora tradiderunt, & quia vinculum illius conſenſus, ſeu illud ius perpetuò manet, neque alterius diſſenſu aut odio diſrumpitur, ſtatim atque vtuntur coniuges illo iure ſiue volentes, ſiue altero inuito & repugnante fiunt ambo vna caro. Itaque ad hanc vnitatem carnis & conſequenter ad repræſentandam vnionem Chriſti cum Eccleſia neceſſariò requiritur, vt vides, mutuus affectus maritalis. Secundò, exigitur conſummatio illius affectus & carnalis coniunctio, vti iam oſtendimus pri-

ma

ma Propoſitione, quia ante illam commixtionem Coniuges non fiunt vna caro. Tertiò quia Chriſtus vnius Eccleſiæ ſponſus eſt, & Eccleſia nulli alteri vnquàm iuncta fuit, etſi enim aliis amatoribus ſe proſtituerit famoſa meretrix vt ſæpius obiicitur Synagogæ, nullum tamen aliud connubium iniuit, ſed turpiter adulterata eſt, non repræſentatur hæc vnitas coniugij Chriſti, niſi vt aiebat Innocent. *Vir ſit vnus vnius, & vxor vnica vnici*, atque non diuidat vir carnem ſuam; hæc porrò diuiſio carnis non contingit, niſi quando vir fit vna caro cum pluribus, atqui vnitas carnis non contingit niſi in commixtione maritali & non in fornicaria; quamdiu igitur aliquis non fuerit plurium maritus ſeruabit vnitatem carnis, ſiue non diuidet carnem ſuam in plures, neque impedietur quominus ſuo vnico matrimonio repræſentet vnitatem Coniugij Chriſti, quæ ratio eſt propter quam, vt dicemus inferius ex communi omnium ſententia; vir qui cum pluribus adulteratur, aut ante coniugium ſcortatur non fiat bigamus, quia non diuiſit carnem ſuam, cum non fuerit factus vna caro cum ſcorris vti explicuimus. Quando tamen vxor non eſt *vnica vnici*, quia iam alterius viri facta fuerat caro, qui cum illa deinde contrahit, dicitur à Iure ſuam carnem diuidere in plures, quia nempe fit vnica caro cum vxore, quæ iam cum aliis fuit vna caro, & in eos omnes, cum quibus vxor facta fuit vna caro, vir qui illam ducit fingitur diuidere ſuam carnem, quando per maritalem commixtionem fit vna caro cum ipſa, quæ cum aliis quoque fuit facta vna caro; ad hanc igitur bigamiam Interpretatiuam, quæ ſumitur ex eo quod ducatur vxor quæ non eſt *vnica vnici*, ad quod requiritur, vt illa facta fuerit vna caro cum pluribus, quod non contingit etiamſi ſuum corpus vulgârit niſi per commixtionem maritalem alterius viri facta fuerit caro; quando igitur iſta primò matrimonium contrahit cum aliquo reuerà erit vnica vnici, ſi neque ille vnquam maritus fuerat, etiãſi virgo non ſit, ſed lupa & ſcortum; quare in eo matrimonio non magis erit defectus ſignificationis vnitatis matrimonij Chriſti cum Eccleſia, quàm ſi vir ſcortatus diutius, virginem deinde duxiſſet; ſi enim ille fiat in eo matrimonio poſt copulam fornicariam *vnus vnius*, & fœmina quoque fiet *vnica vnici* quãuis antea conſtuprata fuerit, cum neuter ex his coniugibus factus fuerit vna caro cum alio quopiã, quàm cum ſuo Coniuge, quamuis cum aliis ſæpiùs cõmixtus carnaliter ſit; Quare ſi quæpiã irregularitas exurgat ex matrimonio cum non virgine & non vidua, ſed per ſtuprum aut fornicationem vitiata contracto, non erit Irregularitas bigamiæ & Sacramenti defectus, qui vt oſtendi nullus ibi nequidem fingi poteſt à Iure, ſed erit alia quæpiam Irregularitas ex infamia nimirum eo quod cum perſonis incontinentibus & probroſis non ſine nota turpitudinis eiuſmodi matrimoniũ ineatur. Non pugnamus igitur cum cõmuni ſententia, quaſi negemus omnem Irregularitatẽ ex matrimonio cum corrupta non vidua, ſed quia volumus non eſſe Irregularitatem Bigamiæ etiam interpretatiuæ, ſed ex infamia; vnde ſequitur contra eandem communem ſententiam ſecluſa infamia huius matrimonij cum corrupta, quæ v. gr. habetur virgo in

opinione hominum, non contrahi irregularitatem, vti deducemus in Conſectariis.

TERTIA PARS propoſitionis.

De irregularitate ex Coniunctione viri cum vxore ſua adultera.

12 DIxi tertiò. Eum qui propriam vxorem, quam virginem duxerat, cognouit poſt adulterium ab ipſa commiſſum, non contrahere irregularitatem bigamiæ, ſed ex infamia duntaxat. Ita ſentiunt imprimis parte ſuperiori citati, deinde illi omnes, qui ad hanc irregularitatem volunt adulterium vxoris cognitum eſſe à viro cum Sà v. Irregularitas ex bigamia num. 2. & 3. Petr. Ledeſma in Summ de matrim. cap. 32. Con. 6. Innocent. in cap. Inquiſitioni. de ſenrent. Excomm. relatus à Couarr. in Clem. ſi furioſus. 1. part. §. 2. num. 3. Rebuff. de pacificis poſſeſſ. num. 194. neque abnuere videtur Gloſſa in cap. 2. de bigamis. Verſ. in bigamis. Si autem requiritur ſcientia ad hanc irregularitatem contrahendam, illa non erit ex ſolo defectu, alioquin ab ignorante incurreretur. Idem quoque fateri neceſſe eſt eos omnes, qui apud ſummam Confeſſ. lib. 3. tit. 3. quæſt. 9. negant virum cognoſcentem imperio iudicis vxorem adulteram fieri irregularem, in quibus numeratur Innocent. in cap. Inquiſitioni citat. Ancharan. Ioann. Andr. aliíque à Sanchez libro 7. diſputatione 84. num. 16. relati. Vt videas noſtram ſententiam non deſtitui ſuis authoribus, quamuis contrariam, quæ irregularitatem ex defectu Sacramenti & ratione bigamię interpretatiuę agno-ſcit, communiſſimam eſſe fateat, & in quam omnes ferè tum veteres, tum recentiores abeant, vt videbis apud Sanch. diſput. 84. cit. num. 15. Bonacinam, Layman, Barboſ. all. 49. de poteſtate Epiſcopi. num. 8. Comitol. lib. 1. Reſponſo. quæſt. 106. num. 3. Garc. 7. part. de benefic. cap. 6. n. 16. & Sayr. lib. 6. cap. 3. num. 19. vbi tamen noſtram opinionem probabilem dicit, ſed mihi videntur hi DD. ex prę iudicata quadam opinione potiùs, quàm certo iure, aut ratione duci.

Et quidem quoad ius ſpectat, duo 13 duntaxat ex illo afferuntur, quæ facilem habent explicatum. Primum eſt cap. ſi cuius. diſt. 34. quod deſumptum eſt ex Conc. Neocæſar. cap. 8. vbi Laïcus, cuius vxorem commiſiſſe adulterium euidenter fuerit comprobatum à miniſterio ſacro remouetur; Clericus verò cuius vxor adulterauerit, illam vel dimittere debebit, vel ſi retinere velit, à miniſteriis Eccleſiaſticis abſtinere. Secundò affertur cap. ſi Laïci ead. diſt. quod ſuo more Gratianus tribuit Martino Papæ in Concil. Roman. cùm habeatur apud Martinum Bracarenſ. in ſua collectione Canonum ex Synodis orientalib. cap. 28. Vbi idem omninò dicitur, quod in Canone Neocęſarienſ. citato. Hæc autem iura noſtram ſententiam non impugnant, ſed eam potiùs ſtabiliunt, nam imprimis poſtulat Canon Neocæſari. vt euidenter φανερῶς, fuerit comprobatum adulterium ἐλεγχθῇ φανερῶς μοιχευθεῖσα. Quare Balſamon in ſuis Scholiis vult apertis probationibus conuictam fuiſſe eam mulierem, ἐξελεγχθεῖσαν διὰ φανερῶν ἀποδείξεων, & non tantùm ſuſpicione leui aſperſam, aut etiam ex indicio aliquo, ſed non ſufficienti ad conuictionem marito ſuſpectam, aut vt ait Zonar. Monach. accuſatam ab iis, quibus nomen

nomen illius deferendi poteſtas non eſt, quia non omnibus conceſſum erat mulierem adulterij ream agere, ſed vt obſeruat Balſamon marito duntaxat, patri, fratri, patruo & Auunculo; addítque ex nouo iure ne quidem mulierem adulterium fatentem damnari poſſe, niſi aliunde probetur. Cùm igitur PP. Neocæſarienſes velint tam euidentem & manifeſtam conuictionem adulterij, & Canon. ex Martino Bracarenſi relatus agat tantùm de ea quæ in adulterio deprehenſa eſt, vt eius vir, ſi Laïcus ſit, repellatur à ſacris Ordinibus, ſi verò Clericus ſit, ipſorum exercitio abſtinere cogatur; manifeſtum eſt, vt fatetur quoque Sayr. ex iis Canonibus probari non poſſe hanc irregularitatem eſſe ex bigamia ſiue defectu Sacramenti, ad eam enim non foret opus iſta euidentia & conuictione, cùm ab ignorante contrahatur, vnde tandem Sayr. loc.cit. fatetur noſtram ſententiam eſſe probabilem, neque aduerſus illam quidquam ex iure afferri poſſe, & Diaz in ſua practica cap.16. ſub fin. ait virum cognoſcentem adulteram vxorem non fieri irregularem, niſi poſſit probare adulterium. Hurt. diffic.13. diſp.2. de Irregular. hanc conuictionem adulterij in vxore Laïci, vt ipſe fiat irregularis, omninò requirit, ſed malè ea in parte diſtinguit inter adulterium vxoris Laïci & Clerici, quaſi illius adulterium debeat eſſe euidens, non iſtius, cùm reuerà, vt aduertunt Scholiaſtæ Balſam. & Zonar. in pœna, ſiue in effectu huius irregularitatis ſit tantum diſcrimen inter Laïcum & Clericum maritum adulteræ, quia Laïcus non cogitur vxorem adulteram dimittere, poſſétque cum illa redire in gratiam, cùm etiam lib. 28. Baſilic. tit.7. cap.1. permittat marito, Coniugem propter adulterium in Monaſterium detruſam recipere elapſo biennio, ſi tamen cum vxore adultera redierit, non poterit ad ſacros Ordines promoueri ex hac lege Neocæſari. Clericus autem iubetur repudiare vxorem adulteram, aut ſi illam retinere maluerit, officio ſacro abſtinere. Cæterùm adulterium ſiue ante ſiue poſt ordinationem μετὰ τὴν χειροτονίαν, viri ab vxore commiſſum debet eſſe euidenter comprobatum, vt ratione illius vir remoueatur à ſuſceptione Sacrorum, aut ab eorum, ſi iam illa ſuſceperit, exercitio, quod ex Græco Canonis textu perſpicuum redditur; non poteſt autem alia de cauſa hæc euidentia adulterij requiri à Patribus hoc loco, quàm quia irregularitas, quæ deinde contrahitur à viro cum illa ſe commiſcente, eſt irregularitas ex infamia; vnde aliqui dixerunt cum Præpoſito inferius allegãdo non contrahi eam irregularitatem, quoties vxor fuit vi oppreſſa, quia reuera tunc adulterata non eſt, eſt tamen vitiata, atqui ſi quis inde defectus Sacramenti oriatur in viro vitiatam vxorem cognoſcente, æquè exurget, ſiue volens, ſiue vi ſubacta fuerit. Fateãtur igitur oportet hi DD. etiam vbi volens adulterata fuerit iſta mulier, virum eam cognoſcentem non fieri irregularem ex bigamia, ſed ex aliquo alio capite. Reſpondet à Caſtro lib.2. de lege pœnali. cap.14. Con.2. Corolla.2. & Sanch. lib.7. diſput.24. num.15. hanc euidentiam adulterij exigi tantùm, vt in foro externo repelli poſſit vir huius adulteræ à ſacris Ordinibus. Verùm cùm neque propter vllam aliam irregularitatem poſſit aliquis repelli ab Ordinibus, aut eorum exequutione, niſi fuerit euidenter probata; cur potiùs in hac peculiari irregularitate viri cognoſcentis vxorē

adulteram

adulteram exigunt Iura adulterij euidentiam, quàm cæterorum defectum, quando ex illis ſimilis aliqua Irregularitas naſcitur, niſi quia hæc irregularitas non eſt ex ſolo defectu. Deinde non agitur in Canone Neocæſ. de repellendo eiuſmodi marito per ſuperiorem Eccleſiaſticum, neque vllum ibi verbum apponitur, quo iubeatur iſte reiici, aut deponi, ſed ipſi tantùm prohibetur, ne veniat ad Ordines, quos licitè ſuſcipere nequit, ὁ τοιοῦτος, inquit, εἰς ὑπηρεσίαν ἐλθεῖν οὐ δύναται, talis ad miniſterium venire non poteſt; de Clerico autem, cuius vxor adulterata fuit, debet eam dimittere ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν, aut ſi cum ea adhuc viuat, ἐὰν δὲ συζῇ, non poteſt exequi ſibi commiſſum miniſterium, οὐ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ὑπηρεσίας. Quid amabo in illis verbis eſt, quod requirat forum externum, aut loquatur tantum de repellendo ab Ordinibus eo marito.

Secundò. Placet penitius mentem horum PP. Neocæſarienſium inſpicere, vt quam parùm in adducto Canone præſidij nacta fuerit contraria ſententia videamus. Idcircò enim hi PP. maritum adulteræ reiiciunt à ſacris, quia Canon Apoſtolicus 18. in Catalogum Sacerdotalem adſcribi vetat eum qui vxoré fornicatricem, aut Scenicam, aut dimiſſam duxerit, inquit, Balſam. atqui ille Canon Apoſtolicus ſpectauit tantùm infamiā illius coniugij & probrum quod inde in Ordinem Sacerdotalem refunderetur, non autem bigamiam, quæ nulla in eo caſu fingi poteſt, vti oſtēdimus ſecunda parte huius propoſitionis, ergo eandem tantùm infamiam & labem ſacri Ordinis cauere voluerunt PP. Neocæſarienſes in ſua lege condenda, quia idem omninò probrum eſt, ſiue quis adulteram ducat, ſiue cum adultera euidenter comprobata cohabitare pergat; eius enim, inquit Balſam. inquinamenti particeps fit μεταχὼν τοῦ μιάσματος, ſi cum adultera commiſceatur, διὰ τὸ συμμίγνυσθαι τῇ μοιχαλισθείσῃ. Immò multò magis polluitur, qui cum vxore adultera habitat, quam qui fornicatricem duxit in vxorem, primus enim videtur fouere turpitudinem vxoris, non verò hic poſterior, cùm per matrimonium à turpi commercio abduxerit fornicatricem, quam ſibi in coniugem ſumpſit, atque ita antiquas ſordes illa eluerit, adultera verò polluta adhuc ſit, & maritum, qui illi commiſcetur, eadem contagione infici neceſſe ſit, quandoquidem vnum cum illa corpus efficitur; Hominem autem pollutum occupari circa diuinum miniſterium εἰς τὸ θεῖον λειτούργημα : nemo patiatur, inquit Zonar. in Scholiis ſuis, quæ turpitudo & infamia nulla eſt, quādiu non eſt euidenter cōprobatū vxoris adulteriū; vnde eā euidentiā PP. iure merito exigūt: Neque dicas Balſam. in huius Canonis ſcholiis fateri maritum Irregularē, qui etiam inſcius per errorem adulteram cógnouerit, non loquitur eo caſu, quo adulterium euidens eſt, vt ait Canon, licèt maritus id neſciat, vti contingere ſæpius ait Caſtro loco citato, tunc enim cum ignorantia mariti non abſtergat infamiam, qua ex notitia publica adulterij vxoris ipſe aſpergitur manet Irregularis, non ex propria culpa, ſed ex infamia à turpitudine publica vxoris deriuata. Prçterquam quod mihi admodum probabile videtur, hanc Irregularitatem eſſe pœnalem, & PP. punire maritum adulteræ, ſi poſtquam eius adulterium fuit φανερῶς & euidenter comprobatum

probatum adhuc cum illa commiſceatur, eo quod eius turpitudinem tegere & fouere præſumatur; vnde Canon 77. à Martino Bracarenſi ex Synodis Orientalibus collectus ita ab Iuone 8. part. cap. 284. recitatur. *Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem irruerit, ſeptem annos pœnitentiam agat*, & ibidem adducit Iuo can. 19. Conc. Ancyrani ex verſione Dionyſiana, *Si cuius vxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit ſeptem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus.* Per perfectionem autem intelligunt Balſamon. & Zonar. ſacram Communionem quia *ἁγίων μετάληψιν*, qua iſti donari poterant poſt exactos ſeptem annos pœnitentiæ ſecundum varios illius gradus diſtributos: debét verò PP. Ancyrani aliquod peccatum mariti in vxoris adulterio deprehendiſſe, quod tam graui pœna punirent; atqui, cum, vt teſtatur Dionyſ. in ſuo Codice Canon. Eccleſiaſt. Neocæſarienſes proximè ſequuti fuerint Ancyranos, eos dubio procul imitati ſunt, & peccatum quod in fouenda vxore adulterij euidenter rea committit maritus interdictione ſacrorum ſuſcipiendorum aut exequendorum puniunt, non imperarunt autem Laico eam dimittere ſicut Clerico, quia grauius eſt delictum cùm ipſum maior ſanctitas deceat, vnde & maior eius pœna eſt, vt oſtendit Balſam. qui ait illum propter delictum *διὰ τὸ πταῖσμα καθαιρεθῆναι* deponendum eſſe. Ex quibus omnibus tandem elucet, hunc Canon. Neocæſar. nulla ratione agere de Irregularitate ex bigamia, ſed vel ex delicto, vel ex infamia: itaque cum illum vnicum Canonem afferant aduerſarij malè ſibi ex eo perſuaſere maritum cognoſcentem vxorem adulterã bigamum eſſe ex Iuris fictione & interpretatione.

Iam vero ſi agamus ratione, ſtatim apparet ex iis, quæ proximè in ſuperiori parte diſputauimus, nullã hic eſſe bigamiam interpretatiuam & defectum Sacramenti ex fictione Iuris; ad illum enim requiritur, vt vir diuidat ſuam carnem in plures, quod reuerà non facit, eo quod vxor cui poſt adulterium ab ipſa patratum commiſcetur, non ſit ſufficienter facta vna caro cum alio viro per copulam adulterã, alioquin & ipſe vir cum alia quapiam commixtus, factus quoque fuiſſet vna caro cum illa, atque ita ſuam carnem in plures diuiſiſſet, eſſetque bigamus maritus adulter, aut etiam qui nondum coniugatus cum pluribus fornicaretur, aut licèt vnã tantùm vitiaſſet, & deinde vxorem duceret, eamque cognoſceret, quod argumentũ nunquam effugient aduerſarij, vt iterum monebo in Conſectariis, niſi fateantur vnitatem carnis, quam in meretricio complexu agnoſcit Paulus, non eſſe ſufficientem ad repræſentandam vnitatem connubij Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ac proinde diuiſionem oppoſitam, quæ contingit ex eadem meretricia copula cum pluribus non habere vllũ defectum huius ſignificationis & Sacramenti. Cùm igitur in noſtro caſu tota diuiſio carnis ſit ratione copulæ illicitæ & adulteræ, non poteſt ex illa exurgere bigamia & defectus Sacramenti, neque conſequenter Irregularitas ex eo capite, quare ex infamia vel delicto deſumenda erit, vt in noſtra propoſitione aſſeruimus.

VLTIMA PARS. Propoſitionis.

Irregularitatem Bigamiæ nunquàm oriri ex matrimonio inualido.

16 Dixi vltima parte propoſitionis nunquàm Irregularitatem Bigamiæ ſequi ex matrimonio inualido, ſed ſi quæ ratione illius incurritur, eſſe Irregularitatem ex delicto, aut ex infamia. Ita Præpoſit. in tertiam partem q. 5. de Irregula. dub. 7. ſub. fin. vbi ea de cauſa exiſtimat, quoties res occulta eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare in ea irregularitate, quæ eſt tantùm ex delicto. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 6. n. 5. Kon. diſp. 18. num. 110. Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 9. Littera Y. Hurtad. diffi. 3. diſp. 2. de Irregul. qui omnes dicunt nihil inueniri in Iure Canonico, vnde probetur iſta Irregularitas, quæ cùm à ſolo Iure fuerit inducta, idcircò enim dicitur eſſe ex Iuris fictione, reiicienda omninò eſt. Neque abnuit Suar. diſp. 49. ſect. 2. illam difficillimè ex Iure probari. Ratio iam ſuperius ſæpiùs adducta planè euincit bigamiam nullam hic eſſe, cùm enim copula in matrimonio inualido ſit fornicaria duntaxat, non ſufficiet ad diuiſionem carnis, quæ ad eiuſmodi Irregularitatem ex bigamia neceſſaria eſt, vti fuit explicatum; quare ſi quæ ſit Irregularitas ex delicto, aut infamia contrahetur, quæ tamen, quia ex matrimonio ſequitur, appellatur Irregularitas bigamiæ, vti monui. Vt verò nullus relinquatur dubitationi locus hac in parte percurrere placet omnes modos, quibus ex aliquo inualido matrimonio volunt DD. naſci hanc Irregularitatem Bigamiæ.

Primò igitur contrahi poteſt à Laico (de eo enim tantùm agimus hoc loco, quia matrimonium Clerici in ſacris conſtituti reduci debet ad ſimilitudinariā Irregularitatem) per matrimonium inualidum cum vidua ſiue inualiditas oriatur ex defectu conſenſus, ſiue ex alio quopiam impedimento dirimente. Hinc autem non oriri bigamiæ Irregularitatem aſſerit Reginald. lib. 30. tract. 2. n. 87. poſt Nauarr. cap. 27. num. 195. vbi ita iudicatum in ſacra Pœnitentiaria dixit, ſequitur Henriq. can. 6. cit. num. 9. Auila. 7. p. diſp. 7. dub. 2. Sanch. lib. 7. diſp. 84. num. 11. & 12. quare concedit, quod ſi occulta eſſet corruptio fœminæ quam quis duxit aut ſi matrimoniū inualidum cum vidua lateret, & ſine ſcandalo, poſſet ille maritus tantum nomine tenus promoueri ad Ordines, nulla fore opus diſpenſatione. Philiarch. de officio Sacerdot. prima parte. lib. 4. cap. 7. Valent. in 4. parte. diſp. 7. q. 19. p. 3. Medices. 2. part. ſumm. tit 9. q. 28. contra Couarr. in Clem. ſi furioſus. 1. part. §. 2. num. 2. qui teſtatur ſe ſequi communem ſententiam, cuius authores collectos videbis apud Sayr. lib. 6. c. 3. n. 7. qui eidem opinioni adhæſit, ſicut & Suar. diſp. 49. ſect. 3. num. 3. Bonac. diſp. 7. q. 2. p. 5. num. 8. Gordon. lib. 7. q. 18. num 33. Ratio noſtra eſt, quia nullibi hæc Irregularitas exprimitur in Iure, caput enim nuper, & cap. A nobis. de bigamis, in quibus aliquod matrimonium inualidum facit Irregularem, non debent ad omne matrimonium inualidum trahi, cum argumentum à ſimili non valeat in odioſis iſtis, & deinde non agit niſi

de

de Irregularitate ex delicto, quod euidenter conſtabit inferiùs. In foro nihilominùs externo cùm matrimonium validum eſſe præſumatur, qui cum vidua à priori viro deuirginata ita contraxerit & conſũmarit, habebitur Irregularis, & pro eo ſe gerere debebit, quod in omnibus ſequentibus caſibus obſeruandum fuerit. Si autem matrimoniũ fuerit cum corrupta & non vidua, nempe cum meretrice, iam docui nequidem, quando validum eſt, vllam bigamiæ Irregularitatem contrahi, ſed tantùm quando famoſa eſt illa mulier, oritur infamiæ Irregularitas, quæ etiam in matrimonio inualido reperiretur.

Secundò. Contrahitur matrimonium inualidum cum repudiata, vel eiecta à priori marito ſi ille adhuc viuat; ſupponimus prius illius mulieris matrimonium validum eſſe, ſi enim inualidum fuiſſet, atque adeò diſſolutum authoritate Eccleſiæ, non diceretur repudiata, aut eiecta, ea enim nomina conueniũt illi tantùm quæ à marito viuente proiicitur, vt loquitur Hieron. Ep. 128. ad Fabiol. & conſequẽter matrimonium, quod cum illa viuente initur, illicitum & inualidum eſt, neque vnquàm in Eccleſia permiſſum aut probatum fuit, cum repugnet Chriſti doctrinæ, quidquid dicat Hoſtienſ. in cap. 1. de bigam.

Dico igitur ducentem inualidè hanc repudiatam fieri Irregularem ex can. 18. Apoſtolo. ſed nego eam Irregularitatem eſſe ex bigamia, ſed tantùm ex delicto & ex infamia. Hęc aſſertio ſequitur ex priori, & ex iis quæ in explicãdo illo Canone Apoſtolico diximus ſecunda parte.

Tertiò. Contrahitur inualidè ſecundũ matrimoniũ & de facto tantùm & non de Iure, quia vel vxori adhuc viuenti alia ſuperinducitur, vel licèt defuncta fuerit prior vxor, ſecundum tamen matrimonium aliquo ex capite inualidum eſt, aut prius fuit inualidum, & ſecundum eſt validum, vt enim aduertit Suar. diſp. 49. ſect. 2. & alij paſſim, nihil planè intereſt, quoties ex duobus matrimoniis alterum eſt inualidum, alterum validum, quodnam ex illis validum fuerit, ſiue prius, ſiue poſterius. Eum igitur qui duo contraxit matrimonia, quamuis alterum ex ipſis irritum ſit, modò tamen validum pręſumatur, & vtrumque conſummauerit, Irregularem bigamum eſſe, conſentiunt ferè DD. apud Sanch. lib. 7. diſp. 84. num. 3. quod idem quoque aſſerunt, quando duo iniuit matrimonia, etiamſi vtrumque fuerit inualidum, ſequuntur recentiores Sayr. lib. 6. cap. 3. num. 7. Suarez. ſect. 2. Gordon. q. 18. cit. & Layman, modò vtrumque matrimonium abſque ſimulatione initum fuerit.

Mihi duo ſtatuenda videntur, primum eſt, aliquando ex duplici matrimonio, quorum alterum eſt irritum, aut etiam vtrumque, incurri Irregularitatẽ, atque ea in parte conuenimus cum communi ſententia. Probatur, nam ex Can. 18. Apoſtol. qui duas Sorores aut Fratris, ſiue Sororis filiam, vtrumque enim ſignificat ἀδελφιδῆ vt obſeruat Balſam. in Scholiis, acceperit, nequit eſſe Clericus, conſtat autem eiuſmodi matrimoniũ eſſe inualidũ propter impedimentum Conſanguinitatis, malè autem ad hanc Irregularitatem conſurgentem ex matrimonio nullo afferunt can. 17. Apoſtol. qui duobus implicitum coniugiis poſt baptiſmum ordinari prohibet; neque enim agit de polygamis & duobus matrimoniis ſimul celebratis,

lebtatis, ſed de bigamis, ineptius quoque affertur cap. de his. 31. q. 1. ex variis Canonum Neocæſarienſium laciniis conſutum, cum ibi de pœnitentia agenda à contrahentibus ſecundas nuptias agatur, vnde & Preſbyter nuptiarum illarum conuiuio intereſſe prohibetur, ne ſua præſentia probaſſe videatur actionem pro qua deinde ſit impoſiturus pœnitentiam.

Dico ſecundo. Si vtrumque matrimonium tanquam validum habeatur ab Eccleſia ex eadē præſumptione naſci in foro externo Irregularitatē bigamiæ non interpretatiuæ dun taxat, ſed veræ, quia præſumuntur ibi duo vera & diſtincta matrimonia, quæ aſſertio manifeſta eſt, eo quod Ius externum vtatur præſumptione

Dico tertiò. Vbi ex duobus matrimoniis vnum vel vtrumque inualidum eſt, non aliam oriri Irregularitatem, ſi quæ oriatur, quam ex delicto, vel ex infamia, vt ſi quis duas ſimul vxores duceret, quamuis de inualiditate conſtaret in foro externo, ille tamen polygamus tanquam infamis reiiceretur à Clero, Ex cap. nuper de bigam. Hanc aſſertionem de natura huiuſce Irregularitatis quæ neque vera, neque interpretatiua bigamia ſit, docent plurimi Iuris interpretes, Ioan. Andr. Ancharan. Dominic. & alij relati à Sanch. d. 84 cit. n. 6. qui eos ſequitur, cum Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 9. littera Y. vbi alios allegat, & generaliter aſſerit ex matrimonio inualido non oriri in conſcientia bigamiā, loquitur autem de Laico ita contrahente, nam in Clerico conſtituto in ſacris ex ſimili matrimonio conſurgit Irregularitas bigamiæ ſimilitudinariæ, de qua inferiùs. Idem ſentiunt Kon. diſp. 18. num. 161. Hurtad. diffic. 13. diſp. 2. Præpoſit. q. 5. dub. 7. de Irregular. ſub fin. Auila. ſeptima parte. diſp. 8. dub. 10. quando vtrumque matrimonium fuit inualidū. Probatur primo quia nullibi traditur iſta bigamiæ Irregularitas in Iure, nam in Can. Apoſtol. cit. reiiciuntur à Clero, qui duas ſorores, aut neptem ſuam duxerunt propter inceſtuoſum coniugium, non propter defectum Sacramenti, qui in eo duarum Sororum coniugio reperiatur, vnde Balſam. extendit illum Canonem ad omnes contrahentes inceſtuoſas nuptias in pœnam tanti criminis, de quo plura in Regulis ſiue Canonibus S. Baſilij videre licebit.

Deinde cap. nuper. de bigamis, ex quo communis ſententia hanc Irregularitatem bigamiæ interpretatiuæ colligere ſibi viſa eſt, non agit imprimis, niſi de bigamia ſimilitudinaria Clerici, quam eſſe tantùm ex delicto conſtabit inferiùs. Deinde etiamſi daremus vltrò, quod nulla tamen ratione concedēdum eſt, huius capitis definitionem ad Laicos extendendam eſſe ex quadam ſimilitudine quæ in iſtis pœnalibus & odioſis non valet, inde tamen non alia erueretur Irregularitas, quàm ex delicto; nam imprimis Innoc. obiicit tanquā abſurdum illum, qui nullam habuit vxorē, quia *de facto contraxit* cum diuerſis, quibus de Iure non poterat *matrimonialiter copulari* bigamum reputari, vbi non tātùm negat hunc cum duabus inualidè contrahentē bigamum verè eſſe, ſed neque talem exiſtimari & reputari Iure poſſe aſſerit, deinde vt oſtendat Iure plecti tanquam bigamum Clericum, qui ſecundas nuptias attentauit affert duo argumenta de criminoſis, vnum ex Iure Ciuili, quod infamem pronuntiat duas ſimul vxores ducentem. L. eum qui. C. de Adulteri. alterum ex Iure Canonico, quod

quod punit presbyterum, qui non detinetur legalibus nuptiis: cap. Preſbyterum. d. 28.

Tertiò, Cùm dicat ſe punire tantùm affectum intentionis cum opere ſubſequuto & ſe hunc Clericum remouere à ſacris miniſteriis non propter defectum Sacramenti, qui in eo matrimonio inualido nullus fuit, ſatis perſpicuè oſtendit ſe duntaxat punire crimen Clerici attentantis matrimonium, & illud quantum potuit implentis, etiamſi initio conatu propter impedimentum dirimens, quia vt ait Hoſtienſ. in illud cap n. 5. in quibuſdam criminibus voluntas attenditur, non exitus, vt in maleficiis l Diuus. ff. ad l. Corneliam. de ſiccariis, quia igitur hi Clerici, *quantum in ipſis fuit ſecundas nuptias ſibi matrimonialiter coniunxerunt*. Idcircò Innocent. tanquam bigamos haberi, & illorum inſtar arceri voluit in pœnam nimirum attentati ſecundi matrimonij, quam tuis inutiliter, vt dixi, neque expendenti iſta verba Pontificis, occurrit, quomodo tam conſtanter innumeri ferè DD. ſibi perſuaſerint vel ad laicos ſecundas nuptias contrahentes inualidè hanc ſanctionem amplian dam eſſe, vel in illa contineri bigamiam interpretatiuam, & non potiùs apertiſsimam punitionem Clericorum ſecundas nuptias ſibi omninò illicitas & inualidas contrahentium; vnde inanis eſt illa diſtinctio, quam Layman & alij plures afferunt de inualiditate horum matrimoniorum defectu conſenſus, eo quod ſimulata tantùm ſint, & inualida, ratione aliorum impedimentorum, in hoc enim poſteriori caſu volunt contrahi bigamiam interpretatiuam, non in priori eo quod Pontifex requirat affectum intentionis cum opere ſubſequuto, qui affectus non eſt quando aliquis fictè tantùm contrahit. Hæc inquam diſtinctio inanis eſt, quia vt aduertit Suar. §. 2. cit. num. 10. Gordon q. 18. cit. & alij, non poſtulat Pontifex aliam intentionem, quam exteriùs contrahendi & conſummandi matrimonij, alioquin ſacerdos, qui ignoranter & bona fide duceret ſecundam vxorem fieret Irregularis; non autem ille qui ex malitia id faceret, quia fieri nequit, vt aliquis inter Chriſtianos velit contrahere verum & firmum matrimonium, ſi ſciat ſuam legitimam coniugem eſſe ſuperſtitem, requiritur igitur tantùm intentio libera celebrandi exteriores illas nuptias & earum deinde conſummatio.

Secundò, ratio iam ſæpiùs allata valet hoc loco, nullus enim ibi eſt defectus Sacramenti aut ſignificationis, ſicut neque in concubinatu, quod liquidò fatetur Innoc. in cap. nuper, quia vt diximus matrimonium inualidum aptum non eſt ad ſignificandum coniugium Chriſti, igitur neque vt deficiat à ſignificanda illius vnitate, neque ratione illius vir magis diuidit carnem ſuam in plures, quam in pellicatu, & tamen tota iſta Irregularitas imponitur propter affectum intentati duplicis coniugij, igitur non niſi ob culpam, quam in ea intentatione agnouit Innoc. propter quam Clericum iam ſacris ordinibus initiatum indignum iudicauit, qui illos exerceret. Reſpondet Suar. ſ. 2. n. 7. in hac re non eſſe verum defectum Sacramenti, ſed apparentem & attentatum, in quo conatu ſit eadem ſpecies incontinentiæ; verùm etſi fatear in eo duplici matrimonio inualido æquè ſe prodere incontinentiam atque in duplici valido immò & multò magis inde tantum haberetur hunc clericum iure merito re-

iici à ſuo miniſterio, non probatur tamen eſſe bigamiam interpretatiuam, ſed conatum faciendi aliquod opus, ex quo illa ſequeretur, ſi opus validè fieri potuiſſet.

DICES cum Auila nullam quidem fingi poſſe bigamiam in duplici matrimonio quando vtrumque inualidum eſt, quia nullum eſt quod deficere poſsit à ſignificatione matrimonij Chriſti, at verò quando vnum eſt validum, illud deficiet ab ea ſignificatione accedente ſecundo quamuis inualido. Reſpondetur non magis ſequi hunc defectum ex matrimonio inualido, quàm ex pellicatu, cùm eadem ſit vtrobique diuiſio vnius carnis in plures, ex qua ſolum vel vera vel interpretatiua naſcitur bigamia; maneat igitur vel ex matrimonio inualido, nullam oriri Irregularitatem, vel ſi quæ oriatur in quibuſdam caſibus à iure expreſsis, illam non eſſe bigamiæ, ſed delicti & infamiæ.

QVARTA PROPOSITIO.

De Bigamia ſimilitudinaria.

19 ALIQVANDO incurritur Irregularitas ab eo, qui ſpirituali matrimonio ligatus aliud carnale attentat & conſummat, quam Irregularitatem Bigamiam ſimilitudinariam nominant DD. ſed admodum impropriè.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

CONSENTIVNT DD. in hac Bigamia, quam euidenter ſibi colligere videntur ex Conc. Ancyrano. can.18. relato à Gratian. c. Quotquot. 27. q 1. vbi tamen profert in fœminino, *quotquot virginitatem profitentes ſponſionem præuaricatæ ſunt.* Cùm in Græco textu efferatur in maſculino, atque ita reddiderit Dionyſ. Exigu. & retulerit Iuo. 6.p.cap.351. & de viris ac mulieribus agere dicat Balſamon. Hanc porrò Irregularitatem non eſſe niſi ex delicto omnes æquè affirmant, cum nulla ibi Bigamia fingi poſsit, quandoquidem agitur etiam de illo, qui primum matrimonium cum virgine celebrabit, diſſentiunt nihilominus interpretes iuris, à quonam contrahatur iſta Irregularitas, an à quocunque caſtitatem profeſſo an à ſolis Religioſis, & non à Clericis in ſacris conſtitutis, licet virginem tantùm ducant, varias ſententias dabit Sanchez lib. 7. diſp. 85. à n. 2. & num. 8. Sayr. lib. 6. cap 5. num. 22. & alij. Mihi controuerſia ex ipſis ſanctionibus Eccleſiaſticis, ex quibus ſolis petenda eſt Irregularitas, ſic definienda videtur.

AIO imprimis ex Canone Ancyrano, nihil certi colligi poſſe, quod 20
cenſuit quoque Henriq. lib. 12. cap. 6. n. 10. Itē. Layman. cap. 6. cit. & Baſili. Ponc. lib. 7. de matrimon. cap. 15. num. 6. quod primò probat Henriq. quia ille Canon agit tantum de fœminis, quæ ſponſionem virginitatis irritam fecerint cenſentur inter Bigamos, quia non poſſunt inter diaconiſſas & virgines conſecrari; verum iam oſtendi, tum de viris tum de fœminis loqui hoc Concilium, & vtriſque imponere pœnam bigamorum, prout nempe illius capaces erunt. Secundò, excipiunt hunc Canonem eſſe Synodi cuiuſdam particularis atque adeò exiguæ omninò authoritatis, maximè cùm conſtet multa in illis Canonibus haberi, quæ ab Eccleſia reiiciantur, vt quod dicitur in Canone 10. Diaconos, qui cum ordinarentur, proteſtati ſunt, ſe

ſe non poſſe carere vxoribus, impunè eas ducere, & in ſuo Miniſterio ex Epiſcopi venia perſeuerare nihilominus poſſe; quod pridem reiectum fuiſſe conſtat. Ita de hac Synodo ſentit Turrian. lib. 2. de dogmat. characterib. §. ad hæc obiicient; verùm huius Synodi Canones probati ſunt à Patribus ſextæ Synodi. Can. 2. Leon. 4. Epiſt. ad Epiſcopos Britann. Conc. Bracar. 1. dum antiquos Canones prælegi iuſſit, vti obſeruauit Loyſa. in notis ad illud Concilium. Moguntin. ſub Raban. can. 23. & denique magna Nicæna Synodus teſte Andrea Epiſcopo Coloſſenſi in Concilio Florentino. ſeſſ. 7. de ſenſu porrò illius decimi Canonis latè Vaſquez 3. part. diſp. 149. cap. 2. & Ponci. lib. 7. de matrim. cap. 23. ſatis mihi fuerit in præſentiarũ oſtendiſſe non eſſe eleuandam huius Synodi authoritatem, eo quod fuerit tantum prouincialis. Ratio igitur propter quam dicebam ex hoc Canone nihil effici, eſt quia vt obſeruat Balſam. non loquitur de illis, qui ſolemniter virginitatem profeſſi sũt in Religione, illi enim non ſubiiciebantur pœnis digamorum, ſed ſeparato eorum matrimonio tanquam inualido pœnis aliis in ſuo monaſterio plectebantur; at verò iſti de quibus agit Synodus habentur tanquam digami, vt quæ circa illos definita ſunt, impleant τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρώτωσαν, neque eorum matrimonium inualidum habebatur, aut inſtar fornicationis, ſed tantum omnibus digamorum legibus tenebantur, vbi tamen, nulla, vt vides, erat ſimilitudinaria bigamia; non debuit igitur afferri hic Canon ad oſtendendam bigamiam Religioſorum, qui contrahunt inualidè matrimonium; inde enim non efficitur, illos etiam virginem ducentes eſſe bigamos ſimilitudinarios, cùm neque coniugati ſint; prætereà ſi Canon iſte ſuum adhuc robur obtineret, omnes qui poſt votum caſtitatis virginem ducerent, fierent bigami, & à ſacris mortua coniuge remouendi eſſent; Quare huic antiquo Canoni iam diu derogatum eſſe, fatendum erit.

Aio ſecundò. Religioſum profeſ- 21
ſum, ſi caſtitatem violet à ſacris omnibus prohiberi. Ita Aurelian. I. can. 23. *Monachus in monaſterio conuerſus, ſi pellici poſtea, vel vxori fuerit ſociatus, tantæ præuaricationis Reus, nunquàm Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Hic tamen nulla eſt bigamia, nequidem ſimilitudinaria, cùm pœna irregularitatis imponatur monacho non tantùm ducenti vxorem, ſed etiã fornicanti, aut vxore, quam relinquerat, iterum vtenti, ea enim verba, *vxori ſociatus* tam de vxore per profeſſionem relictã, quam de ducta poſt conuerſionem ſumi poſſunt; quod idem ſanciuit aliquot poſt annis Toletan. 2. ſub Bonifac. 2. can. 1. de Clericis & Monachis indiſtinctè agens, *Cauendum tamen eſt his, ne quando ſuæ ſponſionis immemores ad terrenas nuptias, aut abortiuos concubitus vltrà redeant, quod ſi fortè fecerint tanquam ſacrilegi ab Eccleſia habeantur extranei.* Vbi nulla fit mentio bigamiæ, ſed pœna imponitur etiamſi non contrahant noua matrimonia, ſed ad externas nuptias, quas dimiſerant, recurrant. Neque mirum, ſi manerent Irregulares, & à ſacris Ordinibus repellerentur; quandoquidem in pœnam tanti criminis à Monaſteriorum cœtu Eccleſiarumque conuentibus eliminabantur tanquam deteſtabiles perſonæ & in ergaſtula retrudebantur, vt continua

tinua lamentatione tantum facinus poſſent *purificatorio pœnitudinis igne decoquere, vt eis ſaltem ad mortem communionis indulgentia ſubueniretur*, vt ait Sirici. Ep. 1. cap. 4. & tanquam Sacrilegi eiiciebantur ab Eccleſia, vt iubebat Symmach. mox adductus, eandéque excõmunicationẽ in illos pronuntiat Conc. Turon. 2. can. 1.. Tolet. 4. can. 52. atque omiſſis aliis ſanctionibus ſuo loco adducendis in Clem. Vnic. de Conſang. & affini. Religioſi & Clerici ſcienter matrimonium contrahentes excommunicantur, quamdiu igitur excommunicati manent, mirum non eſt à ſacris prohiberi.

22 Aio tertiò. Clericum in Sacris conſtitutum ducentem viduam, aut ſi ante Clericatum cõiugatus fuerat, cum quacumque alia contrahentem fieri Irregularem, quod Innoc. III. ſtatuit in cap. Nuper, & cap. A nobis. de bigamis. & quamuis gloſſa in cap. Nuper. verſ. tanquam. dicat hic eſſe quãdam ſimilitudinem bigamiæ, eo quod dixerit Innoc. cum illis non licere diſpenſari tanquam cum bigamis, apparet tamen nullam ibi aut bigamiam, aut defectum Sacramenti exiſtere, vti fuit oſtenſum ſuperiori propoſitione, cùm ipſemet Innoc. neget eſſe bigamos; licet, inquit, in veritate non exiſtãt, propter crimen tamen illud commiſſum bigamorum pœnis ſubiicitur. Hæc autem Conſtitutio comprehendit etiam Religioſos in ſacris conſtitutos, non verò alios, licet & ipſi eadem pœna incapacitatis Ordinum aliis locis puniantur ex concluſione proxima; quia de iis tantùm, qui ſunt in ſacris conſtituti, agit iſta lex & non de aliis Clericis, multo minus igitur aget de Religioſis, qui in iſtis odioſis Clerici nomine non comprehenduntur.

Aio quartò. Clericum ſacris initiatum contrahentem matrimonium cum virgine, ſi nunquàm aliàs fuerit coniugatus, ſuſpendi, non autem fierit Irregularem, ſaltem Irregularitate bigamiæ. Hac aſſertione compono diſſidia DD. 23

Primò quidem hunc Clericũ ſuſpenſionem aliquam incurrere, probatur ex cap. ſanè Sacerdotes. de Cleric. Coniugatis. & cap. 1. Qui Clerici, vel vouentes; quibus locis non imponi Irregularitatem, contra Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 85. num. 5. Layman. loco cit. Sylu. V. bigamia. num. 1. ſapienter vidit Panorm. in cap. ſanè. cit. immò addit non eſſe niſi impropriam ſuſpenſionem, quandoquidem poſt peractam pœnitentiam auferri poteſt ab Epiſcopo, ſaltem vbi occultum fuerit crimen, nam ſi eſſet notorium Hoſtienſ. vult illos incurriſſe ſuſpenſionem, quam ſi violent celebrando, fient Irregulares; nullam autem incurri Irregularitatem ab eiuſmodi Clerico Virginem ducente, inde patet, quia alia pœna pro illa culpa imponitur abſque mentione Irregularitatis, vt apparet ex locis allatis, & ex can. 1. Neocæſari. vbi Sacerdos vxorem ducens deponi iubetur conſentaneè, inquit, Balſam. ad can. 26. Apoſtolicum, & can. 26. & PP Trullani Presbyterum, qui per ignorantiã illicitis nuptiis fuerit implicitus, cathedræ honorem retinere volunt, ab omni tamen ſacra actione abſtinere & pœnitentiam agere, atque ab vxore, quam nefariò ſibi copulauit, diſcedere, citantque Sacrum Canonem, quem Balſam. vult eſſe nonum Neocæſarienſem; cùm igitur his locis quæ referũtur etiam à Gratiano, ſed non ſine aliquot mendis ſuo more d. 28. cap. presbyter. &

cap.

cap. presbyterum. Huic ſacrilego ſacerdotum coniugio imponantur aliæ pœnæ, quàm Irregularitatis, non eſt cur nos eam infligamus. Confirmatur ſecundò, quia vt argumentatur Hurtad. fruſtrà in cap. nuper, & in cap. à nobis de Bigamis, Innocent egiſſet ſingillatim de Clerico ducente viduam, aut de eo qui cùm ante ſuam ordinationem maritus fuiſſet, poſt illam ſecundò matrimonium ſacrilegum attentauit, ſi enim primò ducens virginem fit Irregularis, nihil opus fuerat eiuſmodi diſtinctione, ſed in vniuerſum pronunciare debuerat, eum omnem, qui poſt ſuſceptos Ordines ſacros matrimonium contrahit, Irregularem eſſe.

24 Addidi in aſſertione Irregularitatem; ſi quæ incurreretur ex eo ſacrilego coniugio Clerici conſecrati cum Virgine, eam non fore Bigamiæ etiam ſimilitudinariæ propter nullitatem matrimonij, & ex eo quod copula fornicaria, qualis tantùm eſſet hoc loco, non ſit apta ſignificare vnitatem matrimonij Chriſti, neque proinde ratione illius erit aliquis defectus in matrimonio ſpiritali, quod per votum ſolemne caſtitatis contractum fuerat; ſed eſt alia quædam pœnalis Irregularitas, qua crimen ſacrilegi matrimonij punitur, alias porrò pœnas Bigamorum, & vt omni priuilegio clericali priuentur, ita vt neque tonſuram, neque habitum ferre poſſint, ſi in minoribus tantùm erant conſtituti, & quomodo priuentur omni quoque beneficio Eccleſiaſtico, exponam alibi commodiùs, interim adi Sayr. lib. 6. c. 5. toto Ponc. lib. 7. de matrim. c. 28. & alios. Obſerua tantùm hanc priuationem clericalis priuilegij & beneficij Eccleſiaſtici non incurri ipſo facto à Clericis ſacris Ordinibus initiatis, & ſacrilegum matrimonium contrahentibus, quia cùm inualidè contrahant, & vxorem dimittere teneantur, non impediuntur illo coniugio, quominus beneficium retineant, quia tamen omnibus actionibus ſacris abſtinere debent, ſi aut viduam duxerint, aut ſecundò nupſerint, vt diximus con. 3. ſiántque Irregulares, poterunt priuari beneficio, immò qui licet virginem tunc primùm ducant, deponi iubentur, ſuo quoque beneficio iure ſpoliabuntur; at clerici minores cùm validè contrahant matrimonium, debéantque illi adhærere, non poſſunt ſimul vxorem & beneficium retinere, immò & ſi Bigami fiant per illud matrimonium, ſiue verè, ſiue interpretatiuè non modò euadent Irregulares, ſed omni quoque fauore & priuilegio Clerici carebunt, quo alioquin Clerici coniugati gaudent, de quibus alibi plura diſputabuntur.

Ex his tandem omnibus colligo cum Ponc. lib. 7. cap. 15. num. 6. nullam, ſi propriè loquamur, eſſe Bigamiam ſimilitudinariam, quam etiam Gloſſa reticuit & ſolùm veram atque interpretatiuam numerauit in cap. ſuper eo de Bigamis, & nos hactenus liquidò oſtendimus, nullam Bigamiæ ſimilitudinem reperiri in Irregularitate, qua Religioſi aut Clerici conſecrati matrimonium attentatum plectitur, ne tamen à communi DD. loquendi modo diſsidere videremur, has voces ſimilitudinariæ Irregularitatis vſurpauimus hactenus.

N Conse

CONSECTARIVM I.

An qui plura contraxit ſponſalia ſubſequuta copula ſit Bigamus & Irregularis?

25 RESpondetur non eſſe, quia eiuſmodi ſponſalia niſi tranſeant in matrimonium, non magis ſignificant vnionem Chriſti cum Eccleſia, quàm quælibet alia copula fornicaria, ac proinde ex illis non poteſt ſumi Irregularitas ex defectu Sacramenti, vt argumentatur Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 19. p. 5. & alij omnes; quare ſi quis poſt inita ſponſalia etiam ſequuta carnali copula cum Caia, deinde ducat Semproniam, & cum illa conſummet matrimonium, non fit Irregularis.

CONSECTARIVM II.

An vir, qui cum pluribus etiam viduis, aut maritatis ſcortatus aut adulteratus fuit, ſit Irregularis?

26 RESpondetur eiuſmodi hominem non eſſe Irregularem, qua in re conſentiunt prorſus omnes, & colligunt ex cap. Quia circa de Bigamis. Vbi Innocent. III. negat Sacerdotem, qui pluribus concubinis ſe commiſcuerat, tanquam Bigamum habendum, ſed tanquam fornicatorem, ſed laborant deinde DD. vt explicent, cur vir cum pluribus ſcortatus, aut adulteratus, non fiat etiam Iuris fictione Bigamus, & ſi non ducat non Virginem, dicatur Bigamus, aut ſi ſuam vxorem poſt adulterium ab ipſa commiſſum cognoſcat diuerſas rationes dabit, Sayr. lib. 6. cap. 4. n. 12. quæ ſtatim parum efficaces apparent; quare reſpondent paſsim cum S. Thoma in 4. d. 27. q. 1. art. 1. q. 3. actionem ſpecificari à termino, ad quem tendit, non ab agente, à quo procedit, & ideò matrimonium ſpecificari ab illo, cum quo quis contrahit; cùm igitur fœminæ, cum qua vir contrahit, caro ſæpiùs diuiſa fuerit, vir dicitur ratione illius Bigamus fictione iuris, & Irregularis, & fœmina quoque contrahens cum fornicario cuius etiam caro diuiſa fuit, efficeretur Irregularis, ſi illius impedimenti & defectus capax eſſet. Sed hæc ratio, quamuis illam ſubtilem vocet Suarez, ſupponit falſum, nempe per copulam fornicariam diuidi carnem, aut nihil probat, ſi enim mulier cum pluribus fornicata, aut adulterata non ſit facta plurium caro, qui illam ducet in vxorem, non dicetur diuidere ſuam carnem in plures, quod ſi concedatur, æquè etiam vir cum pluribus ſcortatus factus fuit caro plurium fœminarum, & iam tunc erit Irregularis, & multo magis quando matrimonium contrahet; probat quidem optimè illa ratio, quando ex matrimonio cum vidua naſcitur Irregularitas interpretatiua, quia illa per præcedens matrimonium facta fuerit vna caro cum altero, & repræſentabat vnitatem matrimonij Chriſti, vnde matrimonium, quod deinde cum ipſa contrahitur, habet defectum vnitatis, aut ſignificationis vnitatis ſaltem ex fictione iuris, vti explicabamus, ſed de corrupta extra matrimonium nihil probat ea ratio. Rectè igitur reſpondet Bellarmin. lib. de Cleric. cap. 24. neque abnuit Suar. diſp. 49. ſect. 3. n. 9. maiorem infamiam eſſe, quod quis ducat ab alio corruptam,

corruptam ; quàm quod ipſe fuerit fornicatus, diximus autem propoſit. 3. Irregularitatem, quæ naſcitur ex matrimonio cum corrupta extra legitimum matrimonium, aut cum repudiata, eſſe ex infamia. Quare ſi occulta ſit illa deuirginatio, nulla erit Irregularitas.

CONSECTARIVM III.

An qui comperit vxorem, quam duxit, non fuiſſe virginem, vti rebatur, fiat Irregularis.

27 RESPONDETVR ex ſuperiori Conſectario, atque ex 3. noſtra propoſitione manere definitã iſtam controuerſiam, cùm enim conſtet ex illis locis totã hanc Irregularitatem eſſe ex infamia, & illa nulla eſſe poſſit; vbi occulta eſt corruptio virginis, nulla profectò erit Irregularitas, quare mortua illa coniuge poterit vir abſque petita diſpenſatione ad Ordines ſacros accedere.

CONSECTARIVM IV.

An qui vxorem prius à ſeipſo deuirginatam ducit, fiat Irregularis?

28 RESPONDETVR cum communi DD. quos dabit Sayr. lib. 6. c. 4. num. 17. & Sanch. diſp. 84. lib. 7. num. 14. contra paucos quoſdam veteres, hunc minimè Irregularem eſſe, cuius cauſam reddunt iidem DD. quia conſequenti matrimonio purgatur vitium præcedens, & matrimoniũ quoad aliquos effectus quodammodò retrotrahitur ad primæ copulæ tempus, & quia non diuiſit ille vir ſuam carnem in plures, cum illa fœmina eidem viro ſemper adhæſerit, vt ſupponitur; quare ſi alicui alteri ſui copiam fecerit quam illi ſuo amaſio, tunc dicunt eam ducentem fieri Irregularem; ad caput autem maritum. d. 34. quod eum, qui concubinam prius habuit, & deinde in matrimonium accipit, damnat & à ſacris remouet, ſapienter reſpondent illud non facere legem Eccleſiaſticam, etiamſi à Gratiano relatum fuerit in corpus Decretorum loco citato, cùm ſit Gennadij duntaxat lib. de dogmatibus Eccleſiaſticis. cap. 72. alij etiam per Concubinam intelligunt quamcunque ſiue pellicem, ſiue ſcortum.

Nobis autem liquida affulget ratio ex dictis, eo quod nulla ſit infamia, ſi quis eam, quam amicam habuit, aut concubinam ducat in vxorem, ac proinde nulla ſit huius Irregularitatis radix, nam ſi ratione vilioris conditionis pellicis, aut alia quapiam de cauſa grauis infamia crearetur illam ducenti, reuerà mihi videtur Irregularis, atque ita conciliari poterunt diſſidentes ſententiæ; Immò ſi alicui alteri ſe proſtituerit illa pellex, vix enim vni ſeruant fidẽ eiuſmodi Lupæ, ſi tamen res occulta foret, eo quod vulgò credatur vnius tantùm amica, ſi à ſuo amaſio in vxorem acciperetur, nulla ex eo matrimonio ſequeretur Irregularitas, quod ex poſitis principiis neceſſariò colligi fatendum eſt.

CONSECTARIVM V.

An maritus cognoſcens vxorem vi oppreſſam ab adultero ſit Irregularis ?

29 RESPONDETVR non eſſe. Ita Præpoſit. in 3. part. q. 5. de Irregul. quia in can. Neocæſar. qui ſolus affertur ad aſtruendam hanc Irregularitatem, & à nobis fuſiùs fuit explicatus ſuperiùs, clarè requiritur adulterium vxoris, quæ autem vi fuit oppreſſa, aut quæ fraude, vel dolo, eo quod exiſtimaret ſuum eſſe maritum, cognita fuit, reuerà non commiſit adulterium, quod tamen Ius omninò requirit, neque ea vox tantùm in materiali ſignificatione capienda eſt in lege pœnali & odioſa; qui tamen in eo caſu fatentur eſſe defectum ſignificationis & Sacramenti, quibus adhæret ipſemet Præpoſitus, nequaquã perſuaderi debent hac ratione, quia in illo æquè materiali adulterio erit defectus Sacramenti, ex quo naſci hanc Irregularitatem exiſtimant. Quare probatur noſtrum Conſectarium ex eo quod non incurratur iſta Irregularitas niſi ex delicto, aut infamia, vti fusè oſtẽdimus, delictum autem neque vxoris, neque viri vllum eſt, infamia quoque nulla aſpergitur maritus, ſi vis vxori facta nota eſt, ſi autem ignoratur, & ſolùm adulterij probrũ ſcitur, indeque notetur turpitudine aliqua vir, tamdiu Irregularis erit, quamdiu illa propudij nota manebit, & vxoris famæ non conſuluerit.

CONSECTARIVM VI.

An vir qui pendente lite de adulterio vxoris illã iubente Iudice cognouit, fiat Irregularis?

RESPONDETVR non eſſe Irregularem Ita aliqui apud ſumm. Confeſſor. lib. 3. tit. 3. q. 9. Palat. in 4. diſt. 27. diſp. 4. neque putat improbabilem Sayr. lib. 6. cap. 4. num. 20. gloſſa verò dubia eſt in cap. Si cuius vxorem. d. 34. verſ. admitti, & ex Iuriſtis omninò tenent, in cap. Inquiſitioni. Innocent. Ancharan. Ioann. Andr. relati à Sanch. lib. 7. diſp. 84. num. 16. qui tamen contrariæ ſententiæ vt pote communiſſimæ adhæret, ipſiuſque innumeros authores adducit. Verùm cùm oſtenderimus firma niſi fallor argumentatione, neque ex Iure neque ex ratione aliter induci irregularitatem in iſto caſu adulterij vxoris, quam ex delicto & infamia mariti vxoris turpitudinem fouentis, nullaque ſit infamia, quod ex Iudicis imperio vir reddat debitũ vxori, cuius adulterium probari nequit, neceſſariò ſequitur non eſſe illum Irregularem; numerus autem DD. non poteſt contra ius apertum & apertiſſimam rationem inducere Irregularitatem. 30

CONSECTARIVM VII.

An vir recipiens ſuam vxorem, quæ ex falſa ipſius mortis fama ſecundas nuptias inierat, fiat Irregularis?

AFFIRMAT Suar. diſp. 49. ſect. 3. num. 16. & ſequitur ex princi-

piis

piis communis ſententiæ, eo quod ea fœmina adulterium ſaltem materiale admiſit.

Reſpond. nihilominus nullam hic agnoceſcendam videri irregularitatem, quia cùm illud ſecundum matrimonium fuerit inualidum, & illa fœmina non fuerit facta vna caro cum iſto viro putatitio vnitate ſufficienti ad repræſentandam vnitatem connubij Chriſti, nulla poterit eſſe irregularitas ex ſolo defectu Sacramenti in caſu propoſito, nullum quoque delictum eſt, neque infamia, aut in vxore, aut in marito, qui illam vt ſuam recipit, ergo nihil eſt, vnde oriatur Irregularitas.

Consectarium VIII.

An qui poſt adulterium vxoris illi reconciliatus eſt illãque carnaliter cognouit, fiat Irregularis?

32 Respondetur vel adulterium fuit occultum, vel publicum & cum infamia, quæ per eiuſmodi reconciliationem non deleatur; ſi primum, nulla eſt Irregularitas vt ſæpiùs dixi, ſi verò poſt eam reconciliationem perſeueret infamia, manet Irregularitas, & non aliter, quæ omnia ex tertia Propoſitione & ſuperioribus Conſectariis apertiſſimè deducuntur.

Consectarium IX.

An ducens vxorem ab alio viro relictam propter matrimonij nullitatem, fiat Irregularis?

33 Respondetur ſiue hoc poſteriùs matrimonium validum ſit, ſiue inualidum non magis contrahi irregularitatem, quàm ſi ab alio corruptam duxiſſet, atqui iam ſuperiùs oſtendimus, inualidè contrahentem cum corrupta, aut etiam cum vidua minimè fieri Irregularem, cùm ibi nulla fingi poſſit bigamia, vt ex mente Nauarri & aliorum oſtendimus, ſi igitur aliquis inualidè contrahat cum dimiſſa à priori viro propter nullitatem prioris illius matrimonij non fiet etiam irregularis. Quod ſi poſterius illud matrimonium validũ ſit, neque in eo erit defectus Sacramenti, quandoquidem non magis ratione illius diuidit carnem ſuam maritus, quàm ſi fornicariè cognitã duxiſſet, irregularitas autem infamiæ, quæ ex nuptiis cum fornicaria fœmina, aut cum repudiata à proprio viro naſci ſolet, non reperitur hoc loco, quando conſtat prius illud matrimonium bona fide fuiſſe contractum, & deinde legitima authoritate diſſolutum, nam neque in exteriori foro vlla nota inuritur cõiugibus, quorum coniugium nullum eſſe pronuntiatur, niſi cauſa illius nullitatis ſecum aliquam infamiam traheret; ergo non apparet vnde fiat irregularis ſiue ex defectu Sacramẽti, ſiue ex delicto, ſiue ex infamia, qui accipiet in vxorẽ eam, quæ prius inualidè cum alio contraxerat. Et quanquàm fortaſſis aliter aliquando alicubi iudicatum fuerit in foro externo, non propterea à noſtra ſententia diſcedimus, neque à principiis ſuperius ſtabilitis, quia nos maximè agimus de foro interno, & quia forum externũ ſæpiùs ſequitur opinionem communem, neque propterea deffinit contrariam ſententiam non eſſe probabilem.

Consectarium X.

An contrahens cum moniali profeſſa ſit bigamus & Irregularis?

34 ITA affirmat Maiol. lib. 1. cap. 33. num. 8. & Viuald. in candela. tract. de Irregul. n. 14. quia perinde eſt, atque ſi ipſemet haberet votum ſolemne caſtitatis: verùm nullibi iſta Irregularitas in iure reperitur, neque vlla bigamiæ ſimilitudo fingi poteſt, vt ex vltima noſtra propoſitione facilè conſtat quare eam irregularitatem negat Henriq. lib. 12. c. 6. n. 10. Sayr. lib. 6. cap. 4. ſub fin. & alij; neque certè alia poſſet fingi hic irregularitas quàm infamiæ.

Consectarium XI.

An qui duxit puellam, quæ primo maritali congreſſu euaſit in maſculum, ſit Irregularis, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat?

35 RESPONDET Maiol. loco cit. num. 13. Vtrumque iſtum irregularem videri non ratione bigamiæ, quæ reuerà in eo caſu nulla fingi poteſt, ſed ratione infamiæ & grauis indecentiæ, cùm non poſſint non offendi piorum animi, ſi illum, qui fœminam egit, aut qui cum eo monſtro aliquando maritali affectu congreſſus eſt, miniſtrare altari videat; ſi tamen res eſſet occulta, ac proinde nullum periculum infamiæ & ſcandali timeretur, nihil prohiberet hos ad Ordines promoueri, vti diximus q. 1.

Quæstio V.

De Irregularitate ex defectu libertatis.

Status quaſtionis. n. 1.
Prima Propoſitio. De Irregularitate ex vinculo matrimonij. n. 2.
Secunda Propoſitio. De Irregularitate ex Seruitute. n. 3.
Quid requiratur ad ſerui ordinationem. n. 4.
Primo, Dominorum Conſenſus. Ibid.
Quanam ſit illa Domini licentia. n. 5.
Secundo, Seruus inſcio Domino ordinatus ab illo repeti poterit, quando & quomodo. n. 6.
Ad quid teneatur Epiſcopus ordinans ſeruum. n. 7. & 8.
Tertia Propoſitio. De Irregularitate ex obligatione ad Ratiocinia. n. 9.
Expoſitio Propoſitionis. n. 10.
Cauſæ propter quas, qui res alienas adminiſtrant, non debent ordinari. n. 11.
An priuata adminiſtratio prohibeat ab Ordinibus. n. 12.
An debitum manens in adminiſtratione faciat Irregularem. n. 13.
Quarta Propoſitio. De Irregularitate Curialium. n. 14.

NOMINE huius defectus intelligo eam omnem obligationem, 1
quæ non relinquit ſacris initiatum, ſatis liberum & expeditum, vt ſui Ordinis actionibus commodè vacare poſſit; eſt autem quadruplex illa obligatio matrimonij, ſcilicet, ſeruitutis, adminiſtrationis ſiue publicæ ſiue priuatæ, quæ rationi reddendæ obnoxium facit, & denique obligatio Curialium, quia enim hæc onera non videntur ſatis cohærere

cum

cum illo otio, quod ſacra miniſteria poſtulant, idcircò videntur ab Ordinibus ſuſcipiendis aut exercendis impedire, quod hac quæſtione ſigillatim inquiro.

PRIMA PROPOSITIO.

De Irregulariiate ex vinculo matrimonij.

2 DIco igitur primo. Cõiugatum ordinari non poſſe niſi relicta coniuge, quæ ad vitandum omne periculum incontinentiæ in aliqua Religione profiteatur.

EXPOSITIO ET CONfirmatio Propoſitionis.

IMMORANDVM non eſt in explicanda confirmandáve noſtra propoſitione quæ traditur cap. coniugatus, & cap. vxoratus. de Conuerſione Coniugator. & latè excutitur à nobis cõmodiori loco tertia parte vbi de Clericorum continentia, & de antiquo more adlegendi coniugatos in Clerum diſputabimus & plurima, quæ huc ſpectare viderentur per tractabimus. v. gr. an qui filios ante ordinationẽ ſuſcepit, promoueri queat ad dignitates Eccleſiaſticas maximè Epiſcopatum, cæteraque eiuſmodi.

SECVNDA PROPOSITIO.

De Irregularitate ex Seruitute.

3 SERVVS ſine conſenſu tacito vel expreſſo Domini ſui ordinari non poteſt, alioquin ab illo Iure repetentur, intra annum à die ſcientiæ, niſi ad maiores Ordines promotus fuerit, quo caſu manebit quidem ingenuus, ſed Epiſcopus ordinans aut alij, qui ſcientes eam ordinationem curarunt domino ſatisfacient duplo reddito; quod ſi nullus horum reus ſit ipſemet ſeruus ad duplam illam ſatisfactionem tenebitur, quam ſi exhibere nequeat, redibit in priſtinam ſeruitutem, niſi iam eſſet initiatus Sacerdotio, tunc enim manebit ingenuus, & aliquo ſpiritali obſequio domino ſuo gratum ſe præbebit.

EXPOSITIO ET CONfirmatio Propoſitionis.

SERVORVM ordinationem prohibitam eſſe, ne fiat iniuria ipſorum dominis & viles perſonæ, quæ nequidem ad dignitates & honores Reipubl. euehĩ poſſunt, tam diuinis myſteriis addicantur, certum eſt ex can. 82. Apoſtolo. & tota diſt. 54. & tit. de ſeruis non ordinandis; immò monebatur Epiſcopus in ſua cõſecratione, ne *quemlibet ſeruilis conditionis ad Ordines promouere præſumeret* teſte Alexand. III. Ep. ad Turon. Epiſcopum, vt refertur cap. conſuluit. de Seruis non ordinandis, & quamuis plures circa hæc iura excitari poſſent difficultates; quia tamen in noſtra Gallia omnis prorsùs ſeruitus extincta eſt, inutilibus eiuſmodi quæſtionibus ſuperſedebo, quas apud iuris vtriuſque interpretes facile comperies, atque Hiſpanos DD. qui de hac Irregularitate fuſiùs diſputant, ego nonnulla duntaxat, paucis obſeruo.

Primò igitur requiri Dominorum conſenſum, vt ſerui iure ordinentur 4 traditur cap. 1. & 2. de ſeruis non ordinan. quod ex Concilio Toletan. refertur & à Gratia. d. 54. cap. de Seruorum. & cap. de rebus. & ab

Iuo.

Iuo. P. 6. cap. 129. d. 130. Burcha. lib. 2. c. 28. atque in antiqua prima collectione, ſed eam inſcriptionem falſa.n iure merito ſuſpicatur Antoni. Aug. in notis in primam Collection. in cap. 1. & 2. de ſeruis non ordinan. veriuſque videtur ex Capitularibus, illa duo capita deſumpta fuiſſe, vt indicat etiam Panorm. & ſanè in Capitularib. lib. 1. cap. 88. inueniūtur ea capita magna ex parte, ſicut & illud, quod ex Concilio Triburienſi refert Gratian. d. 54. cap. nulli. Cùm tamen neque ea verba in Triburienſi, neque alia illa ſuperiora capita in vllo Toletano reperiantur, & in antiqua collection. prima vbi dictum cap. 1. integrum refertur dicitur ſic *Scriptum eſſe in pacto Francorum.*

5 Secundò, licentia Domini ſiue manumiſſio ad ordinationem ſerui duplex eſt, vna expreſſa quæ ſcripto dabatur & legebatur etiā publicè in ambulatione, cuius formulam recitat Iuo. 6. part. cap. 131. & meminit quoque lib. 1. Capit. cap. 89, & illa antecedebat quidem ipſam ordinationem, vt omnia iura, quæ de ea loquuntur, ſatis indicant, non habebat tamen effectum, niſi ſequuta ordinatione, atque ita erat quodammodo conditionata, ſi enim ſeruus non ordinabatur, non manebat liber vi manumiſſionis ad Ordines factæ; alia erat tacita licentia & manumiſſio, quando quis ſciente & non contradicente domino ordinabatur, ſiebat enim liber & ingenuus. cap. ſi ſeruus d. 54. quod totum extat in Nouella. 123. cap. 26. per Iulianum anteceſſorem.

Tertiò. Hæc manumiſſio Domini erat aliquando cum onere alicuius obſequij vel officij Domino impendendi, vt colligitur ex cap. nullus. de Seruis non ordinand. quod ibi dicitur eſſe ex Concilio in Alichi. deſumptum, alij apud Aletum, apud Alteum, Burchard. vocare ſolet, & Iuo 6. part. cap. 302. quæ omnia obſeruat Auguſt. in notis, hoc titulo cap. 3. primæ Compilatio. Sanciuit igitur ea Synodus, vt ſi quis ſeruus libertate donatus à domino, & ordinatus in preſbyterum *in ſuperbiam elatus miſſam dominis & Canonicas horas obſeruare & pſallere renuerit, & eis iuſtè obedire, dicens ſe liberum eſſe, noluerit, & quaſi liberè, cuius vult, homo ſiat*, à communione remoueatur *donec reſipiſcat, & domino ſuo obediat ſecundum Canonica præcepta; ſin autem obſtinato animo etiam hæc contempſerit, accuſetur apud Epiſcopum, qui eum ordinauit, & degradetur, & fiat ſeruus illius, id eſt, domini ſui ſicut natus fuerit; quiſquis verò talem ſecum habuerit poſtquam rem illius prædictam audierit, & domino ſuo non reddiderit, vel à ſe non proiecerit, ſiue Epiſcopus, ſiue Comes, ſiue Clericus, ſiue Laicus, anathematis illius ſocietate innodatus, pœnam excommunicationis luet.* Quibus poſtremis verbis ſignificatur non modò Eccleſiam manumittentē ſeruos ad ordinationem poſſe retinere ſibi ius exigendi aliqua ſeruitia, ſed etiam priuatis dominis idem quoque licitum fuiſſe.

Obiicies cap. Quicunque. d. 54. vbi prohibentur ordinari illi, qui retento aliquo obſequio à Patronis & dominis manumiſſi ſunt, ne quando voluerit eorum dominus, fiant ex Clericis ſerui. Itemque Concil. Toletan. 4. cuius eſt ille Canon, vult Patronum nullum in eis obſequium ſibi retinere.

Reſpondetur nullum obſequium Clericali ſtatui repugnans retineri poſſe in hoc caſu à domino, officia

tamen alia, maximè ſpiritualia, nihil prohibet per modum oneris, aut conditionis cuiuſdam apponi, & maximè ne quid faciant contra dominum, & gratitudinem atque iuſtitiam illi debitam, in ſua, v.g. Capella Miſſam faciant, aut diuina Officia recitent, nullum illi inferant nocumentum, contra ipſum non teſtentur, atque, ſi iſta non impleant, degradentur, & ſibi impoſterum reſtituantur. vbi tamen abſoluta fuerit manumiſſio, neque appoſitæ eiuſmodi conditiones, ad hæc quidem obſequia tenebitur ex quadam gratitudine ſeruus ille, non tamen ex iuſtitia, ita vt ſi illa non præſtet, faciat iniuriam veteri domino, & ob illã à gradu clericali deiici, atque in antiquam ſeruitutem detrudi queat.

6 Quartò. Seruus inuito, aut inſcio domino ordinatus, ab illo repeti poterit intra annũ à die ſcientiæ ipſius ordinationis, ex cap. ſi ſeruus ſciẽte, d. 54. *Poterit itaque & ſeruilem fortunam probare, & ſeruum ſuum accipere: ſi autem toto illo tempore diſſimulet, quod factum fuit, videtur illi ordinationi conſentire.*

Quintò. Seruus iſte domino repetenti reſtituetur, & erit ſeruus ſicut prius, niſi ad diaconatum, aut presbyterium fuerint euecti. ita definit Gelaſ. in epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam. cap. 16. & ep. ad Iuſtum & Martinum Epiſcopos, vt legit Gratian. c. ex antiquis. d. 54. vel, vt Iuo 6. part. cap. 353. ad Martyrium. & ep. ad Herculentium Stephan. & Iuſtum Epiſcopos, & ep. ad Ruffin. & Aprilem: in hoc autẽ vltimo loco videtur velle Gelaſ. vt ſerui etiam Diaconi ordinati reſtituantur dominis ſuis illos repetentibus, nam Candidum & Syluestrum à Lucerino Epiſcopo Diaconos ordinatos, contradicente eorum domina Maxima, Magnifica, & Illuſtri fœmina à ſacris Officiis repelli iubet Pontifex, id eſt, dominæ reſtitui, & tamen aliis locis dixerat Diacanos & Sacerdotes non eſſe reſtituendos, ſed redimendos. Vt hæc edictorum Gelaſij pugna tollatur, vtendum eſt diſtinctione gloſſæ in cap. 1. de ſeruis non ordinandis. verſ. deponatur; vel enim ſciente, & non contradicente domino, ordinatur ſeruus, vel domino ſciente & contradicente, vel domino ignorante & abſente, & vel in minoribus tantũm Ordinibus conſtitutus eſt, vel maioribus conſecratus.

Quando igitur domino ſciente & non contradicente, neque intra annum die ſcientiæ repetente ordinatur ſeruus, remanet liber, vti diximus, omneſque conſentiunt; ſi verò cõtradicente domino ordinetur, manet omninò ſeruus, & omninò repetenti domino erit reſtituendus, etiãſi iam foret Diaconus, atque ſic de ita ordinatis loquitur Gelaſ. in ep. ad Rufin. & Aprilem. *Continuò*, inquit, *qui contradictione præeunte non legitimè ſunt creati, à ſacris Officiis repellantur.* vnde colligit gloſſa in c. quis, d. 54. verb. repellantur, contradictionem plus valere, quàm abſentiam contra vniuerſalem regulam; an verò etiam tunc Sacerdos quoque ſit in priſtinã ſeruitutem redigendus, ſi dominus, qui eius ordinationi contradixit, ipſum repetere pergat, quæri poſſet, probabiliuſque videtur illum reddẽdum eſſe, qui in miniſteriis & obſequiis Sacerdotio non indignis ſeruiat, aut in ipſis etiam ſpiritualibus.

Si abſente domino ſeruus ordinetur ſactis Ordinibus ab Epiſcopo ſciente ſeruitutem, manebit quidem liber, Epiſcopus autem tenebitur ſa- 7

tisfacere in duplum, hoc eſt, dare duoſ ſeruos æquè bonos, aut duplicatum pretium reddere, ex Concil. Aurelian. I. cap. 10. quod ſi Epiſcopus neſcierit, tunc qui ordinari ſupplicârint, illi redhibitioni manebunt obnoxij: ſi denique neque Epiſcopus, neque eius præſentatores rei ſint, ſed ipſe ſeruus captata domini abſentia, ad Ordines promoueri curauerit, & in minoribus tantùm ſit conſtitutus, deponitur, & remanet ſeruus, ex Gelaſij eiuſdem mente, vti refertur cap. ex antiquis, & cap. frequens d. 54. Diaconus autem det pro ſe Vicarium, id eſt, alium ſeruum, aut pretium ad illum comparandum, quod de Subdiacono quoque dicendum eſſe monet Innoc. III. cap. miramur. de ſeruis non ordinand. Quòd ſi non poſſit hanc compenſationem domino ſuo præſtare, illi reſtituendus erit. Denique ſi Sacerdos ſit, manet quidem liber, ſed mulctatur ſuo peculio, quod domino cedet, aut ſi careat omni peculio, domino ſeruiet in diuinis Officiis, vt habetur in citatis locis.

8 Dvo tamen hoc loco quæri poſſent. Primum an Epiſcopus, qui ſciens ordinauit ſeruum abſente domino, teneatur ad dupli ſatisfactionem ante ſententiam iudicis, non videtur enim iuſtitia aliud exigere, quàm vt reddatur æquale, & iniuria ac damnum illatum domino per ſubtractionem illius ſerui compenſetur ad æqualitatem; quare ad hanc dupli ſatisfactionem exhibendam expectanda erit ſententia iudicis, ex mente Bonac. diſp. 7. q. 2. p. 4. num. 3. Suar. tamen diſp. 51. ſect. 3. n. 11. exiſtimat hanc legem non eſſe pœnalem, ſed diſpoſitiuam, obligat enim dominum ad manumittendum ſeruum ſe ignorante & abſente ordinatum, cum conditione tamen ſatisfactionis in duplum, quam conditionem niſi impleat Epiſcopus, non tenebitur reuerà dominus liberum reddere ſeruum ſuum; itaque ſiue iudex imperet, ſiue non imperet dupli ſatisfactionem, retinebit ſeruum ſuum dominus, donec illa ſatisfactio ſibi fuerit exhibita, cùm non obligetur aliter libertatem illi concedere.

Secundò quæritur, cur ſeruus alienus conſecratus reddatur domino, non autem res aliena conſecrata. 14. q. vlt. cap. comperimus, reſpondet gloſſa in cap. frequens 54. d. in verb. reddi; quia in rebus inanimatis nullus perpenditur dolus, ſicut in animatis. Secundò, quia in inanimatis conſecratio eſt tantùm velut in ſuperficie, vnde facilè eraditur: at in homine eſt in anima; & denique, vt ait Suar. Conſecratio quæ fit per ordinationem, non conſummatur niſi in ſacerdotio; vnde in minoribus Ordinibus facilè reſumunt ſtatum ſæcularem, quod potiori iure faciendum erit, quando in ordinatione facta eſt alteri iniuria.

Tertia Propositio.

De Irregularitate ex obligatione ad ratiocinia.

Qvi ex officio publico aliquam adminiſtrationem politicam publicam, vel priuatam gerunt, non poſſunt niſi depoſito eo munere, reddiriſque ſuæ adminiſtrationis rationibus, & finita lite de dolo, ſi quæ ipſis nota fuiſſet, promoueri ad Ordines. 9

EXPO

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

10 IN adminiſtratione rei alterius ſiue publicæ, ſiue priuatæ, quatuor diſtingui poſſunt. Primum eſt ipſum munus adminiſtratióque. Secundum obligatio reddendi rationem tum adminiſtrati muneris, tum bonorum eius, quæ obligatio manere poteſt poſt ipſum officium depoſitum. Tertium eſt quæſtio de dolo in ea adminiſtratione. Quartum denique eſt debitum, quod aliquando ſoluendum ſupereſt poſt redditam rationem adminiſtrationis: videndum autem eſt, an hæc omnia, an aliquod tantùm impediat ſuſceptionem Ordinum, & irregularitatem inducunt. Imprimis igitur officium adminiſtrandi rem alienam, ſiue publicam, ſiue priuatam, impedit promotionem ad Ordinem, ita enim definitur cap. vnic. de obligatis ad ratiocin. ordinand. quod deſumi dicitur ex Conc. Carthagin. primo, nimirum cap. 8. licèt Burch. lib. 2. cap. 56. & Iuo 6. part. c. 137. nonum dicant, ſed in Conciliis editis eſt reuerà octauum; Gratian. cap. magnus. d. 54. illud citat ex Conc. Moguntinenſi; ſed in poſteriori editione rectè id emendatum fuit: ibi igitur Procuratores, actores, executores, ſeu tutores pupillorum ordinantur poſt adeptam libertatem negotiorum, vel officiorum, ne alioquin Eccleſia infametur; in editis Conciliis legitur, tutores, pro executores, quæ lectio etiam magis placet Auguſtino in notis ad cap. vnicum. de obligatis ad ratiocinia. primæ collect. lib. 1. tit. 11. ex quibus vides non modò reipublicæ adminiſtratores, ſed etiam rerum priuatarum alterius non poſſe promoueri ad Ordines quamdiu gerunt eam adminiſtrationem, valet enim hoc loco argumentum à contrario; ſi enim tutores aliæque eiuſmodi perſonæ poſt depoſita publica illa onera, & rationem ipſorum redditam, initiari poſſunt: ergo quamdiu illa officia retinebunt, aut reddendæ rationi manebunt obnoxij, initiari nequibunt. quod ad ipſam etiam communitatem extendunt aliqui; ita vt ſi Collegium aliquod ratiociniis fuerit obligatum, neminem ex illo Collegio pendente adminiſtratione liceat admittere ad Ordines. Ita Archidiac. in cap. tantis. d. 81. & Dias in practica Cano. cap. 20. num. 1. ſub fin. quod tamen minimè mihi probatur, tum quia nihil habemus in iure, vnde colligatur ea extenſio, aut irregularitas cadens in communitatem, tum quia rationes, propter quas inducta fuit hæc irregularitas, non probant quando obligatio, vel adminiſtratio cadit in communitatem duntaxat, nempe quia videntur iſti obnoxij reddendæ rationi muneris, quo defuncti ſunt, aut negotiorum, quæ tractarunt, bonorúmque ſuæ commiſſorum fidei confugere ad Ordines, vt periculum, quod in ea rationis redditione timent, euadant. Secundò, quia cùm ſint aſſuefacti negotiis, verendum erit, ne eadem ſatagere pergant poſt ordinationem, atque ita ſæculum non fugiant, ſed mutent, vt habetur cap. 1. d. 53. Tertiò damnum patiuntur ij, quibus iſti erant obnoxij, cùm cogantur mutare forum, & ſi quid litis ſuboriatur cum iſtis, qui ſua negotia geſſerunt, non poterunt eos, niſi in foro Clericorum, conuenire, vt ait Panorm. in cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia. num. 2. & Innoc. ibid. verb. ordinari. Quartò, quia multitudine negotiorum auocantur à diuinis, quod incommodum cauetur toto titulo, ne Clerici vel Monachi,

Monachi, &c. Denique quia litibus vexari poſſunt, & calumniam pati de dolo, quod probroſum eſſet Eccleſiæ, vt obſeruat Dias cap. 20. pract. Canoni. quæ omnia minimè valent, quando ſingulis non incumbit adminiſtratio iſta, neque ſinguli obnoxij ſunt ratiociniis, ſed ſola communitas, vt expendenti rationes allatas patebit; cui tamen ex illa communitate eſſet impoſita ea adminiſtratio, reuerà eſſet irregularis, quia negotiis illis implicatus vix diuinis vacare poſſet, & omnes rationes, quæ in aliis adminiſtrationem ſimilem gerentibus valent, in iſto quoque reperirentur; quod enim hic vices communitatis repræſentet, aut alterius priuati, aut ſuo nomine negotia iſta gerat, nihil planè intereſt ad obnoxietatem reddendæ rationis, atque cætera incommoda quæ ex publicis officiis adminiſtrationibúſque naſci ſolent.

11 DIXI autem adminiſtrationem publicam remouere ab Ordinibus, quamdiu durat; ſi enim ſit aut Eccleſiaſtica, aut pia, id non faciet, nam tutela miſerabilium perſonarum non impedit Ordines. cap. peruenit. 86. diſt. Immò ad eam tutelam tenentur Clerici & Monachi, cap. 1. & 3. d. 88. idem de Eccleſiaſtica adminiſtratione dicitur cap. 1. ne Clerici, vel Monachi; quare ſi Clericus iſtas adminiſtrationes ſuſcipere poteſt, non remouebitur ab Ordinibus propter illas.

12 MAIOR difficultas eſt circa adminiſtrationem rei priuatæ, verùm cùm ea adminiſtratio ſit aliquando ex officio publico impoſita, vt in tutoribus, curatoribus, aliiſque eiuſmodi contingit, ſtatim apparet ex cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia, eam à ſacris ſuſcipiendis impedire, ſecùs verò quando cura non ſuſcipitur ex officio, ſed tantùm ex quadam beneuolentia; immò eum, qui coactus ad eam munera venit, negant eſſe Irregularem Sylu. & Tabien. verb. ratiocinia, & Dias c. 20. num. 2. qui idcircò hos, qui datiuam, aut legitimam tutelam gerunt, qui eam non ſponte ſuſcipiunt, volunt minimè cenſeri irregulares; quod mihi tamen non placet, cùm cap. vnic. de obligatis ad ratiocin. non meminerit huius diſtinctionis, & cap. peruenit d. 86. non agit niſi de tutoribus miſerabilium perſonarum, eos enim iam diximus minimè remoueri à ſacris, vbi tamen onus huiuſmodi adminiſtrationis poſuerint, reddiderínteque illius rationem, ceſſat iſta irregularitas: quod autem dico de reddenda ratione, intelligendum eſt, quoties adminiſtratio faciebat irregularem, alioquin obligatio reddendæ rationis nihil impediet, & malè Tolet. lib. 1. cap. 60. Vgolin. c. 58. §. 1. n. 9. aliíque putant tutores, & cæteros eiuſmodi, qui exercuerunt aliquam adminiſtrationem circa perſonam priuatam, poſſe depoſito eo onere ante redditam rationem promoueri, cùm & muneris depoſitio, & immunitas ab obligatione reddendæ rationis requiratur in cap. vnic. de obligat. ad ratiocinia; quare in vniuerſum dicendum eſt, quoties aliqua adminiſtratio remouet à ſacris, non tantùm illam deſerendam eſſe, ſed etiam eius rationem reddendam eſſe ante ſuſceptionem Ordinum.

DEBITUM tamen, quo poſt eam adminiſtrationem innodatus manet, non facit irregularem, niſi fuiſſet mota quæſtio de dolo & fraude. Primum aſſerit Suar. Bonac. Gordon. & alij paſſim, quia reuerà debitum pecuniarium non facit per ſe loquendo, irregularem, niſi aut litigioſum eſſet, obligarétque adhuc ad reddendam rationem, timereturque aliquid 13

vnde

vnde vel creditori, vel alteri fieret iniuria, ſi ille interea tranſiret ad Ordines non ſine probro Eccleſiæ, quæ eiuſmodi perſonas cum aliorum damno conſecraret; poſſet tamen iſte debitor facta ſuorũ bonorũ ceſſione, & reſeruata ſibi congrua portione, iuxta c. Odoardus, de ſolutionibus, eximere ſe ea irregularitate, qua de re alibi commodiùs dicemus.

Quod verò addebam de lite circa dolum, ac fraudem in adminiſtratione commiſſam, eam impedire à ſuſceptione Ordinum, etiamſi mota fuerit poſt redditam rationem, ac depoſitam administrationem, docent gloſſa, Innoc. in cap. vnic. cit. & alij omnes, quia ſi de dolo damnaretur, infamis haberetur, ac proinde irregularis, expectandus itaque erit totius controuerſiæ exitus.

Si porrò ordinaretur iſte irregularis, & deinde rationibus redditis debitor exiſteret, deberet ex ſuis bonis illa diluere, quæ ſi non ſufficerent, teneretur eum defectum ſupplere Epiſcopus, ex gloſſa, Panorm. num. 7. in illud cap. vnic. quod tamen iure merito Vgolin. cap. 38. §. 1. n. 9. ſub fin. reſtringit ad Epiſcopum, qui ſciens illum eſſe obligatum ad ratiocinia, ordinauerit, alioquin, cùm culpa vacet, plecti non poterit.

Qvarta Propositio.

De Irregularitate Curialium.

14 CVriales, qui Curiæ ſæculari inſeruire obligantur ratione officij, pacti, ſtipendij, aut iuramenti, promoueri ad Ordines non poſſunt, niſi depoſito eo munere.

Expositio et confirmatio propoſitionis.

CONVENIVNT DD. in hanc aſſertionem, vtpote definitam cap. 1. 2. & 3. 51. diſt. Circa ipſam tamen plurima quæri poſſent, quæ commodiùs diſcutientur alibi, vbi agemus de officiis, quibus occupari poſſunt Clerici, & quænam cum ipſorum dignitate ac vitæ genere pugnent; quare his omnibus impræſentiarum ſuperſedere viſum fuit; adi interea Maiol. lib. 2. cap. 5. In vniuerſum tantùm affirmo, Curiales excludi ab Ordinibus, Aduocatos v. gr. Tabelliones, Procuratores, cæteroſque ſimiles, vt qui vel ſæua aliqua munera, vel fœda, vt loquitur cap. 1. 51. diſt. cit. in Curiis præſtãt, neque deſunt optimæ rationes, propter quas ſapienter Eccleſia illos à Clero prohibuit, quas dabit Sayr. lib. 6. cap. 14. n. 10. ſanè hæc ſecularia negotia plurimũ à diuinis auocant; an etiam feudatarij, qui obligantur ad aliquod perſonale obſequium domino exhibendum, irregulares cenſeantur, colliges ex 4. p. vbi de feudis Eccleſiaſticis diſputabo.

Capvt IV.

De Irregularitate ex homicidio.

Quæſtio prima. De Irregularitate ex homicidio voluntario iniuſto.

Quæſtio ſecunda. De Irregularitate ex homicidio indirectè voluntario, & caſuali.

Quæſtio tertia. De irregularitate ex homicidio iuſto.

HÆc irregularitas aliquando pœnalis, aliàs tantùm ex defectu quodam lenitatis exiſtit: prior eſt quando homicidium iniuſtum, & contra quintum Decalogi præceptum committitur, poſterior verò ex homicidio inculpabili naſcitur, vtramque hoc capite explicabimus.

QVÆSTIO I.

De irregularitate ex homicidio voluntario.

Notatio prima. Quotuplex ſit homicidium. n. 1.
Quod ſit homicidium voluntarium. n. 2.
Quod ſit homicidium caſuale. n. 3.
Quomodo accipiatur in iure, quando agitur de illius pœna. n. 4.
Notatio ſecunda. Quid ſit membri mutilatio. n. 5.
Quid ſit membrum. n. 6.
Propoſitio. n. 7.
Prima pars propoſitionis. De homicidio voluntario. n. 8.
Secunda pars propoſitionis. De iniuſta mutilatione voluntaria. n. 9.
An quæ dicuntur de irregularitate homicidij, ſint extendenda ad irregularitatem ex mutilatione. n. 10.
Tertia pars. De cooperantibus iniuſto homicidio, & mutilationi. n. 11.
Conſulens mutilationem, an ſit irregularis. n. 12.
Quarta pars propoſitionis, non incurri irregularitatem, niſi homicidio & mutilatione poſitis. n. 13.
Conſectarium primum. An qui mutilat cadauer, ſit irregularis. n. 14.
Conſectarium ſecundum. An qui cauſauit abortum, ſit irregularis. n. 15.
Conſectarium tertium. An in dubio commiſſi homicidij cenſendus ſit aliquis irregularis. n. 16.
Regula vniuerſalis. Quandónam contrahatur irregularitas ex homicidio dubio. n. 17.
Prima pars regulæ. De dubio homicidio. n. 18.
Quid in foro externo. n. 19.
Quid in foro interno. n. 20.
Exponuntur varia iura. n. 21.
Secunda pars regulæ. De dubio ipſius homicidij. n. 22.
Conſectarium quartum. Qualis ſit irregularitas ex homicidio dubio contracta. n. 23.
Conſectarium quintum. An ex dubia mutilatione contrahatur irregularitas. n. 24.
Conſectarium ſextum. An qui dubitat, vtrùm occiderit in bello iuſto, ſit irregularis. n. 25.
Conſectarium ſeptimũ. An qui abortum procurauit, ſit irregularis quando dubitatur an fœtus fuerit animatus. n. 26.
Conſectarium octauum. Quis ſit irregularis quando plures eundem coniunctim aggrediuntur, & dubitatur quis ipſum occiderit. n. 27.
Conſectarium nonum. Quis fiat irregularis quando plures eundem percutiunt diuiſim, maximè ſi dubitetur, quis lethaliter percuſſerit. n. 28.
Conſectarium decimum. An ſit irregularis, qui alium vulnerauit, qui tamen alio caſu extinctus eſt. n. 30.
Singulares caſus ſoluuntur. n. 31.
Conſectarium vndecimum. An qui dubitat, an ſuum conſilium, aut mandatum influxerit in homicidium, ſit irregularis. n. 32.
Conſectarium duodecimum. An ſit irregularis, qui non potuit diſſuadere fa-

mina abortum, cuius ipſi fuerat author. n. 33.
Conſectarium decimumtertiũ. An non impediens homicidium ſit irregularis. n. 34.
Variæ ſententiæ. ibid.
Regula vniuerſalis de irregularitate homicidij ex omiſſione defenſionis. n. 35.
Expoſitio & confirmatio regulæ. ibid.
Omiſſio defenſionis aliquando culpabilis eſt. n. 36.
Quotuplex ſit iſta omiſſio. n. 37.
Quandónam ex omiſſione defenſionis peccetur contra iuſtitiam. n. 38.
Quando conſentiens alienæ iniuriæ ſit particeps delicti illam inferentis. n. 39.
An non defendere ſit impedire ſalutem alterius. n. 40.
Prima pars regulæ, pura omiſſio defenſionis non facit irregularem. n. 41.
Soluuntur obiectiones. n. 42.
Secunda & tertia pars regulæ, de omiſſione defenſionis non pura, & foro externo. n. 43.
Conſectarium decimumquartum. Solutio ſingularum difficultatum ex ſuperiori regula. n. 44.
Conſectarium decimumquintum. An ratihabitio homicidij, aut mutilationis faciat irregularem. n. 45.
Conſectarium decimumſextum. An qui digitos abſcindit, oculum ernit, dentem excutit, auriculas truncat, labra mordet, capillos euellit, fiat irregularis, & quid de quibuſdam aliis partibus ſentiendum ſit. n. 46.
Conſectarium decimumſeptimum. An qui mutilat membrum aridum, ſit irregularis.

VT huius homicidij irregularitas diſtinguatur ab ea, quæ ex homicidio caſuali, at voluntario quidem, ſed iuſto, naſcitur, nonnulla, quæ toti huic diſputationi lucem præferant, obſeruanda ſunt.

NOTATIO PRIMA.

Quotuplex ſit homicidium.

ATQVE imprimis duplex eſſe, vt 1
iam monui, homicidiũ, vnum iuſtum, quod vel in ſui aliorumque legitimam defenſionem committitur, & neceſſarium appellatur, vel in punitionem alicuius criminis ab eo, qui ius vitæ & necis habet: alterum eſt iniuſtum & culpabile ſaltem obiectiuè & materialiter, quod addo, quia fieri poteſt, vt abſque culpa aliquis alium occidat, licèt neque ſe defendat, neque ex authoritate publica crimen puniat; ſi enim ignoranter ignorantia inuincibili occidat, reuerâ non peccat: illud tamen homicidium eſt iniuſtum obiectiuè & materialiter; quænam verò ignorãtia ab hoc & aliis peccatis excuſet, alibi fuit explicatum, hinc fit, vt homicidij crimen diſtinguatur in voluntarium, & inuoluntarium, ſiue caſuale, & fortuitum, quæ tamen voces aliter vſurpantur à Theologis, qui ſolum forum internum conſiderant, aliter à iuris tum cõditoribus, tum interpretibus, dum de pœna homicidij loquuntur. Homicidium enim voluntariũ Theologis eſt illud omne, quod vel directè in ſe, aut in ſua cauſa proxima & inſeparabili, atque vt tali cognita, volitum eſt; vel indirectè, eo quòd licèt præter intentionem operantis euenerit, præuiſum tamen fuit ſequuturum, licèt non neceſſariò ex aliqua actione & cauſa, quæ liberè, non obſtante illâ præuiſione homicidij inde fortaſſis ſequuturi, poſita eſt. Caſuale autem & fortuitum nominant illud quod omni prorſus modo inuoluntarium eſt, quia neque directè, neque indirectè modo explicato volitum fuit,

ſed

ſed omninò præter intentionem & præuiſionem agentis accidit: vt ſi, dum æs campanum pulſatur, caſu decidat, & ſubiectum hominem conterat, homicidium fortuitum erit, neque pulſanti campanam poterit tribui ad culpam, qua prorſus vacat, defectu voluntatis, vt apud omnes certiſſimum eſt, & ideò tritum illud iuris principium circumfertur, voluntate & propoſito delicta diſtingui, cap cum voluntate, de ſentent. excom. & l. qui iniuriæ & l. verum. ff. de furtis, & l. quod reipublicæ. ff. de iniuriis; quia igitur Theologi culpam duntaxat attendunt, omne homicidium culpabile voluntarium nominant, quocunque modo voluntarium ſit: quod autem expers eſt culpæ, quamuis obiectiuè & materialiter iniquum ſit, dicunt caſuale & fortuitum. At verò Iuriſperiti illud tantùm voluntarium nominant, quod eſt directè volitum, ſiue in ſe, ſiue in ſua cauſa proxima neceſſaria, & inſeparabili, atque vt tali cognita; qui enim vult eam cauſam ponere neceſſariò, & eadem voluntate vult homicidium ab ea inſeparabile, & maximè cùm vix eam cauſam vt talem cognitam adhibeat, niſi ad hunc effectum, vt patet in eo, qui venenum præſentiſſimum propinat alteri, vult enim neceſſariò mortem ex eo veneno certò & neceſſariò ſequuturam; qui etiam vulnerat alium, quātum poteſt, etiamſi non cogitet de inferenda morte, cùm tamen ex vulneribus, quæ infligit, ſequitur mors, illam omninò directè voluit in ſua cauſa proxima atque neceſſaria; etiamſi enim expreſsè voluerit tantum vulnus, & implicitè cædem ex eo ſequutam, vtrumque tamen directè voluit; aliud enim eſt directè, aliud expreſsè, ſiue explicitè quidpiam velle, & aliquid implicitè volitum eſſe poteſt, & tamen directè volitum erit, quia quando voluntas per vnam actionem tendit in totum aliquod obiectum, illud totum directè vult, & non tantùm eam rationem, quæ illi explicitè repræſentatur, ſed etiam aliam implicitè, quæ neceſſariò & quodammodo eſſentialiter in eo obiecto contenta eſt, nam licèt primariò feratur in illud obiectum ſecundùm vnam rationem, & ſecundariò ſecundùm aliam, directè tamen atque vna formaliter indiuiſibili actione tendit in totum illud obiectum ſecundùm vtramque illam rationem ſiue primariam, ſiue ſecundariam, ſiue explicitam, ſiue implicitam. Qui igitur venenum aliamve cauſam proximam & neceſſariam mortis vult, ipſam quoque mortem directè intendit, ſiue expreſsè cogitet de morte, & ad illam inferendam adhibeat eam cauſam, ſiue tunc non intendat expreſsè eiuſmodi mortem, nam illam ſaltem implicitè neceſſariò vult, atque directè, quamuis fortaſſis non explicitè; atque hoc homicidium nominatur *ex propoſito* à Conc. Trident, ſeſſ. 14. cap. 7. *per induſtriam, per inſidias*, alij dicunt homicidium *ex dolo & culpa.*

Homicidium indirectè tantùm voluntarium, eo quòd euenerit præter intentionem, non tamen præter præuiſionem agentis, quia poſuit cauſam ex qua præuidebat, poſſe ſequi homicidium, quamuis non neceſſariò nominant Iuriſperiti caſuale, fortuitum, & inuoluntarium, non ſimpliciter, ſed directè, quia, qui illud committit, neque voluit formaliter & directè homicidium, neque cauſam, ex qua neceſſariò & inſeparabiliter ſequitur, voluit quidem aliquid vnde reipſa ſequutum eſt homicidium, licèt contingenter tantùm & ſeparabiliter, 2

quia

quia tamen non poſuit illam actionem intentione cauſandi homicidij, idcirco præter intentionem operantis omninò accidit homicidium, non tamen abſque eius voluntate indirecta, quæ ſufficit ad culpam, non ad dolum. Quare dicetur à quibuſdam hoc homicidium culpatum, ſed non cum dolo commiſſum, quia dolus abſque directa intentione fingi non poteſt: duobus autem modis homicidium iſtud interpretatiuè, ſiue indirectè voluntarium contingere poterit. primò ſi quis ex lege iuſtitiæ homicidium impedire teneatur, neque id faciat, vti poterat, v. gr. nauta, qui poterat vitare naufragium, atque adeò ex ſuo gubernatoris munere tenebatur, ſupina tamen aliqua negligentia in cautes nauem illidit, reus eſt naufragij, atque interitus vectorum, vt dicam inferiùs; ſecundò, qui facit actionē periculoſam, & ex qua nonnunquam euenire ſoleat homicidium, ac proinde teneatur vel actionem illam omittere, vel eam adhibere diligentiam, qua caueatur eiuſmodi periculum, ſi neutrum faciat, reus eſt homicidij, quamuis præter eius intentionem conſequuti, atque adeò caſualis & fortuiti, ita enim appellatur latiori vocabulo, quidquid à nobis non fuit intentum, licèt præuiſum aliqua ratione fuerit, aut præuideri potuerit & debuerit. Molina tract. 3. diſp. 3. n. 4. aliter videtur ſumere caſuale homicidium, illud nempe, quod ita accidit, vt prudentis arbitrio non poſſit tribui eius authori, tanquam ſi formaliter illud intendiſſet: quando autem eodem modo à viro prudente tribui poteſt alicui, atque ſi ab illo fuiſſet formaliter intentum, dicendum erit homicidium voluntarium, etiamſi non fuerit formaliter, directè & in ſe, aut in ſua cauſa proxima, neceſſaria & inſeparabili volitū, quod variis exemplis illuſtrat; qui enim percutit animo tantùm vulnerandi, & non interficiendi, quin immò, ſi ex ea percuſſione cædem præuideret, à vulnere abſtineret; quia tamen, eo quòd non potuerit, aut non ſciuerit temperare, manum ad vitandum vulnus lethale, occidit, quem tantùm vulnerare voluerat, reuera eſt homicida voluntarius, quia licèt non intenderit homicidium, perinde tamen reputatur, ac ſi illud formaliter intendiſſet, quia ſciens & prudens effecit id, ex quo vidit, aut videre debebat ſequuturam mortem, quæ & reipſa accidit, quamuis non exiſtimaret ex ſuo actu ſequuturam, immò & ſequi nollet: ſi autem percuſſit vulnere ex ſuo genere non lethali, quia tamen, dum alter ictum exire conatur, alliditur ad parietem, aut in inſtrumento, quo percuſſit, latebat mucro aliquis, vnde inflictum eſt lethale vulnus, mórſque reipſa contigit, non erit ille niſi homicida caſualis, quia nullus vir prudens eodem loco habebit hoc homicidium, atque ſi fuiſſet intentum formaliter. Præterea ſi quis ſuſpicetur, aut ſuſpicari poſſit ex proiectione lapidis in viam frequētem hominibus, periculum eſſe cædis alicuius, temeraria tamen procacia, & ſine animo quemquam interficiendi, molarem lapidem proiicit, aut bonbardam explodit, vt terreat ſi aliquem interficit, erit homicida voluntarius; ſi verò non erat adeò probabile periculum, licèt foret aliqua temeritas in ea lapidis proiectione, aut bombardæ exploſione, atque interfectio inde conſequens culpabilis eſſet mortaliter contra quintum Decalogi præceptum, erit tamen caſuale tantùm homicidium, quia non poteſt prudenter reputari, atque ſi eſſet formaliter intentum;

verùm perſtandum eſt in doctrina à nobis allata, quæ communis eſt, dicendúmque in omnibus iſtis exemplis allatis à Molina eſſe quidem homicidium caſuale, ſed culpabile, & indirectè voluntarium, & cùm quis ita percutit, vt velit non occidere, eſſe homicidium ſimpliciter voluntarium, ſed indirectè tantùm, atque ex modo loquendi iuris caſuale, contra quàm cenſuerit Couarr. in Clem. ſi furioſus, ſecunda parte initio num. 2. cui malè adhæſit Molina; vt enim ſapienter aduertit Suarez diſp. 44. ſ. 1. num. 2. hoc homicidium eſſet ſimul directè volitum, & directè nolitum; hic enim, qui non vult inferre vulnus lethale, & vult non occidere directè, & expreſsè, non vult occiſionem, & tamen ex menſe Couarr. & Molinæ, vult directè & formaliter occiſionem; ergo ſimul eadem occiſio eſt directè & expreſsè volita & nolita ab eodem, directè voluntaria, & directè inuoluntaria, quod manifeſtam pugnam terminorum inuoluit; deinde quando effectus intenditur tantùm in ſua cauſa, etiamſi ex illa ſequatur per ſe, eſt tantùm indirectè volitus, non enim eſt in ſe volitus & formaliter, vt patet, tradúntque magno conſenſu Theologi cum S. Thoma prima ſecundæ q. 6. art. 1. & 3. q. 16. art. 4. atqui in hoc caſu homicidium non eſt volitum in ſe, ſed in ſua cauſa, non cognita, vt eius neceſſariò productiua, neque vt talis eſt volita; ergo non eſt intentum directè & formaliter, ſed indirectè tantùm, ac proinde non poteſt dici ſimpliciter voluntarium; Molina verò illud tantùm homicidium, quod eſt volitum, in cauſa per accidens nominat inuoluntarium & caſuale, cùm vix illud ſit volũtarium, quia vix vnquam præuideri poteſt, aut debet effectus ab eo, qui ponit eius cauſam per accidens; cùm enim nulla ſit eius cauſæ cum effectu connexio, quia talis effectus ſequitur ad illam cauſam, non ex illa, ſed ex alia ſua cauſa per ſe, quam ſemper habet, vix vnquam prꝗuideri debebit, aut etiam poterit in illa cauſa, cum qua tantùm per accidens eſt coniunctus, & ad quam tantùm ponitur, ac proinde non poteſt dici volitus in illa, aliud enim longè eſt aliquid eſſe cauſam per ſe alicuius effectus, aliud cauſam neceſſariam; cùm enim dari poterit cauſa ſine tali effectu, eſt cauſa per ſe, ſed non neceſſaria illius: ſi autẽ naturaliter ſit inimpedibilis talis effectus poſita tali cauſa, tunc eſt cauſa per ſe ſimul, & neceſſaria illius; cùm itaque effectus intenditur in ſua cauſa neceſſaria, & vt tali cognita, reuera per ſe & directè intenditur, cùm impoſſibile ſit ferri in cauſam neceſſariam alicuius effectus cognitam vt talem, & non ferri ſimul in eum effectum; quando verò eſt cauſa tantùm per ſe, niſi intendatur quatenus eſt productiua alicuius effectus, non intenditur directè ille effectus, quamuis cognoſcatur & prauideatur futurus in ſua cauſa, ſed intenditur directè cauſa & effectus indirectè, atque interpretatiuè; quæ indirecta & interpretatiua intentio ſufficit, vt effectus tribuatur intendenti & ponenti cauſam, atque vt illi culpa imputetur, quod vnum contendebat Molina, neque nos diffitemur, inde tamen fieri negamus, vt ille, cui tribuitur culpa alicuius effectus, dici poſſit illum formaliter, directè & per ſe intendiſſe, ac proinde illum effectum eſſe illi ſimpliciter voluntarium. Quare tota illa regula tradita à Molina ad dignoſcendum, quandónam homicidium ſit voluntarium, aut caſuale, nulla eſt, nam etiam illud, quod eſt voluntarium

rium indirectè, & quod prudenter tribui poteſt illud committenti, æquè atque ſi illud intendiſſet, eſt caſuale. Fateor quidem ſæpiſſimè in foro externo, quod vtitur præſumptione, eiuſmodi homicidium cenſeri voluntarium, & non caſuale, qui enim percuſſit alterum, occiditque, etiamſi non intendiſſet cædem, volueritque cauere à lethali vulnere, quod tamen errante manu inflixit, reuerâ homicidium tantùm caſuale & indirectè voluntarium commiſit; cùm tamen ea eius voluntas animo lateat, mortem ipſam intendiſſe præſumetur, & homicidium illud voluntarium exiſtimabitur, non caſuale.

Reſtat dumtaxat oſtendendum in iure, atque imprimis in quæſtione de irregularitate, homicidium caſuale nominari omne illud, quod eſt indirectè tantùm voluntarium, atque ita diſtingui à voluntario; quod mihi liquere videtur ex Trident. cit. ſeſſ. 14. vbi ait; irregularitatem ex homicidio caſuali diſpenſabilem eſſe, non autem illam, quæ naſcitur ex homicidio voluntario; vbi imprimis per homicidium caſuale non intelligit homicidium ita caſuale, vt prorſus inculpatum ſit, illud enim nullam parit irregularitatem, vt quæſt. ſequenti conſtabit; ſi igitur culpabile ſit, debet eſſe aliqua ratione voluntarium. Secundò diſtinguitur hoc homicidium ab illo quod commiſſum eſt *per inſidias, per induſtriam, voluntate & propoſito*; atqui vt argumentatur Nauarr. cap. 27. n. 240. nullum eſt eiuſmodi homicidium, niſi quod formaliter & in ſe volitum eſt, aut in cauſa ſua proxima & neceſſaria, vt qui vellet alicui amputare caput, aut punctim cor confodere, aut præſentiſſimum venenum propinare, ridiculè diceret ſe nolle illius mortem, cùm hæc omnia velle non poſſit, niſi mortem neceſſariò velit, & non tantùm concomitanter. Deinde homicidium voluntarium in iure eſt, teſte ipſomet Couarr. quod dolo malo, animo occidendi committitur. l. 1. in princip. & l. Diuus. ff. de ſicariis, & l. in lege Cornel. ff. eod. tit. & cap. 1. §. ſi quis hominem, de pace tenend. cap. ſicut dignum, de homicidio; ergo quod ſine dolo committitur, erit caſuale, etiamſi voluntarium ſit.

Hinc porrò colligimus, quod diligenter omninò obſeruandum eſt, quoties in iure agitur de pœna ordinaria homicidij, ſermonem eſſe de homicidio voluntario ſimpliciter, & directè, non autem de voluntario tantùm indirectè, quod nos caſuale nominamus, quod concedit ipſemet Couarr. 2. p. Clem. ſi furioſus. §. 1. n. 1. allegans Iaſon. Bald. & Abbat. probàtque variis Iuribus, ex quibus optimus textus eſt. l. cùm autem. ff. de ædilitio edicto; *Veteres*, (inquit eo loco Vlpian.) *fraudem pro pœna ponere ſolebant, capitalem fraudem admiſiſſe accipiemus dolo malo, & per nequitiam: cæterùm ſi quis errore, ſi quis caſu fecerit, ceſſabit edictum, vnde Pomponius ait, neque impuberem, neque furioſum capitalem fraudem videri admiſiſſe.* Ex quibus videas, non eandem imponi pœnam delicto per dolum & nequitiam, atque per errorem, aut caſum commiſſo, hoc enim poſterius leuiori pœna plectendum eſt, cùm defectus voluntatis deliberatæ culpam minuat, atque adeò pœnam; quare quoties in iure alicui delicto pœna imponitur, de delicto ſimpliciter voluntario capienda erit, non de eo quod abſque expreſſo animo illius admiſſum fuit; illud tamen delictum pœna aliqua, ſed extraordinaria pu- 4

niendum erit, vnde ſapientiſſimè Trident. loco ſuperiùs adducto, homicidium ex propoſito & voluntate factum indiſpenſabile eſſe voluit; caſu autem perpetratum diſpenſari facilè permiſit, cùm reuerà iſtud ſit minori pœna dignum, quamuis fuerit indirectè voluntarium, neque rectè Molina diſp. 3. cit. n. 4. hanc indiſpenſabilitatem extendit non ſolùm ad homicidium formaliter intentum, ſed etiam ad illud, quod ita voluntarium reputatur, atque ſi homicida ipſum formaliter intendiſſet, quamuis fateatur æquitatem poſtulare, vt Pontifex in hoc faciliùs diſpenſet. Verùm iam monui, Concilium indiſpenſabile dicere illud tantùm homicidium, quod fit *ex propoſito, voluntate, animo occidendi, per induſtriam, per inſidias*, quod Iuriſtæ dicunt dolo malo, cuiuſmodi non eſt niſi illud, quod formaliter & directè in ſe, aut in ſua cauſa neceſſaria, vt tali cognita & poſita, volitum fuit, vti explicuimus hactenus.

NOTATIO II.

Quid ſit mutilatio membri?

5 Quia irregularitas, de qua diſputamus, non tantùm oritur ex homicidio, ſed etiam ex membri mutilatione, vti conſtabit inferiùs, idcircò inquirendum eſt in hoc limine diſputationis, quidnam ea ſit.

Dicendum autem imprimis eſt, mutilationem membri eſſe illius detruncationem, ſiue abſciſſionem, & non ſolùm illius vulnerationem, aut debilitationem, quamuis inde inutile prorsùs reddatur. Ita Felin. in cap. cùm illorum. de ſentent. excomm. num. 12. Auſrerius in Capell. Tholoſan. deciſio 207. Nauarr. c. 27. n. 206. Sotus lib. 5. de iuſtitia. q. 2. art. 1. Couarr. in Clem. ſi furioſus 3. p. initio n. 9. alios allegans Vgolin. cap. 4. §. 6. num. 1. Molin. tract. 5. diſp. 68. Suar. diſp. 54 art. 2. num. 6. contra Abbatem in cap. cùm illorum. de ſentent. excomm. n. 8. qui, vti obſeruat Felin. loco cit. ſibi contrarius eſt, nam in c. 1. qui Clerici, vel vouentes, num. 9. communi ſententiæ adhæret, atque in cap. Clericis, ne Clerici, vel Monachi; hanc tamen pugnam verborum Abbatis conciliare nititur Sylu. verb. homicidium 3 q. 3. quòd priori loco loquatur de debilitatione totali, quia æquiparatur mutilationi, eo quòd per illam inutile omninò reddatur membrum, quod probat ex Bartol. & ex l. Ophilius ff. de ædilitio edicto; atque hæc debilitatio irregularem facit: partialis autem debilitatio, quæ membrum impedit ab aliquo ſuo vſu, non eſt mutilatio, neque ex ea naſcitur irregularitas, vt Panormit. in locis allatis, rectè ſtatuit, atque ita explicatam hanc ſententiam ſequitur Sylu. loc. cit. & Angel. eod. verb. homicidium 5. n. 5. Sed neque placet iſta limitatio, requiritúrque omninò abſciſſio, & truncatio membri, neque ſufficit eius debilitatio etiam totalis ad veram & propriè dictam mutilationem, vt ex ipſa huius vocis propria ſignificatione conſtat; apud Latinos enim authores mancus dicitur, cui membrum aridum, aut inutile eſt: mutilus autem, ſiue mutilatus, cui membrum abſciſſum fuit; in pœnis verò verba improprianda non ſunt, neque laxanda ipſorum ſignificatio; cùm ius igitur ſoli mutilationi membri tribuat irregularitatem, non debemus nos debilitationi tribuere, cùm illa non ſit mutilatio, neque membrum aridum & debile, prorſus inutile

inutile eſt, cùm licèt ad operandum vſui non ſit, conferat tamen ad decorē, & ornatū corporis; quare quę ex variis iuribus congerūt, vt probēt paria eſſe non eſſe, & inutile eſſe, facilè reiiciūtur, pręterquā quòd in multis id falſum eſt, & nunquam omnimoda paritas exiſtit inter inutilitatē rei, & illius non exiſtētiam, vt exemplis oſtendi facilè poteſt, & falsò dixit Abbas in cap. cùm illorum. de ſentent. excomm. num. 8. mutilationem, truncationem, & omiſſionem, diſtingui in Clem. vnic. de homicidio, nam reuerà ibi nulla fit mentio truncationis, neque ea vox in eo textu legitur, ſoliùs enim mutilationis meminit, in cap. quicunque percutit. 23. q. 8. eſt quidem ſermo de debilitatione, ſed nō de irregularitate, ſed ſolùm dicitur percutientē haberi homicidam, præterquam quòd idem caput ex Auguſtino, vel Hieronymo deſumptum non facit ius.

6 Maior controuerſia eſt circa membri, cuius mutilatio irregularitatem parit, acceptionem; & quidem membrum aliquando latiùs vſurpari pro omni parte corporis, teſtatur Cicero lib. 3. de finib. alia enim, inquit, videntur propter eorū vſum aliquem à natura donata eſſe, vt manus, crura, pedes, vt ea, quæ ſunt intus in corpore, quorum vtilitas quanta ſit, à Medicis diſputatur: alia autem ob nullam vtilitatem, quaſi ad ornatum quendam, vt cauda pauoni, plumæ verſicolores columbis, viris mammæ atque barbæ; quæ mēbri ſignifiatio minus idonea & laxior eſt hoc loco, in quo de pœna grauiſſima, ob illius mutilationem, imponenda agimus; éſtque inueſtiganda propria eius vſurpatio, pro parte nimirum corporis ad aliquam vtilitatem data. Sed adhuc reſtat difficultas, an ad veram rationem membri neceſſe ſit, vt habeat proprium & diſtinctum officium à reliquis partibus totius corporis, vti habent pedes ad ambulandum, oculi ad videndum, manus ad palpandum; an verò ſufficiat, vt ſit pars membri principalis, illudque iuuet in ſuo officio, ſicuti digiti iuuant manum ad omnia ſua munera; primum illud omninò exigunt iuris DD. paſſim Bartol. Bald. Felin. Panorm. quos ſequuntur & referunt Couarr. in Clem. ſi furioſus. 3. part. initio. n. 8, Vgolin. cap. 4. §. 3. Nauarrus cap. 27. n. 206. Angel. verb. homicidium 5. n. 6. Sylu. verb. homicidium 3. q. 3. v. quartum truncatio. Cardin. in Clem. vnic. de homicidio. Auila 7. part. diſp. 5. ſect. 1. dub. 1. Molin. tract. 3. diſp. 69. num. 2. Conin. diſp. 18. dub. 8. Hurtad. diſp. 2. de irregul. n. 18. Præpoſitus in tertiam part. q. 5. de irregul. n. 72. Bonac. diſp. 7. q. 4. p. 8 n. 3. Reginald. lib. 30. n. 91. Tolet. lib. 1. cap. 71. Filliuc. tract. 19. n. 235. Henriq. lib. 14. n. 1. & qui plurimos alios congerit, Sayr. lib. 6. c. 16. num. 13. Probantque DD. ſuam ſententiam tum ex ipſa ratione phyſica membri, quam Medici tradunt, & ex officio diſtincto ac ſeparato ab aliis partibus petunt, tum ex ipſo iuris vſu, nam l. idem Ophilius, ff. de ædilitio edicto, dicitur eum, cui amputatus eſt vnus digitus, habere partem membri amputatam, non membrum, & l. non ſunt liberi. ff. de ſtatu hominum. habens plures ſolito digitos, non dicitur habere plura ſolito membra, & Paul. ad Rom. 12. negat omnia membra habere eundem actum.

Contra hanc tamen communiſſimam ſententiam pugnant Caietan.

2.2. q. 65. a. 1. Sotus lib. 5. de iuſtitia. q. 2. a. 1. & in 4. diſt. 25. q. 1. a. 3. concl. 3. Paludan. ibid. ead. diſt. q. 3. a. 2. qui negant ad rationem membri hoc loco neceſſariam eſſe diſtinctam & totalem operationem, ſed ſufficere, ſi habeat operationem coniunctam & acceſſoriam in aliqua parte præcipua, quam iuuat, vt videmus in digitis manuum, & pedum, eo quòd ita hæc vox vſurpetur in iure, nam carens teſticulis, cenſetur mutilatus, & irregularis, quamuis teſtes non habeant vllum officium diſtinctum à genitalibus. Quare Layman. lib. 3. tr. 3. cap. 11. n. 2. etiamſi communem ſententiam probabilem exiſtimet, hanc tamen poſteriorem, dicit conformiorẽ eſſe iuri Canonico, quod idem quoque cenſet Suar. diſp. 44. ſect. 2. num. 8. quia neque phyſica membri ratio, neque iuridica acceptio in inferendis pœnis attendẽda eſt hoc loco; ſed iura Canonica, quæ ad irregularitatem requirũt abſolutè mutilationem membri, vt patet ex Clem. vnic. de homicidio; atqui notabilis cuiuſlibet membri diminutio propter abſciſſionem alicuius partis ipſius, dicitur mutilatio, & ſanè c. 1. de Cleric. pugnant. in duello, membrorum diminutio ſufficere dicitur ad irregularitatem; vbi igitur per aliquam abſciſſionẽ erit notabilis aliqua membri principalis diminutio, ſiue pars abſciſſa ſit membrum, ſiue non, erit mutilatio, quam Canones exigunt ad irregularitatem, eadémque opinatur Gordon. q. 18. lib. 7. n. 48. Aragon. 2. 2. q. 65. a. 2. Villalob. autem tract. 21. diffic. 19. n. 4. nihil audet definire.

Mihi ſtandum videtur communiori ſententiæ, quamuis non ita euidenter demonſtretur in iure, vt quæ ex illo afferuntur, ſolui non poſſint; cùm tamen altera, quæ magis extendit hanc mutilationis acceptionem, nihil promat, quod vrgeat admodum, cùm mutilatio membri abſolutè prolata non ſit membri diminutio, ſed abſciſſio & mutilatio dicatur reſpectu corporis, quod ita mutilũ redditur non reſpectu membri, quod abſcinditur, & cætera, quæ afferri poſſent, facilè explicabuntur in Conſectariis, vbi non liquet de iure, adhærendum putamus communiori ſententiæ, & dandum aliquid authoritati DD. tunc maximè quando ea conformior videntur principiis vniuerſalioribus, ad quæ vbi proxima, & ſingularia nos deficiunt, exigendæ ſunt ſingularum controuerſiarum definitiones; cùm itaque in pœnalibus voces ſint in rigidiori, & maximè propria ſignificatione capiendæ, ita mutilationis atque mẽbri nomina vſurpanda nobis ſunt; adde ius Canonicum iiſdem vocum ſignificationibus cum Ciuili vti, niſi contrarium exprimat. Cùm itaque ius Cæſareum dum agit de imponendis pœnis, membri nomen capiat pro parte principali corporis, quæ habet diſtinctam & totalẽ operationem; cur dicemus eandem vocem aliter & in ampliori ſignificatione ſumi à Canonibus, dum illi infligunt pœnam irregularitatis, niſi apertiſſimè hanc ampliationẽ & extenſionem ſignificationis *membri* demonſtrent.

PROPOSITIO.

OMNIS ille, qui voluntariè aliũ occidit, aut mutilat contra quintum Decalogi præceptum, aut qui ita occidenti & mutilanti per actionem phyſicam, vel moralẽ poſitiuè 7

ſitiuè

ſitiuè cooperatur, irregularis eſt effectu ſubſequuto.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

HVIVS vniuerſaliſſimæ propoſitionis partes facilè fuerit intelligere & explicare ex iis, quæ ſæpiùs obſeruauimus.

PRIMA PARS propoſitionis.

De homicidio voluntario.

8 ATque imprimis ex homicidio voluntario modo hactenùs explicato, & contra quintum Decalogi præceptum cõmmiſſo incurri irregularitatem, certiſſimum fit ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. atque ex toto titulo de homicid. Tridentinum autem extendit ad homicidium occultum hanc irregularitatem; quare reiiciunt omnes communi conſenſu. à Caſtro, qui lib. 2. de lege pœnali, cap. vlt. tertia concl. principali, negat incurri irregularitatem, quando homicidium ſolius rei confeſſione probari poteſt, cùm enim Trident. tribuat hãc pœnam homicidio ſimpliciter occulto, non eſt, quòd aliud nos quæramus, maximè cùm non ſit contra legem punire peccata externa occulta pœna, præſertim priuatiua, quæ ipſo facto incurratur, ſi enim imponenda eſſet, à iudice, reuerà deberet poſſe probari iuridicè crimen, & non rantùm ex rei confeſſione; an verò ne iſte occultus homicida ſe prodat, atque ita præſentiſſimũ vitæ, & famæ periculũ ſubeat, poſſit actiones ſacras exercere, ſi iam ſit initiatus, & neceſſitas vrgeat, neque aliter vitare poſſit illud periculum, diximus alibi.

Requirebam tamen homicidium contra quartum Decalogi præceptũ, hoc eſt, contra iuſtitiam, & non tantùm contra charitatem commiſſum. Ita Molin. tract. 3. diſp. 76. num. 3. quare qui occidit defendendo ſe cum moderamine requiſito, non fit irregularis, vt dicemus q. 3. etiamſi ex ſummo odio iniquum inuaſorem occidat, neque iudex, qui ex eodem odio reum capite damnat, fit irregularis ratione illius odij, ſed aliunde, vti conſtabit ex ead. q. 3.

SECVNDA PARS propoſitionis.

De iniuſta mutilatione voluntaria.

DIxi ſecundò, ex iniuſta & voluntaria mutilatione membri naſci irregularitatem, quod manifeſtum eſt ex cap. in Archiepiſcopatu, de raptoribus, & Clem. vnica, de homicidio. Hæc porrò irregularitas non eſt eadẽ cum irregularitate homicidij, aut eius quædam extenſio, ſed omninò diſtincta, licèt cùm illa in pleriſque comparetur, vnde optimè colligit Suar. diſp. 44. ſect. 2. Gordon. lib. 7. q. 18. n. 47. & alij paſſim, omnia quæ dicuntur de irregularitate homicidij, non eſſe extendenda ad irregularitatem mutilationis, quod cenſuit quoque Congregatio Cardinal. in ſeſſ. 24. Trident. c. 6. de reformat. negat enim reſeruationẽ diſpenſationis factã ſummo Pontifici circa irregularitatem homicidij voluntarij, extendendã eſſe ad irregularitatẽ ex mutilatione eo quòd ea reſeruatio cõtineat rigorem, qui reſtringendus potiùs, quàm extendendus eſt, & irregularitas mutilationis diuerſa exiſtit ab irregularitate ex 9

homicidio

homicidio, vnde geminam regulam faciunt DD.

10 Prima eſt, quidquid pertinens ad rigorem dicitur de irregularitate ex homicidio, non eſt transferendũ ad irregularitatem ex mutilatione, niſi exprimatur in iure, quia in pœnalibus non valet extenſio, neque argumentum à ſimili, & cùm hæc irregularitas pœna ſit, atque crimen homicidij atrocitate ſuperet crimẽ mutilationis, ratio poſtulat, vt inæqualis ſit pœna criminis inęqualis; quæ igitur adiicientur irregularitati ad eius pœnam augendam circa homicidium, non debent habere ſtatim locum in pœna mutilationis, quam multo leuiorem eſſe oportet; econtrario verò, quæ molliunt rigorem eiuſdẽ irregularitatis ex homicidio, valebunt in hac altera irregularitate ex mutilatione; cùm enim, vt dixi, hoc crimen leuius ſit, iniquum foret illud acerbiori pœna plectere, quã homicidium, quod atrocius eſſe nemo negabit.

Secunda regula, quidquid auſterum circa pœnam irregularitatis ex mutilatione ſtatuitur, valet quoque in irregularitate ex homicidio, quia quamuis quod ſæpè monemus, argumentum à pari inefficax, & nullum ſit in odioſis, & pœnalibus, nihilominus rectè colligimus à parte ad totum; quod enim conuenit parti, conuenit etiam toti, ratione ſuæ partis: atqui mutilatio ſe habet vt pars quędam reſpectu homicidij, quod illud formaliter, vel eminenter continet; quæ autem molliunt pœnam mutilationis, non valent in homicidio, niſi exprimantur in iure, quia diminutio pœnæ circa leuius delictum extendenda non eſt ad pœnam criminis grauioris.

TERTIA PARS propoſitionis.

De cooperantibus iniuſto homicidio, & mutilationi.

11 DIxi tertiò. Peccantes mortaliter contra quintum Decalogi præceptum cooperando homicidio, & mutilationi per actionẽ phyſicam, aut moralem, fieri irregulares eadem irregularitate homicidij voluntarij, vel mutilationis.

Lib. de cenſuris cap. 5. quæſt. 3. latiſſimè egi de cauſis moralibus ad aliquem actum mandando, conſulendo, aliiſque ſimilibus modis cooperantibus, & vniuerſales regulas tradidi, ex quibus dignoſceretur, quandònam hæ cauſæ inucurrerent cenſuras & irregularitatẽ in ipſas latam. quæ omnia præ oculis habenda ſunt hoc loco, ne inutiliter, nec ſine faſtidio iterum ea repetere cogamur; nihil itaque reſtat, niſi vt doceamus ad hasquoque cauſas morales extendi irregularitatem homicidij ac mutilationis; ſtatuimus enim vniuersè q. 3. cit. nunquam pœnam ampliari ad mandãtes, aut conſulentes, niſi in iure ita fuerit expreſſum: ago autem de cauſis moralibus, nam cauſæ phyſicæ, quæ actionem prohibitam ponunt, eadem pœna puniuntur, licèt aliæ ſint principales, aliæ minus præcipuæ.

De mandante quidem & conſulente homicidium, apertè indicat Pontifex, cap. ſignificaſti, & cap. ſicut dignum. §. Clericos 2. de homicidio, & cap. fin. eodem titul. in 6. & cap. ſi quis viduam. d. 50. neque intereſt an mandatum tacitum fuerit, vel expreſſum, modò vi illius ſequuta fuerit actio.

Circa

12 Circa mutilationem tamen dubium eſt, an eam conſulens fiat irregularis, ſicut conſulens homicidium; ita quidem affirmant paſſim omnes DD. quos dabit Sayr. lib. 7. cap. 3. n. 2. à quibus tamen diſſentiendum videtur, quia nullibi ius imponit hanc irregularitatem, ſicut illam infligit conſulenti homicidium: atqui nulla irregularitas incurritur niſi expreſſa in iure, & irregularitas homicidij non eſt extendenda ad mutilationem, niſi eo modo, quo in iure fit extenſio, vti monebamus ſuperiùs: ex eo igitur, quòd conſulens homicidium, ſit irregularis, non benè ſequitur conſulentem quoque mutilationem incurrere eandem pœnam, quod ſubtiliter aduertit Præpoſit. quæſt. 5. de irregul. dub. 9. n. 69. licèt in praxi à communi ſententia diſcedendum neget Dian. 4. part. tract. 2. reſolut. 18. allegans Comeia in 3. part.

Quod verò attinet ad cooperantes propter phyſicam actionem homicidio, aut mutilationi, certiſſimum eſt illos fieri irregulares, quia ipſi verè & propriè occidunt & mutilant, quamuis non ſoli.

QVARTA PARS.

Non incurri irregularitatem, niſi homicidio & mutilatione poſitis.

13 Vltimò dixi, non ſequi hanc irregularitatem, niſi ſubſequuto effectu, vniuerſim enim oſtendimus lib. de cenſuris, cap. 5. q. 2. culpam, propter quam cenſura aliave pœna imponitur à lege, debere eſſe completam in ſuo genere, neque aut animum, aut illius conatum ſufficere, quod idem de irregularitate iſta docent DD cum gloſſa in cap. ſi aliquis, de homicidio, & in cap. periculosè, de pœnitentia diſtinct. 1. quam ſingularem nominat Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. initio, num. 4. aduertitque in quibuſdam codicibus truncatam fuiſſe, atque ex ea nonnullos contrariam ſententiam idcircò intuliſſe, quare ſi quis telo ornatus prodeat animo occidendi, & non occidat, quamuis vulneret, reuerá non ſit irregularis, quia ſoli mutilationi & homicidio fuit impoſita irregularitas, non vulneri; præterea etiamſi plurimum ſanguinis fuſum fuerit abſque cæde & mutilatione, non incurritur irregularitas, vt Panorm. in cap. 1. qui clerici, vel vouentes num. 9. & in cap. clericis, ne clerici, vel Monachi, num. 3. Cardinalis in Clem. vnic. de homicidio quæſt. 31. & alij omnes docent, contra Maiol. lib. 5. cap. 48. n. 3. & ſeq. vbi citat Speculatorem, Ioan. gloſſatorem, atque alios veteres, & aliquam etiam Rotæ deciſionem. Quos omnes loco citato ſatis ſupérque reiecimus, atque in ſcientia canonica, vbi & quid ferret communis illa regula, in atrocioribus criminibus conatum reputari pro facto, de qua Couarr. 2. part. Clem. cit. initio, n. 5. vera enim eſt quoad peccatum, & non quoad pœnam imponendam à iudice, niſi ex circunſtantiæ reperiantur, quæ ad terrendos cæteros pœnam ordinariam criminis, ipſius conatui infligendam eſſe ſuadeant: lex tamen nunquam, aut rarò admodum eandem vtrique actioni inchoatæ & completæ punitionem indicit, & tunc ſuam mentem apertè explicat; quod in hac irregularitate minimè fecit, quod enim cap. ſententiam, ne clerici, vel Monachi, iudicem, qui ſententiam ſanguinis protulit, dicat irregularem, agit de ſententia, ex qua mors, aut mutilatio

Q ſequuta

ſequura erat. cap. etiam cùm illorum, ſanguinis effuſio, & mutilatio comparantur quoad delicti exceſſum ratione percuſſionis, non ratione irregularitatis, vti Vgolin. cap. 4. de irreg. §. 6. ſub fin. aduertit, atque ita quædam priuilegia, quibus conceditur Religioſis à Martino V. diſpenſandi in irregularitate, & ſanguinis effuſione, interpretatur Suarez diſp. 44. §. 2. n. 6. quòd mutilatio cum magna ſanguinis copia propter enormem exceſſum videatur difficilius diſpenſari, quàm ſimplex mutilatio, idcirco adiectum fuiſſe eam particulam.

Consectarium I.

An qui ſæuit in cadauer inimici, & illud truncat, occiſurus ſi viuum reperiſſet, fuit irregularis.

24 Respondetur non eſſe, quia ſæuitas illa non eſt homicidium, quod ſignificat hominis peremptionem, ita Archidiac. in cap. periculosè, de pœnal. act. & in cap. vlt. 15. quæſt. 1. Felin. in cap. ſicut, de homicidio. Couarr. 2. part. Clem. ſi furioſus, initio num. 1.

Consectarium II.

An qui cauſauit abortum, ſit irregularis.

25 Sapienter obſeruauit S. Auguſt. lib. 1. de nupt. cap. 15. plures coniuges propagationi prolis obſiſtere, ſiue voto malo, ſiue opere malo, atque vbi egit de illis, qui exponunt filios, qui naſcuntur inuitis, *oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant*; ſubdit, *aliquando eò vſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando inter viſcera extinguat, ac fundat, volendo ſuam prolem prius interire, quàm viuere, aut ſi in vtero iam viuebat, occidit antequam naſcatur.* Fœtus igitur animati abactionem homicidium eſſe contra quoſdam Iuriſperitos apud Tiraquel. in l. ſi vnquam. C. de reuocand. donationib. n. 148. inſulsè id negantes ex eo quòd fœtus nondum editus vocetur homo à Chriſto, & quòd iſti non puniantur pœna ordinaria homicidij, vt ibidem oſtendit Tiraq n. 150. Conſtans aſſertio eſt apud Molin. tract. 3. diſput. 27. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. n. 1. & ſanè ita nominatur à Patribus, qui etiam, quando ab altero parente fit, parricidium dicunt. Ita Minutius in Octauio n. 33. Cyprian. epiſt. 49. Hieron. epiſt. 22. & alij, in ea abortione dolo malo à matre procurata veram reperiri rationem parricidij, demonſtrat Anton. Gomeſ. tom. 3. varia. reſolut. c. 3. n. 3. quare & iure ciuili punitur hæc cædes pœna ordinaria homicidij, nimirum capite, ſi dolo facta fuerit: ſi autem abſque dolo, pœna extraordinaria pro ratione culpæ, vt docent Gomeſ. l. c. n. 32. Couarr. Clem. citat. & lib. 2. variar. cap. vlt. n. 10. Eccleſia quoque grauiſſimis pœnis idem ſcelus vrget, nam Conc. Ancyran. cap. 71. Eliberitan. cap. 63. Conc. Ilerdenſ. can. 2. Mogunt. ſub Raba. cap. 21. cenſuris aliiſque pœnis homicidam afficiunt, quas innouauit Sixtus V. in conſtitutione edita anno 1588. quæ incipit, Effrenatam; vide Scortiam in conſtitut. Pontific. theoremate 376. quare & qui cauſam dederit fœtus animati abortitioni, eſt irregularis, vt definitur cap. ſicut ex litterarum de homicido, & ſanè cùm iſte extinguat aliquid viuum vitæ homi-

ſsis,& non plantæ,aut pecoris, reuerà hominem occidit.

Secundò quando fœtus nondum erat animatus, eius quidem eiectio homicidium non eſt,ſed,vt ait Tertul. cap 9. Apologet. *homicidij feſtinatio prohibere naſci*, quanquam eiuſdem malitiæ faciat ibidem cum homicidio conceptum vtero excutere, dum *adhuc ſanguis in hominem delibatur*, nec enim refert, vt ipſe ratiocinatur, *natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui futurus eſt, & fructus omnis iam in ſemine eſt.* Sed rigidior eſt ille loquendi modus, aut metaphoricus tantùm, aut ad ſceleris enormitatem factus, quo ſimili ſermonis genere ferè vtitur Minut. in Octau.num. 33. dum ait,*rudem ſanguinem nouelli,& vixdum hominis fundi & exhauriri,& in ipſis viſceribus originem futuri hominis epotis medicaminibus extingui*.Hieron. epiſt. 22. dixit, *aliquas ſterilitatem præbibere, & nec dum ſati hominis homicidium facere.* Ex quibus vides hîc non eſſe formaliter homicidium,ſed anticipatam quandam cædem,eo ſenſu, quo tunc fœtus ille dicitur eſſe homo in potentia,aut in ſemine ſuo; quare etiamſi culpabiliter cauſetur hæc abortio, non tamen inuehit irregularitatem, vt habetur in cap.ſicut ex litterarum,de homicidio, tradúntque communiſſimè DD. apud Nauarr.cap.27.num.222. Felin.in illud cap.num.2.Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. num. 1. Auila 7.part. diſp.6.ſect.4.contr.2. Molin. diſp. 27. tract.3.num.6. Suarez diſp.44. ſect. 2. num. 13.& omnes Summiſtas v.aborſus. Sixtus tamen V. in conſtitutione nuper citata,derogauerat iuri antiquo, & huius ſceleris reos homicidarum pœnis omnibus ſubiecerat, atque etiã irregulares eſſe voluerat, idem de iis, qui ſterilitatis venena procurant, ſtatuens;ſed hunc rigorem molliuit nouiſſimè Gregor. XIII. conſtit. edita anno 1591.quæ incipit,Sedes Apoſtolicæ, & procurantes aborſum fœtus inanimati,aut ſterilitatem,pœnis iuris antiqui, atque Tridentini obnoxios tantùm eſſe voluit.

Dices, cap. ſi aliquis,de homicidio, qui medicamentis impedit generationem, dici homicidam; ergo erit irregularis. Reſpondetur imprimis, hunc locum non mihi videri magnæ authoritatis,cùm enim tum in vulgaribus libris, tum in antiqua prima collect.eod tit.cap.vlt. dicatur deſumptum ex Conc. Guarmacienſi in Buchardo à lib. 17. cap. 57. ex Vormati cap.30.aptiùs quidem, vt videtur Auguſtino in notis ad cap.illud vltimum primæ collect. in Conciliis tamen editis nihil tale inueniri fatetur.Deinde cùm ſit Canon Concilij Prouincialis ſatis ignobilis,non faciet legem vniuerſalem, & facilè contingere potuit, vt pœna homicidij huic quoque ſceleri infligeretur in aliqua Prouincia,etiamſi nullę modò ſint irregularitates propriæ vnius Epiſcopatus, vti diximus cap.11.quæſt.1.conſ.3.Gloſſa in illud cap.putat id intelligendum de pœna legali, non de irregularitate, quæ omninò ex aliis iuribus ibidem ab ipſa relatis poſtulatis poſtulat fœtum animatum, ſiue *conceptum informatum*.Quare loquitur, niſi fallor,illud Conciliũ conſentaneè PP.qui nominabant feſtinationem, ſiue anticipationem homicidij, inde tamen minimè ſequitur, in omnibus hæc duo ſcelera comparanda videri.

Tota difficultas eſt,an qui cauſauit abortum, cenſeatur irregularis quando dubium eſt de animatione fœtus excuſſi.

CONSECTARIVM III.

An in dubio commiſſi homicidij cenſendus ſit aliquis irregularis?

16 COMMVNIOR quidem ſententia ita affirmat, quia in cap. ſignificaſti 2. & cap. ad audientiam, id definitum videtur. Quare ſic cenſent Couarr. in Clem. ſi furioſus, prima part. init. num. 3. Sayr. lib. 1. clauis regiæ, cap. 13. num. 23. & 24. & lib. 6. Theſaur. cap. 12. num. 16. Vaſq. prima ſecundæ diſp. 65. cap. 3. & diſp. 66. c. 1. Azor. tom. 1. lib. 2. num. 19. q. 10. & 11. Suar. diſp. 40. ſect. 5. num. 18. & 19. & ſ. 6. num. 12. Valent. 4. tom. diſp. 7. q. 19. p. 2. Salas prima ſecundæ tract. 8. diſp. vnic. num. 170. ſect. 19. Rebell. de iuſtit. 2. p. lib. 1. q. 2. ſect. 2. num. 13. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 4. num. 39. Sanch. lib. 1. in Decalog. c. 10. num. 42. & alij in ſequentibus conſectariis afferendi. Alij tamen negant in foro interno & ante ſententiam ſaltem declaratoriam iudicis de patrato homicidio hunc teneri ſe gerere pro irregulari, quamdiu poſt adhibitam diligentiam dubium erit de homicidio. Ita Henriq. lib. 14. cap. 3. num. 3. & 4. & c. 14. num. 3. & c. 15. num. 3. neque id improbabile putant Suar. Sal. & Rebell. citati, iámque ita diſtinxerant inter forum internum & externum in hoc caſu veteres. Canoniſtæ & Summiſtę, teſte Couarr. & Salas loco citat. Ioan. Andr. Panorm. Cardinal. Hoſtienſ. Sylu. Angel. Felin. & alij, quos dabit Sanch. cap. 10. cit. num. 39. & 40. qui in foro externo negant hunc pronuntiari poſſe irregularem ſtante illo dubio facti, quia in delicto dubio non imponitur pœna ordinaria, quamuis in foro interno, in quo tutior pars amplectenda eſt, debeat omninò ſe talis cenſere irregularem.

Vt hoc diſſidium aliqua ratione componam, ſuppoſitis iis, quæ de dubiis facti in vniuerſum latè diſputauimus in ſcientia canonica lib. 3. diſtinguendum mihi videtur in hoc caſu duplex dubium cum Præpoſito in 3. part. q. 5. de irregulat. num. 61. aliquando enim dubitatur de ipſamet occiſione, an ea fuerit commiſſa, vel non; aliàs verò de perſona occidente, conſtat enim verè occiſum fuiſſe hominem, atque Sempronium illum percuſſiſſe & vulneraſſe; ſed dubium manet, an ex percuſſione illa, & vulnere inflicto à Sempronio interierit occiſus; itaque vel dubium eſt circa conditionem ſubiecti, in quo commiſſum eſt delictum, aut circa eius perpetrationem, aut circa perſonam delinquentem, & cædem aliúdve crimen admittentem, quæ duo diuerſiſſima eſſe conſtat. Ex his mihi ſtatuenda videtur hæc

REGVLA VNIuerſalis.

Quandónam contrahatur irregularitas ex homicidio dubio.

QVOTIES conſtat de homicidio commiſſo, dubiúmque tantùm exiſtit de perſona committente, cenſenda eſt irregularis ſaltem in foro externo, ex peculiari iuris diſpoſitione in hac materia, quòd ſi dubitaretur de ipſomet homicidij actu, an nempe fuerit aliquis occiſus, in nullo foro cenſendus erit aliquis irregularis, donec veritas commiſſi homicidij comperiatur. 17

PRIMA

PRIMA PARS regulæ.

De dubio homicida.

18 PRima pars huius regulæ traditur à communi ſententia initio relata, & manifeſtò probatur ex cap. ſignificaſti 2. de homicidio, ibi enim conſtabat maleficum illum, qui Euchariſtiam & altaris ornamenta aſportauerat, occiſum fuiſſe; ſed dubitabatur, an interiiſſet ex vulnere, quod in eius caput Sacerdos foſſorio impegerat: an verò ex aliis vulneribus, quibus eum parochiani conciderant; in hoc igitur dubio, quod, vt vides, eſt non de occiſione, ſed de perſona occidente, iubet hunc Sacerdotem Innoc. III. à ſacerdotali potius officio abſtinere, quia id tutius eſt, quàm temerè celebrare pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur, in cap. quoque, ad audientiam, eod. tit. Clemens III. eodem modo pronunciat habendum irregularem Presbyterum, qui dum corrigeret domeſticum ſuum, illum ſuo cingulo percuſſit; dubium verò erat, an ex eo vulnere, an alio quopiam morbo interiiſſet. In his caſibus vides dubium fuiſſe de homicida, non de homicidio; & falsò reſpondent aliqui recentiores, veriſimilius fuiſſe eos Sacerdotes, de quibus dubitabatur, reuerà commiſiſſe homicidium, nam in cap. ad audientiam, nullum planè veſtigium apparet illius veriſimilitudinis, vt legenti conſtabit in cap. quidem, ſignificaſti, Innocent. affert ſub finem vehementia indicia, ex quibus colligatur, hunc Sacerdotem etiamſi vim illatam repuliſſet, & iniuriam propulſaſſet, id tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ minimè feciſſe, cum ratione inſtrumenti, quo percuſſit; cùm enim graue ſit, non ſolet leuem plagam inferre, tum ratione partis, in qua leuiora vulnera ſæpiùs lethalia ſunt, quæ omnia faciunt valdè probabiliter hunc Sacerdotem homicidij reum, ac proinde irregularem, neque rem planè dubiam & ancipitem relinquunt; priùs tamen dixerat Pontifex. *Quòd ſi diſcerni non poſſit, ex cuius ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi, tunc Sacerdos etſi forſitan homicida non ſit, à ſacerdotali officio abſtinere.* quibus verbis nihil apertius dici potuit, neque contra adeò manifeſtas Pontificum reſponſiones ſentire licet.

DIXI ſecundò, hanc irregularitatem ſaltem habendam eſſe in foro externo, non enim cenſeo improbabilem Canoniſtarum & Summiſtarum ſententiam ſuperiùs allatam, qui in foro conſcientiæ exiſtimant, hunc incertum homicidam poſſe deponere dubium, & cenſere ſe minimè irregularem eſſe; non tamen dixerim expectandam eſſe ſententiam declaratoriam criminis, vt talis habeatur in foro externo irregularis, quod plerique horum Doctorum volunt, vnde non dixi in foro contentioſo hunc forè irregularem, ſed in foro externo, quod latius patet, quàm contentioſum, quare poterit à ſacris repelli ab Epiſcopo, perſtante illo dubio, & donec de rei veritate conſtet; neque poterit ipſe publicè ſacra exercere, ſed vbi res innotuerit, debebit ſe tanquam irregularem gerere, quæ omnia ſingillatim oſtendo. Quod igitur ad externum forum pertinet, manifeſtum eſt de illo agi in cap. ad audientiam. Quando quidem ad audientiam Apoſtolatus peruenerat ea controuerſia; deinde verba Pontificis non diriguntur 19

tur ad ipſummet irregularem, ſed ad iudicem, ſiue Prælatum. *Vos conuenit*, inquit, *iniungere Presbytero memorato, vt in ſacris Ordinibus non miniſtret.* cap. etiam ſignificaſti, citatum, loquitur in foro exteriori, cùm Innoc. mandet Abbati Meldebergenſi, vt legitur in antiqua collectione 4. eod.tit. vbi integra Decretalis refertur, vt ille Laurentius Presbyter, habeatur pro homicida, & à ſacerdotali munere iubeatur abſtinere.

Non tamen nomine fori externi intelligendum eſt ſolùm contentioſum, quaſi in eo tantùm iſte fuerit habendus irregularis, quia, vt obſeruat Felin. in cap. ad audientiam n. 1. & poſt eum Nauarr. in cap. ſi quis autem, de pœnitentia d.6.num.37.in illis capitibus, reuerà non agitur de foro penitùs exteriori, in quo interuenit accuſator, vel denuntiator, ſed de foro exteriori non contentioſo, & quodammodo mixto; & ſanè in cap. ſignificaſti, apertiſſimè innuit Innoc. hunc Laurentium à nemine fuiſſe accuſatum, ait enim credendum *eſſe ipſi Sacerdoti, qui non accuſatur, vel denuntiatur ab aliquo, ſed per ipſum de ſua ſalute ſollicitus, per ſeipſum conſilium appetis ſalutare.* Nondum igitur iſta quæſtio fuerat deducta ad forum contentioſum, & tamen iubetur iſte percuſſor ſi fuerit dubium an occiderit, an verò alij, qui deinde nefarium hominem, de quo agebatur, vulnerarunt, abſtineat munere ſacerdotali: non eſt igitur expectanda ſententia iudicis, ſed ſufficiet ſolum præceptum ſuperioris, qui in tali dubio debet illum à ſacris repellere, & vt in minoribus miniſtret, permittere diſpenſando cum ipſo. Non idcircò tamen negamus, quin forum contentioſum poſſit hunc percuſſorem tanquam homicidam damnare, & pronuntiare irregularem, vti obſeruat Nauarr. num. 37. cit. cùm forum contentioſum rigidius multo eſſe ſoleat, quod fatetur quoque Suar. diſp. 40. ſect. 36. n. 10. Quare Panorm. qui in cap. ad audientiam, n. 2. exiſtimauit deciſionem horum capitum, ad audientiam, & ſignificaſti 2. veras eſſe in foro interiori, non exteriori, quod reiicit Nauarrus. Neque ait ſe moueri contraria communi opinione, quia inquit n. 38. *Ideo eſt communis, quòd alius poſt alium ita dicere Innocentium credidit, cùm tamen Innocentius aliud longè dixerit, neque hac in re inter vtrumque forum diſtinxerit.* Et ſanè, vti iam oſtendimus, manifeſtum eſt de foro exteriori loqui Pontifices.

DIFFICVLTAS porrò reſtat, 20
an in foro interiori iſte dubius homicida ſit irregularis, & quidem ſi iam fuerit ipſi imperatum à ſuperiori, vt abſtineat à ſacris, certum omninò eſt ipſum abſtinere debere, vti etiam dixit Innocent. in cap. ſignificaſti; vox autem *debere* importat præceptum & obligationem, vti latè oſtendit Sanchez lib. 4. de matrimonio diſputat. 23. num. 2. Certum quoque mihi eſt, ſi delictum fuerit publicum, atque adeò paſſim habeatur irregularis ratione dubiæ illius cædis, teneri quoque ratione ſcandali tamquam irregularem ſe gerere, donec conſtet de rei veritate, aut fuerit cum eo diſpenſatum; ſed quæſtio eſt de crimine occulto, & non notorio, an perſtante dubio, verùm reuerà vulnus lethale aliquis alteri inflixerit, & an ex eo interierit, vbi poſt adhibitam diligentiam nihil comperit, hic percuſſor poſſit deponere dubium, atque miniſtrare in ſacris, quamdiu Prælatus, aut

Iudex id ipſi non prohiberet, quod ita affirmandum mihi videtur cum Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 3. & 4. quia hic percuſſor neque iure naturali, neque ex iure poſitiuo tenetur ſe gerere irregularem in caſu propoſito; non primum, illa enim generalis regula, in dubiis tutior pars eligenda eſt, quæ vna videtur hoc loco imponere obligationem abſtinendi à ſacris, & qua vtuntur Pontifices capitibus citatis, non eſt præcepti, ſed conſilij, vt cum Nauarr. in cap. ſi quis autem, de pœnit. d. 7. latè probauimus lib. 3. primæ part. ſcientiæ canonicæ, & valeret in omnibus aliis dubiis facti, quod neque Sanch. neque cæteri aduerſarij vnquam fatebuntur. Ius quoque poſitiuum non obligat hoc loco ante præceptum ſuperioris, quia cùm diſpoſitio horum capitum, quæ explicamus, ſit peculiaris in hac materia, vti oſtendemus ſtatim, non obligabit niſi in caſibus expreſſis, & eodem modo quo exprimuntur; atqui illa capita loquuntur de foro externo, licèt non contentioſo, vt dixi: ergo extra illud forum non obligabunt. Secundò in cap. ſignificaſti 1. eod. tit. in dubio, an quis Clericus occidiſſet mulierem, quam equus, cui inſidebat, non audiens habenas, prorriuerat, iubet Pontifex illi iniungi pœnitentiam ad cautelam, & deinde non impediri ne promoueatur ad ſuperiores Ordines, & ne in ſuſceptis miniſtret; ergo poterat ille in conſcientia ſecluſa illa prohibitione facta à ſuo ſuperiore, tum Ordines ſuſceptos exercere, tum ad alios aſpirare.

21 Dices primò. Ratio, propter quam cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti 2. iubent abſtinere à ſacris dubium homicidam, nimirum, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, valet in vtroque foro; ergo & deciſio quæ fundatur in illa ratione, valebit etiam in vtroque foro; malè enim dicerent Pontifices abſtinendum eſſe in dubio ab Ordinum exercitio, quia periculum eſt, ne, ſi id temporis exerceantur, peccetur, niſi ſupponerent exercitium Ordinum, durante illo dubio illicitum & malum eſſe.

Reſpondetur Suarez diſp. 40. ſ. 6. num. 8. tutiorem partem non appellari in Pontifice in eo loco, illam, in qua minus eſt periculum culpæ, ſed in qua minora timentur incommoda: incommodum autem & periculum quod timetur in eo caſu, eſt, ne forraſſis verus homicida ordinetur, aut miniſtret, quod indecenter fieret, & contra Eccleſiæ mentem: non agi autem de periculo culpæ, ex eo patet, quia alioquin peteretur principium, quæſtio enim erat, an periculum culpæ eſſet in dubio illa celebrare, & nemo dubitat, quin malum ſit operari cum periculo culpæ; reſponderat ergo Pontifex eſſe periculum culpæ, & ideò non eſſe celebrandum: cùm tamen quæreretur, an reuera eſſet tale periculum ratione dubiæ irregularitatis; quare definiendum erat, an eo caſu ſit cenſenda irregularitas. Non agebatur itaque de dubio practico, cum quo nunquam licet operari, ſed de dubio ſpeculatiuo ex quo tamen deducenda erat concluſio practica, ſiue conſcientiæ dictamen, vt vocant, an, v. gr. ex vulnere inflicto à Laurentio, interiiſſet ille occiſus, ac proinde, vtrùm Laurentius ex eo facto credendus eſſet irregularis. Reſpondet Pontifex iudicandum illum irregularem, & repellendum à miniſterio Ordinum, quia id tutius erit, & paucioribus incommodis obnoxium. Vt igitur ſapienter ſtatuat Pontifex hanc remotionem à ſacris dubij homicidæ, nihil neceſſe fuerit hoc principium

tanquam

tanquam neceſſarium, aut vniuerſale ad vitandam culpam vſurpare; ſed vt ex illo colligeret prudenter ſe ſancire, vt ille percuſſor abſtineat à ſuo miniſterio, quamuis id foret ipſi oneroſum, minus tamen incommodum cenſetur, quàm ſi verus homicida in Eccleſia miniſtraret: quamuis itaque ea remotio à ſacris non eſſet neceſſaria ex vi ſolius rationis naturalis, prudenter tamen ſancita eſt, vnde non ſequitur eiuſmodi percuſſorem dubium, an reuera occiderit, antequam à Prælato repellatur à ſacris functionibus, teneri ab illis abſtinere ſecluſo ſcandalo, aliiſque circunſtantiis, quia non præcipit Pontifex, vt ipſe ſe priuet illis actionibus, ſed Prælatis, ad quos tantùm dirigitur ea lex, vt ipſum repellant.

Dices ſecundò ex Nauarr. in cap. ſi quis autem, citat. num. 39. ſub fin. in dubiis eligendam eſſe partem tutiorem vi præcepti, tam in foro interiori, quàm exteriori, in omnibus illis caſibus, in quibus id faciendum eſſe iura præſcribunt, vt in duobus iſtis capitibus, ad audientiam, & cap. ſignificaſti, quod ſine vlla exceptione certum dixit Nauarr. Reſpondetur, nego in capitibus citatis præcipi, vt abſtineatur à ſacris, quæ eſt tutior pars, ſeruanda hoc loco, niſi vbi à Prælato id fuerit imperatum; & tunc fateor in vtroque foro dubium iſtum homicidam debere ſe gerere tanquam irregularem. Ex quibus etiam ſolues quod obiiciebat Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10. n. 44. verbum *debet*, quo vtitur Innocent. in cap. ſignificaſti, *à ſacerdotali officio abſtinere debet*, importare obligationem, atque præceptum, quæ omnino lubens concedo; ſed præceptum illud abſtinendi ab officio ſacerdotali, imponi debet à Prælato, vti iubet eo loco Pontifex. In hoc dubio, inquit, tanquam homicida debet haberi, & tunc ille obligabitur in conſcientia eiuſmodi præceptum obſeruare, atque ab *officio ſacerdotali abſtinere debebit.*

Dices tertiò. Idem ſeruandum eſſe in vtroque foro, quando externum nō ducitur ſola præſumptione, atqui in hoc caſu forum externum ſupponit dubium eſſe homicidium, & non præſumit fuiſſe commiſſum, vti oſtendimus contra quoſdam recentiores ſuperiùs; igitur quod definit, habendum eſſe irregularem dubium iſtum homicidam, in conſcientia tenendum erit. Reſpondetur, iam ſæpius me dixiſſe nihil aliud definire ius locis allatis, quàm quòd in eo caſu iſte percuſſor habeatur à Prælato irregularis, & tunc illam prohibitionem ſeruare ille tenebitur in conſcientia, ad quod non obligaretur, ſi forum externum ſola præſumptione duceretur; quidquid enim imperaret, ſi conſcius eſſet, aut certus, rem aliter ſe habere, non peccaret violando legem externam.

Dices quartò. In cap. ſignificaſti, agi duntaxat de foro interno, quia, vt conſtat ex integra decretali relata in antiqua 4. collect. eod. tit. de homicidio, cap. 2. Canonicus iſte Regularis Laurentius, *de ſua ſalute piè cogitans euoluto anno ſub titulo confeſſionis rei ordinem reuelauit* ſuo Abbati, qui pro eo ſimiliter ſupplicauit. Reſpondetur non fuiſſe confeſſionem ſacramentalem, quandoquidem id totum aperuit Pontifici Abbas, & res erat notoria in eo pago, ſed conſultationem amicam; quare non eſt propoſita cauſa in foro contentioſo, vt dixi; non tamen acta tantùm eſt pro foro interno, cùm prohibitio à ſacris ipſi facta propter notam illam percuſſionem, & cædem alterius non potuerit eſſe niſi exteriùs cognita.

Dixi poſtremò in iſta prima parte noſtræ regulæ, hanc iuris diſpoſitionem, nimirum quando dubium eſt de homicida, non de ipſo homicidio, quod certum eſt, perſonam, de qua dubitatur, habendam eſſe pro irregulari à iudice, vel Prælato, & ab illo repellendam à ſacris, cui prohibitioni in conſcientia parere tenebitur, ſingularem eſſe in hac materia homicidij, neque ad reliqua dubia facti, neque ad cæteras irregularitates extendendam eſſe, quod de aliis materiis fatentur paſſim Doctores, quos adduximus, & ſequuti ſumus lib. 3. ſcient. canon.

Quod verò ſpectat ad alias irregularitates, in dubio facti nullum exiſtimandum eſſe illas contraxiſſe, vti docent Suar. Præpoſitus, Salas, Layman locis citatis, Sanch. n. 48. contra Panorm. Sylu. Roſell. Tabien. & relatos à Sanch. n. 47. quibus adhæſit Vaſq. prima ſecundæ. diſp. 65. cap. 3. n. 8. & 13. & diſp. 66. cap. 1. Azor. & Rebell. ſuperiùs à nobis adducti. Ratio apertiſſima eſt, quia cùm, vti eo lib. 3. cit. fusè docuimus, certiſſima ſit regula iuris, in dubio facti reum eſſe abſoluendum, quod eo loco ex variis textibus, & gloſſis probatum fuit ab ea vniuerſaliſſima veriſſimáque regula, minimè diſcedere licet, niſi aut expreſſi aliquo iure in caſu ſingulari, aut euidentiſſima ratione vrgeamur; atqui nullum ius hactenus inuenire potuerunt aduerſarij, quod omnes irregularitates ab ea tradita regula excipiat, habemus enim duo tantùm hactenus adducta, & expenſa capita, cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, quæ de dubio tantùm in caſu homicidij loquuntur; quæ ad dubia cæterarum irregularitatum contra expreſſiſſimã, & vniuerſaliſſimam iuris regulam malè extendentur. Ratio verò nulla eſt, nam illud commune dictum, in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, æquè valeret in omni alia materia, atque in irregularitate, & ſuo loco fuit ſatis explicatum, neque in eo dubio pars quæ negat, irregularitatem contractam fuiſſe, periculoſa eſt, ſed potiùs certa; cùm enim nulla contrahatur irregularitas, niſi in caſibus iure expreſſis, & nullibi ius dicat in dubio facti incurri irregularitatem, præterquam in caſu homicidij modò hactenus explicato; certum eſſe debet, nullam aliam irregularitatem, quàm homicidij in dubio contrahi. Denique ſapienter monuit Præpoſit. q. 3. cit. n. 91. aliud motiuum legis, ſiue rationem, quæ impulit ad legem; lex enim ſancita obligat, non autem eius motiuum, & ratio, quæ quamuis aliis quibuſdam aptari poſſe videatur, in illis tamen non obligat, quare ratio ſequendę tutioris partis, propter quam Pontifex in dubio homicidij voluit contrahi irregularitatem, non obligabit circa alias materias.

SECVNDA PARS regulæ.

De dubio ipſiuſmet homicidij.

ALTERA pars noſtræ regulæ, dixi, non contrahi irregularitatem, in vllo foro, quando dubium eſt de ipſomet homicidio, non de homicida, quia nempe non conſtat homicidi fuiſſe commiſſum, v. gr. an fera fuerit occiſa in venatione, an homo quiſpiã. Sæuiit aliquis in cadauer hominis, aut hoſtis ab alio quopiam extincti, & deinde dubitat, an reuerã adhuc ſpiraret, neque 22

comperire quidquam potuit poſt adhibitam diligentiam. Ita cenſet Præpoſit. loco adducto, & manifeſtò ſequitur ex iis, quæ paulò antè diximus, irregularitatem in dubio homicidij non incurri niſi ex peculiari iuris diſpoſitione, & in caſibus ab illo expreſſis: atqui ius non loquitur, niſi quando certum eſt homicidium, & hominem reuerà interiiſſe, ſed dubitatur, an vulnus lethale fuerit, & an alio quopiam vulnere ab alio illato, aut Medici incuriâ, aut denique alia quapiam de cauſa interierit, quod patet ex cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti, vtroque, & ſi quæ alia afferuntur, qui caſus longè diuerſus eſt ab illo, de quo loquitur hæc pars noſtræ regulæ, agitur enim de dubio ipſius cædis, quæ incerta eſt, neſcitur enim an homo interierit, quia dubitatur, an eſſet mortuũ cadauer, an beſtia aliqua, aut quia vulneratus aliò abiit, neque reſciri potuit, an interierit, quamuis dubitet percutiens propter ingentum ſanguinis copiam, aut partem in qua ſibi videtur illam percuſſiſſe, vulnus fuiſſe lethale; cùm igitur de hoc caſu non meminerint iſta iura, debemus ſtare principiis vniuerſalibus, & duabus illis regulis generalibus, nẽpe nunquam contrahi irregularitatem, niſi in caſibus iure expreſſis. Secundò, neminem in dubio facti cenſendum eſſe irregularem in vllo foro, præterquam ex ſingulari iuris diſpoſitione in dubio homicidij, in caſibus expreſſis ab illo, atque ita neceſſariò dicendum eſt in dubio ipſius homicidij, & cædis, & non homicidæ, nullam incurri irregularitatem, vti definiebat noſtra regula.

CONSECTARIVM IV.

Qualis ſit irregularitas ex homicicidio dubio contracta?

RESPONDEO, hanc irregularitatem, ſi quando contrahatur 23
modo ſuperiùs explicato, non includere aliud, quàm impedimentũ ſuſcipiendi Ordines, & in ſuſceptis miniſtrandi, qui duo effectus ſunt primarij, & quodammodo eſſentiales omni irregularitati; cæteræ omnes pœnæ, quæ irregularitatem conſequuntur, ſolentque imponi à iudice ratione irregularitatis, non comprehenduntur in iſta, itaque non poſſet iudex priuare hunc irregularem ſuis beneficiis, ſicuti poſſet alium irregularem, & collatio nouorum beneficiorum ipſi facta non modò valida erit, ſed etiam firma, & nullo iure irritanda. Ita Vaſq. 1.2. diſp. 66. c. 1. Suar. diſp. 40. ſect. 6. n. 6. & n. 10. Salas diſp. vnica. tract. 8. num. 170. Sayr. lib. 1. Clauis cap. 13. n. 24. Scortia in conſtitutio. Pontificias, theoremate 388. Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 45. qui allegat Sylu. Maiol. & alios. Ratio eſt euidens, quia ex certiſſima iuris regula nunquã pœna ordinaria imponitur delicto dubio, ſed extraordinaria, pro ratione dubij; deinde quia irregularitas non incurritur in hoc du- niſi ex peculiari diſpoſitione iuris, quæ eſt exceptio quædam à regula generali; igitur non debet contrahi hæc irregularitas, niſi quatenus exprimitur à iure: atqui ius in cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, ſæpiùs citatis, vbi ſolùm hanc imponit irregularitatem, agit tantùm de ſuſceptione Ordinum, & miniſterio ſacrorum, permittit enim vt indulgeatur miniſterium minorum; non

non eſt igitur ad alios effectus hæc pœna extendenda.

CONSECTARIVM V.

An ex dubia mutilatione contrahatur irregularitas?

24 RAtio difficultatis eſt, quia hæ irregularitates homicidij & mutilationis, comparantur in iure, quod aduertit gloſſa in Clem. ſi furioſus, de homicidio, verb. mutilet. Et ſanè mutilatio partialis quædam occiſio eſt.

Reſpondeo nihilominus cum Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 10. n. 49. hunc non eſſe irregularem, quia, vt dixi in ſecunda parte propoſitionis, non eſt eadem irregularitas homicidij & mutilationis, ſed omninò diuerſa, neque ab vna ad aliam licet argumentari in iis, quæ pertinent ad rigorem, aut ampliationem pœnæ: rigor autem eſt, quòd in dubio homicidij contrahatur irregularitas ex peculiari iuris diſpoſitione, quod in aliis irregularitatibus non contingit; non eſt ergo inde colligendum aliquid ſimile in mutilatione, ſed cùm ius loquatur de homicidio, de illo quoque ſolo intelligendum erit; quomodocumque igitur dubia ſit mutilatio, non incurretur ratione illius irregularitas in quocunque foro.

CONSECTARIVM VI.

An qui dubitat, vtrùm occiderit in bello iuſto, ſit irregularis?

25 SVppono milites in bello etiam iuſto occidentes incurrere irregularitatem, quod conſtabit ex quæſt. 3. cùm igitur dixerimus eum, qui alium percuſſit, dubitatque, an eo vulnere, aut alia quapiam de cauſa interuenit, eſſe irregularem, videtur militem in bello iuſto, & in pugna, in qua aliquem vulnerauit, qui deinde obiit, eſſe irregularis, etiamſi dubitet, an ipſe, an alius quiſpiam vulnus lethale inflixerit.

Reſpondetur nihilominùs hunc minimè eſſe irregularem, ita Henriq. lib. 14 cap. 3. num. 4. ſub finem. Sanch. cap. 10. citat. num. 50. & Præpoſit. de irregular. quæſt. 5. num. 97. & manifeſtò ſequitur ex regula à nobis poſita; cùm enim non ſequatur irregularitas ex dubio facti, in homicidio niſi ex peculiari iure, & in caſibus ab illo expreſſis, & in illis non ſit ſermo de occiſione iuſta, ſed de homicidio, vti apparet ex cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti. homicidium autem dicit eo loco, & quando abſolutè ponitur in iure, cædem illicitam contra quintam Decalogi præceptum, qui dubius erit, an alium occiderit, quem iuſtè vulnerauit, occideréque potuit, non erit irregularis. Neque dicas clericum in bello iuſto pugnantem, & dubium de occiſione pronuntiari irregularem, cap. penult. de homicidio. Reſpondetur enim non eſſe irregularem propter dubium cædis iuſtæ, aut in bello iuſto, ſed quòd propria pugnaſſet manu, vt aduertit gloſſa ibi v. remordet, & Couarruuias in Clem. ſi furioſus, 2. part. §. 3. n. 2. & nos inferiùs dicemus.

CONSECTARIVM VII.

An qui aborſum procurauit, ſit irregularis; quando dubitatur, an fœtus ſit animatus?

26 RESPONDEO cum Præpoſito q. 5. de irregular. num. 58. non eſſe, contra Sotum in 4.d.25.quæſt. 1.art. 3.concl.4.Sayr. lib. 6. cap.15.num.9. Auil. 7.part.diſp.2. dub. 1.Sanch.lib. 1.in Decalog. cap. 10. num. 43. vbi Ioan. Andr. Panormit. Cardinal. Ancharanus, Nauarr. Ledeſmam, & alios refert, quibus acceſſit Scortia citat. theoremate 388. qui & plurimos quoque congerit.

Probatur tamen noſtrum conſectarium, primò, quia in dubio fœtus præſumitur non animatus, vt Gomez de delict.cap.3.in rubric.de homicidio, num. 3. & alij probant. Secundò, quia id ſequitur neceſſariò ex regula à nobis poſita, dubium enim iſtud eſt de ipſomet homicidio, fuerit ne commiſſum, an non, neque dubitatur de homicida tantùm, & authore certi homicidij: atqui ius ſtatuens irregularitatem in dubio homicidij, loquitur tantùm eo caſu, in quo certum eſt fuiſſe commiſſum homicidium, & dubitatur an Titius, qui percuſſit, etiam occiderit: hîc autem cùm dubitetur, an fœtus excuſſus viueret, dubitatur an fuerit commiſſum homicidium, & non de eius authore, qui certus eſt ſi illa abortitio, occiſio hominis foret; cùm igitur de eo caſu ius non agat, in illo non contrahetur irregularitas.

CONSECTARIVM VIII.

Quis ſit irregularis, quando plures vnum aliquem coniunctim aggrediuntur, & dubitatur quis ipſum occiderit?

RESPONDEO diſtinguendos eſſe 27
varios caſus, nam imprimis, ſi communi conſilio aggreſſi ſunt, & pugnarunt, omnes reos homicidij, & irregularitatem contrahere, communis eſt DD. ſententia. Ita Molina diſput. 33. memb. 1. & 7. Couarr. in Clem. cit. 2. part. §.2.num.3 Henriq. lib.14.cap.14.§.2.Auila diſp.6. ſect.3. dub.3.concl. 1. quia illi omnes ſunt velut vna cauſa moralis huius homicidij, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio, apertè dicitur, eum, cuius conſilio alter occiſus eſt, eſſe irregularem.

Secundò, ſi nullo præuio conſilio, ſed repentina quadam coorta rixa omnes in vnum inuolarunt, occideruntque, dubitatúrque quis eorum inflixerit vulnus lethale, quo vno interiit, omnes ſunt irregulares, ſi omnes dubitant, an vulnus illud intulerint. nam ſi quis crederet certò ſe illud vulnus non inflixiſſe, neque occidenti fuiſſet cooperatus, maneret liber ab irregularitate. Quæ concluſio quoad eos, qui dubitant de vulnere à ſe inflicto certiſſima eſt cùm ſciant ſe percuſſiſſe, & certum etiam ſit homicidium, ſed ſit tantùm dubium, an vulnus à ſe illatum fuerit cauſa mortis, quia id videtur in cap.ad audientiam, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio, definitum, quibus locis, qui percuſſerat, & dubitabat, vtrùm ſuo illo vulnere cauſa mortis

fuerit

fuerit,cenſetur irregularis, vti ſuperiùs in noſtra regula expoſuimus: atqui in caſu iſto omnes & ſinguli ſciunt ſe percuſſiſſe, & dubitant, an ſua percuſſione occiderint;ergo omnes ſunt irregulares, atque etiam vt tales pronuntiabuntur à foro externo,quod nequit diſcernere,quiſnam occiderit ex eo quòd vnum tantùm reperiatur vulnus lethale, ex quo iudicio chirurgorum obierit,vti ſapienter docet Auila 7.part. diſp.6.ſect.3. dub.3. concl.2.

Tota itaque difficultas eſt in altera parte noſtri conſectarij, nimirum eum,qui credit ſe vel non percuſſiſſe, vel non lethaliter,manere immunem omnis irregularitatis, quod docent ij omnes, qui volunt, hunc relinquendum eſſe ſuę conſcientię,quamuis conſulant, vt ſe potiùs gerat pro irregulari, eo quòd illa pars tutior ſit. Ita porrò aiunt gloſſa in cap. quieſcamus 42. diſt. verb. quoniam, Speculator tit. de diſpenſatione, §. iuxta, num. 52. Hoſtienſ.tit.de homicidio.Ioann.Andr. & Cardinal. citati à Couarr.in Clem. ſi furioſus 2.part. §.2.num.5.ſumma Aſtenſ. part. 2.lib. 6. tit. 14. art. 8. quæſt. 3. Plonius de irregularit. regula 28. Auila loc. cit. Henriq.lib.14. cap. 14 §.3. Bonacina diſp.7.quæſt.4.punct.8. num.19.contra Couarr.loc.citat.Sayr.lib.7.cap.4. num.13.Suarez diſp.45.ſect. 3.n.9 & alios ab iis relatos.

Probatur verò, quia nihil eſt in iure, vnde ea colligitur irregularitas, neque enim cap. ad audientiam, & cap.ſignificaſti,ſæpiùs citata, loquuntur de illo,qui ſcit ſe non percuſſiſſe lethaliter,ſed tantùm de eo, qui dubitat, vnde ex eo textu potiùs deducitur, illum, qui, probabiliter exiſtimat ſe non percuſſiſſe lethaliter, & ex vulnere,quod intulit, non fuiſſe ſequutam mortem, minimè irregularem eſſe, quamuis ſcit ſe percuſſiſſe; nam illi Sacerdotes, de quibus agebatur in citatis capitibus,fatebantur quidem ſe percuſſiſſe,ſed dubitabant, an ex illa percuſſione cædes facta eſſet, propter quod dubium vult eſſe irregularem Pontifex, non propter percuſſionem præciſè.

Dices, hos omnes videri irregulares propter cooperationem ad illud homicidium,ſiue illud fuerit iſtis directè voluntarium, ſiue indirectè tantùm,hoc enim modo non agimus, nam ex cooperatione quocunque modo voluntaria, ſequetur ſemper irregularitas,quamuis vna difficiliùs ſit diſpenſabilis,quàm altera.

Reſpondeo, negando certum eſſe hoc loco cooperationem ad homicidium, neque enim concurrerunt per modum vnius, vt ſeſe mutuò iuuarent, ſed quodam ſubitaneo impetu ſinguli inuolarunt, neque fuit vlla alia maior moralis coniunctio,quàm ſi ſeorſim illum fuiſſent aggreſſi,quo caſu,vt ſtatim dicam, non erit irregularis, niſi ille, qui vulnus lethale inferet: nam ſi ita rixa communis eſt, vt ſinguli faciant veluti vnam cauſam moralem,& ſeſe mutuò iuuent, aut excitent ad alium oppugnandum, ac proinde vno impetu,& vna ex parte coniunctis viribus ipſum aggrediantur, fateor tunc omnes iſtos ratione cooperationis eſſe irregulares, licèt vnus tantùm occidat, & ſiue alij dubitent ſe occidiſſe, ſiue non dubitent, & certò ſciant ſe vel non percuſſiſſe, vel non lethaliter percuſſiſſe, ſiue intenderint cædem, ſiue non intenderint,cùm reipſa fuerint ad illum cooperati, vt dicam inferiùs;atque ita poſſent conciliari variæ ſententiæ, neque repugnat cap. ſignificaſti, in eo enim agitur de Parocho

rocho, qui prior aggreſſus eſt latronem, quem deinde parochiani occiderunt; nos verò agimus de coniunctim eundem aggredientibus, & vulnerautibus. Quia verò frequentiùs contingit, vt quando plures in ſubitanea concertatione eundem percutiunt, ſeſe mutuò iuuent, coniungántque reipſa ſuas vires; atque id faciant, ne vnus, aut pauci aliquot non poſſint ſe tueri, aut fuga alióve modo ſaluti ſuæ conſulere, vti facilè poſſent, ſi ab vno tantùm, aut altero oppugnarentur; hinc fit, vt in praxi vix vnquam iſti ſimul percutientes, aut rixantes excuſari valeant ab irregularitate, quando aliquis occiditur, ſiue ſciant ſe non occidiſſe percutiendo, ſiue dubitent. Neque certa eſt regula, quam aliqui tradunt, eum qui tenetur tantùm de percuſſo, & non de homicidio, vt etiam non teneatur de cooperatione ad homicidium, qualis perpetuò reperiri ſolet in hoc caſu; prudentis tamen fuerit penſatis omnibus adiunctis arbitrari, an fuerit cooperatio, vel non, & prout de ea conſtiterit, iudicare; ſi enim certa eſt cooperatio, certa eſt irregularitas: ſi certò liquet de non cooperatione, conſtabit quoque de non contracta irregularitate: ſi autem dubia ſit cooperatio, poterit deponere dubium, ſi præſertim conſtet de illo, qui vulnus lethale intulit, aut ſaltem conſtet, hunc, de quo agitur, non occidiſſe, & tantùm dubitatur de cooperatione, neque enim ratione dubij facti debet ſe exiſtimare irregularem, niſi in caſibus expreſſis à iure, cuiuſmodi non eſt iſte, nam in cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, eſt alius longè diuerſus caſus, vt iam monui, eaque tandem eſt Molinæ ſententia tract. 3. diſp. 33. membro 7. n. 2. Iam verò ſi non fuerit commiſſa cædes, ſed tantùm mutilatio, qui ad illam cooperati ſunt, reuera ſunt irregulares; qui verò citra eam cooperationem dubitarint, an ipſi, an alij in illa rixa mutilarint, non ſunt irregulares, quia in dubio mutilationis non contrahitur irregularitas, vti diximus con ſect. 5.

Tertiò, ſi neque dolo, aut malitia ex mutua cooperatione, ſed aliqua leuitate aliqui occiderunt aliquē, neque conſtare poteſt, quis occiderit, cùm tamen certum ſit ab vno tantùm commiſſam fuiſſe cædem, nullus in eo dubio fuerit irregularis. v. gr. quatuor iuuenili leuitate ſclopum exploſerunt in plateam, aut lapides ſingulos proiecerunt, vno autem lapide ictus, aut ſclopo traiectus aliquis occidit, dico nullum ex iſtis eſſe irregularem, eſto ea leuitas & incuria, ſiue negligentia fuerit mortalis: ita Auila dub. 3. cit. poſt ſecundam concluſion. Bonac. punct. 8. cit. num. 29. quia nulla ibi fuit mutua cooperatio ad homicidium, aut ſaltem de illa non conſtat; non poterit igitur vllus pronuntiari irregularis, neque etiam omnes, quandoquidem reipſa omnes non ſunt cooperati illi homicidio, neque conſilio, neque actione ipſa, niſi quis author fuiſſet illius exploſionis, tunc enim ille foret irregularis, vtpote cauſa moralis homicidij, licèt eius cauſa phyſica ignoretur; ſed non erit niſi homicidium indirectè voluntarium, ſi non ſuaſit explodere bombardam animo occidendi, ſed tantùm terrendi, aut, vt dicebamus, ex temeraria quadam animi leuitate.

Quartò quando quis à pluribus ſimul percuſſus ex illis vulneribus moritur, etiamſi nullum lethale ſit, omnes percutientes tenentur de homicidio, & ſunt irregulares. Couarr. §. 2. cit.

cit. num.4. Sayr. lib.7. cap. 4. n. 14. Auila dub. 3. citato, & alij paſſim, quia reuerà ſinguli ſunt cauſæ partiales mortis, ex iiſque vna totalis exurgit, & negari non poteſt eos fuiſſe cooperatos ad mortem inferendum.

CONSECTARIVM IX.

Quis fiat irregularis, quando plures eundem percutiunt diuiſim, maximè ſi dubitetur quis lethaliter percuſſerit.

28 HÆc etiam quæſtio explicari poterit ex doctrina tradita, ſed in ea diſtinguendi ſunt varij caſus, nam aliquando primus leuiter percuſſit, alij deinde lethaliter; vel è contrario, primus grauiter ſauciauit, reliqui leuiùs; aliquando hi poſtremi ſua ſponte accurrunt, aliàs inuitati à primo percuſſore, aliàs illo inuito percutiunt, aut occidunt, cùm tamen ab eo monerentur ne percuterent, aut ſaltem ne occiderent, aliquando tum primus, tum ſecundus leuiter percuſſit, aut vterque grauiter. Denique ſæpiùs dubitatur, quis ex duobus leuiter, quis grauiter ſauciarit, aut ſi vterque grauiter, ex quónam vulnere interierit.

Primò itaque, ſi primus leuiter percuſſit, & alij deinde lethaliter abſque vllo præuio conſilio, aut mutua cooperatione, neque enim ſunt vocati, aut incitati à primo percuſſore, iſti vltimi ſolùm ſunt irregulares, non primus, cuius percuſsio non influxit in mortem iſtam, atque hîc eſt caſus cap. ſignificaſti 2. de homicidio. vbi Parochus, qui primus percuſſerat latronem ſpoliantem Altaria quem deinde parochiani occiderunt, pronuntiatur immunis ab irregularitate, ſi leuiter tantùm percuſsit; & neque aliis conſuluit, neque mandauit ſequutam occiſionem.

Secundò, ſi primus lethaliter ſauciauit, & cæteri deinde leuiter, primus ſolus irregularis eſt, modò reliqui non venerint tanquam auxiliaturi, & ad mortem citiùs inferendum nihil conſulerint. ita Henriq. l.b.14. cap.24. num.2. Sayr. lib.7. cap.4. n.15. Auila 7. part. diſp.6. ſect.3. dub.4. Bonac. p.8. num.32. neque id negat Suar. ſect.3. cit. n.9. quia ſupponit ex poſtrema percuſsione ſemper accelerari mortem, quam cauſaſſet quidem vulnus, ſed non tam facilè, aut tam properè, quo caſu fatemur hos omnes percuſſores fore irregulares.

Tertiò, quando tum primus, tum ſecundus percuſſor lethaliter ſauciauit, nullo habito aut conſilio, aut mutua cooperatione, ſi ſtatim obiit poſt ſecundum vulnus, ſecundus percuſſor eſt irregularis, & non primus. Ita Zaſius apud Couarr. in Clement. cit. 2. p. §.2. num.3. Auila 7. ſp. diſp. 6. ſect.3. dub.4. Coninck diſp. 18. n.60. Bonac. punct.8. num.33. quanquam Couarr. multos pro contraria ſententia alleget, & tanquam communem ſequatur, quod & facit Molin. diſp. 33. cit. membr.7. num.3. Ratio porrò mihi euidentiſsima apparet, ad incurrendam enim homicidij irregularitatem, debet aliquis eſſe cauſa proxima, ſed ſolus ſecundus, qui reuerà illum occidit, talis cauſa eſt, etiamſi enim tandem ex primo vulnere moriturus eſſet, reipſa tamen ex alio interiit; neque enim dicitur Titius occidiſſe Caium à ſe lethaliter ſauciatum, ſi illi ſuperueniens Sempronius hoſtis, caput demeſſuit; itaque ſi primum vulnus, quamuis lethale, reipſa non cauſarit

mortem percuſſio, quamuis alioquin lethifera, reuerà percutiens tenebitur de vulnere, non de homicidio, neque erit irregularis, vt ſuperiori conſectario dicebamus; aliquis, v g. poſt acceptum lethale vulnus feritur fulmine, aut ruina domus opprimitur, ac proinde extinguitur ab alia cauſa, quàm à vulnere, percutiens non fit irregularis, vt optimè docet Auila diſp. 6. ſect. 3. dub. 4. & tandem quamuis ferè inuitus Molina tract. 3. diſp. 33. memb. 7. num. 4. quia ad irregularitatem contrahendam, non ſufficit poſuiſſe cauſam proximum ſufficientem, immò & neceſſariam mortis, niſi ex illa mors ſequuta fuerit, nam ſi fuiſſet impedita, etiam miraculo, nulla inde irregularitas ſequeretur, vt omnes omninò conſentiunt: atqui in iſto caſu mors non eſt ſequuta ex vulnere, ſed ex alia cauſa, vt apparet: ergo non contrahitur irregularitas, eſto puniendus ille nihilominus ſit pœna ordinaria homicidij, qua de re diſputat Molina loco citato, & nos agemus alibi, inde tamen ad pœnam irregularitatis, quæ non incurritur, niſi in caſibus à iure expreſſis, nihil inferre licebit.

Secundò, ſi dubium ſit, an ex eo vulnere, aut alia de cauſa obierit vulneratus, tunc percutiens erit irregularis, nam in cap. ad audientiam, de homicidio, dicitur irregularis ille, qui cultello & vagina decidente alium leuiter in dorſo vulnerarat, eo quòd dubium eſſet, an ex eo vulnere, aut ex alia infirmitate obiiſſet, quod dubium multo maius foret, ſi vulnus graue & mortiferum fuiſſet.

Tota itaque difficultas hoc loco eſt, an quando vulnus leue fuit, incuria tamen Medicorum, aut propria intemperantia, aut alia quapiam accedente cauſa periit æger, cenſendus ſit irregularis, qui ipſum ita leuiter vulnerat: non agimus autem de caſu dubio, iam enim dixi ex cap. ad audientiam, ratione illius dubij poſſe hunc percutientem repelli ab altari à Prælato, ipſúmque teneri parere, & pro irregulari ſe gerere, modo explicato in regula generali; ſed quæſtio eſt, quando certum apparet ex Medicorum iudicio, aliunde quàm ex eo vulnere mortem contigiſſe.

Reſpondeo, & dico tertiò. Quoties alicui alteri cauſæ poſitiuæ, proximæ & totali poteſt tribui mors ſubſequuta, illum, qui vulnus leue inflixerat, minimè irregularem eſſe. Ratio euidens eſt, quia eo caſu, qui vulnerauit, nulla ratione proximè influit in mortem; ergo non eſt reus homicidij, neque eius pœnas ordinarias, & multo minus irregularitatem incurrit, eſto voluerit occidere illum, quem errante manu leuiter tantùm perſtrinxit; cùm enim in irregularitate non attendatur ſolus animus, ſed effectus, & iſte nihil reuera conferat ad mortem, cuius alia cauſa proxima & totalis aſſignatur, quidquid tentauerit, non erit irregularis, neque ſufficit prius illud leue vulnus fuiſſe occaſionem, quia ſi non fuiſſet ille vulneratus, etiamſi eadem intemperantia vixiſſet, aut cum eadem incuria à Medicis curatus fuiſſet, non obiiſſet, quia cùm occaſio & cauſa plurimum differant, & effectus nunquam tribuatur occaſioni, ſed cauſæ proximæ, aut remotæ, ita cùm proximæ neceſſariò connexæ, vt ex remota ſemel poſita neceſſariò ſequatur proxima, atque eius deinde effectus, huic vulneri aſſignari non poterit homicidium tanquam cauſæ ſiue proximæ, ſiue remotæ reipſa influenti propter neceſſariam connexionem, quam habet cum cauſa proxima ab ipſa

S conſe-

conſequente; ergo ratione illius occaſionis & vulneris neque homicidium externum, neque irregularitas eo eo proueniens contrahetur. Requiro autem cauſam poſitiuam proximam & totalem mortis diſtinctam à vulnerante, quia ſi ille partialiter ſaltem ad mortem, aut eius accelerationem proximè cooperetur, iam ſæpius diximus fore ipſum irregularem. Deinde cùm mors habeat ſemper aliquam cauſam poſitiuam, nam cauſa negatiua eſt merum non ens, & non agit. Non actionis autem nullus eſt effectus, ſi nulla cauſa poſitiua mortis appareat præter vulnus, illi omninò tribuenda erit mors, quamuis initio leue appareret, recruduit enim ſenſim, & tandem occidit ægrum, atque eo caſu vulnerans manebit irregularis, quæ omnia ex ſubiectis caſibus explicabuntur ampliùs.

31 NAM ſecundò qui leuiter vulneratus, ex eo tamen vulnere obiit, eo quòd nulla potuit omninò adhiberi curatio, cùm neque chirurgus, neque medicamenta eſſent ad manum, atque interea, dum quæruntur, obiit æger; quamuis hæc negatio, ſiue defectus curationis fuerit cauſa negatiua mortis, poſitiuè tamen & phyſicè à vulnere illata eſt; quare vulnerans verè homicida eſt, atque ita, qui in media ſylua percutit alium, non lethaliter quidem, quia tamen impediuit, ne domum, aut aliò recipere ſe poſſet, vt ſanguinem ſiſteret, interiit, aut frigore, vel fame necatus fuit, tenera eſt irregulari, ita Sotus lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. art. 9. Nauarr. cap. 27. num. 223. Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1. dub 5. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 10. numero 5. Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 16.

Secundò ſi ex eo vulnere incidit in morbum, ex quo conualuit, & in illum deinde recidit, tandémque obiit, vulnerans immunis erit ab omnibus pœnis homicidij, atque adeò ab irregularitate, quia reuera non fuit cauſa mortis, ſed ſecundus iſte morbus. Ita Auila, Layman. Sayr. ll. cc. Couarr. in Clem. §. 2. num. 9. 2. p. Molin. tract. 3. diſp. 32. num. 2. & ſanè l. qui occiderit §. vlt. ff. ad l. Aquiliam, dicitur, ſi vulneratus fuerit ſeruus non mortiferè, negligētia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiſo, quod erit multò verius, ſi poſt multum temporis à vulnere morbum contraxerit, ex eóque obierit. Standum verò erit Medicorum iudicio, vt ſciatur, verùm vulnus fuerit proxima cauſa mortis ſuperuenientis, an quidpiam aliud vulneri extrinſecum, vt explicat Molina ibid. 4.

Tertiò, ſi vulnus ita leue fuerit, vt facili medicamento curari potuerit, Medicus tamen lucri cauſa, aut incuria curationem protraxit, aut æger ſua intemperantia ita illud exacerbauit, vt febrim, aut morbum, ex quo poſtea periit, creauerit, mors nulla ratione vulneri antè illato tribuetur, neque eius cauſa contrahet irregularitatem vulnerans. Ita Sayr. & alij.

Quartò, ſi vulnus initio quidem leue fuerit, ita tamen ſenſim recruduit, vt quamuis Medici quidquid erat artis, contulerint, non potuerint impedire febrim, & alia eiuſmodi conſectaria, ex quibus tandem extinctus eſt æger, liquidò conſtabit vulnus eſſe cauſam proximam cædis, de qua tenebitur vulnerans, & quod inde neceſſariò ſequitur, fiet irregularis.

Quintò denique, quando vulnus non lethale fuit, quia poterat à perito & diligenti chirurgo ſanari, modò æger ex eius præſcripto ſe continuiſſet, negligentia tamen & imperitia

ritia chirurgi, aut propria incontinentia periit æger, vulnerans non tenetur de homicidio; quod attinet ad pœnam ordinariam,& obligationem reſarciendi damni, vt Molina diſp 32. cit. & alij communiter docent, nóſque dicemus alibi, neque contrahit irregularitatem, in quo poſtremo puncto tota cõtrouerſia vertitur: ſequimur autem Leſſium lib. 2. cap. 9. num. 102. Caietanum 2. 2. quæſt. 64. art. 8. & ibidem Atragon Sot. lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. art. 9. Sylu. v. homicidium 2. q. 22. Hurtard. diſp. 2. de irregular. diffic. 8. num. 31. Kon. diſp. 18. num. 86. Suarez diſp. 6. num. 19. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4 punct. 7. n. 16. contra Layman. l. c. Auila dub. cit. Gutierr. lib. 2. cap. 6. num. 93. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 2. n. 5. vbi allegat Guilielm. Laudun. in eandem Clem. gloſſa vlt. & Carrer. in practica crimin. tit. de homicidio §. 6. n. 322. Henriq. lib. 14. c. 14. num. 4. Turrian. lib. 9. de cenſur. diſput. 64. dubio 10. Villalob. tract. 21. tom. 1. diffic. 23. n. 9. & Dian. punct. 4. tr. 2. reſol. 10. punct. 1. probatur ex c. ſignificaſti 2. de homicidio. *Si percuſſio*, inquit, *tam modica, & leuis fuit, & poſt pœnitentiã ad cautelã iniunctam, poterit in officio ſacerdotali miniſtrare.* Non eſt igitur irregularis, qui non percuſſit lethaliter alium, qui deinde ex alia cauſa extinctus eſt, ſiue ea fuerit malitia, ſiue imperitia Medici, ſiue aliud lethale vulnus: quod autem ibi iniũgatur pœnitentia ad cautelã, ideò fit, quia dubitari aliqua ratione poterat, an vulnus illud aliquid proximè ad mortem influxiſſet.

Secundò probatur ex cap. exhibita, de homicidio. Nam excuſatur ab irregularitate puer, qui alium percuſſerat, quia non obierat ex illa percuſſione, ſed ex imperitia medicantis, & incuria parentis, qui illum ſudoribus expoſuerat. Neque dicas cum Couarr. & Auila, hunc percutientem culpa caruiſſe, vt enim modò id non diſputem, & dem, quod verum exiſtimo, in caſu illius capitis, non fuiſſe culpam niſi leuem; id tamen quod ibi conſideratur, eſt, quòd vulnus impactum non creatit mortem, neque ſatis eſt culpa mortalis commiſſa percutiendo & vulnerando, niſi ex ea percuſſione & vulnere tanquam ex cauſa proxima ſaltem partiali, ſequatur mors, quod non contingit in noſtro caſu, in quo vulnus fuit tantùm occaſio remota, & non proxima.

Consectarivm XI.

An qui dubitat, an ſuum mandatum, aut conſilium influxerit in homicidium, fiat irregularis?

Respondeo non eſſe. ita Henriq. lib. 14. cap. 16. num. 3. littera D. contra Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 2. num. 1. v. in eo dubio. Sayrus lib. 7. Theſaur. cap. 3. num. 2. Auila 7. part. diſp. ſect. 2. dub. 3. con. 5. Prępoſit. quæſt. 5. de de irregular. num. 64. Dian. 4 part. tract 2. reſolut. 25. & Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10. num 44. fuſiſſimè, vbi diſtinguit de dubio commiſſi homicidij, & dubio de influxu conſilij in homicidium teuerà commiſſum. In priori caſu, quo dubitatur, an ille, cui conſuluerat homicidium, illud reipſa perfecerit, negat re incurriſſe irregularitatem, aut teneri ad reſtitutionem, quia poſſeſſio fauet tibi in eo dubio: at verò quando conſtat cædem hominis factam fuiſſe, ſed dubitatur tantùm, an vi conſilij de illa dati poſita fuerit, exiſtimat Sanchez 32

incurri à Conſiliario irregularitatem homicidij, atque adeò obligationem reparandi damni illati; verùm quidquid dicatur de reſtitutione, nego in vtroque illo dubio contrahi irregularitatem; quare poterit Conſiliarius iſte deponere dubium practicum, atque ſacra more ſolito peragere; quod euidenter ſequitur ex regula vniuerſali à nobis ſtabilita conſectario tertio, diximus enim in dubio facti contrahi irregularitatem in ſolo homicidio ex peculiari iuris diſpoſitione, quæ neque in aliis irregularitatibus valet, neque niſi in caſibus à iure expreſſis; atqui in iure nũquam habetur in dubio, an conſilium influxerit in homicidium, contrahi irregularitatem, nam loca omnia, quæ tribuunt hanc irregularitatem conſilio, ſupponunt vi illius poſitum fuiſſe effectum: de dubio autem, an ex illo conſilio fuerit ſequuta cædes, nihil planè definiunt; quare relinquunt iuri communi, quod in dubio facti irregularitatem contrahi non vult, niſi in quibuſdam caſibus ab ipſomet expreſſis. cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio. Fateor quidem in hoc dubio præſumi, conſilium fuiſſe operatum, vt cum Conarruuia diximus lib. de cenſuris cap. 5. q. 3. num. 21. quare ex ea præſumptione dánabitur tanquam irregularis iſte Conſiliarius, non ratione dubij homicidij, ſed certi, & conſtantis, ex ea præſumptione, cui definitioni non tenebitur ſeſe aptare forum internũ, quod ducitur rei veritate, & non ſola præſumptione, quam ſequi ſæpiùs cogitur forum externum.

Consectarium XII.

An ſit irregularis qui non potuit diſſuadere fœminæ abortum, cuius ipſi priùs author fuerat.

Respondetvr, hunc Conſiliarium non fore irregularem, etiamſi ſequatur aborſus, cuius tunc cauſa eſt ſola malitia eius fœminæ, non conſilium ipſi datum, quod reuocatum eſt, & impeditum ne ageret; cùm enim ſit cauſa moralis, & non phyſica, actiuitas impediri poteſt, vt oſtendimus latè lib. citato cap. 5. q. 3. n. 27. num. autem 28. docuimus in vniuerſum reuocationem conſilij impedire irregularitatem, etiamſi ſequatur effectus: id autem totum fit in hoc caſu aborſus, quem, quantum poteſt, diſſuadet ille ipſe, qui priùs perſuaſerat, quamuis nequeat illa ſua poſteriori diſſuaſione efficere, ne lupa illa ſuſceptum ſemel facinus perficiat. Itaque reſpondet Henriq. lib. 14. cap. 16. littera Q. contra Auilam 7. part. diſp. 6. ſect. 2. dub. 4. concl. 3. & Dian. 4. part. tract. 2. reſolut. 15. 33

Hinc ſolues quæſtionem propoſitam à Comitolo lib. 7. q. 61. de tribus fratribus, qui in necem nouercæ conſpirarant, & de modo eã inferendo conſuluerant, & cùm à natu maximo illata fuiſſet, natu minimus, qui aberat, cauſabatur ſe ex animo noluiſſe eam cædem, cùm enim conſuluiſſet, habitus eſt irregularis, neque à Romana Curia potuit obtinere diſpenſationem, & ſanè cùm eius conſilium influxiſſet in mortẽ illam, quamuis ficto animo conſilium dediſſet, poſuerat cauſam proximam illius homicidij.

Consectarivm XIII.

An non impediens homicidium ſit irregularis?

34 Ratio difficultatis eſt, quia in noſtra propoſitione vniuerſali diximus, omnes cauſas moraliter influentes in homicidium, contrahere irregularitatem; atqui non impediẽs cùm poſſit, & debeat impedire, hæc enim duo neceſſariò ſupponenda ſunt, cenſetur cauſa moralis actus, qui idcircò illi tribuitur in iure; vnde Ambroſ. lib. 1. de offic. c. 36. eiuſdẽ culpæ reum facit eũ, qui non repellit iniuriam à ſocio cùm poſſit, & qui illam infert: cùm igitur non impediens homicidium, cùm poſſit, & debeat, verus homicida habeatur, irregularitatem ex homicidio contrahet, ſicut cæteræ cauſæ morales. Atque ita cenſet Couarr. in Clem. 2. part. §. 2. n. 7. modò ex dolo, & non ex negligentia tantùm fuerit facta illa omiſſio, atque in vniuerſum pronuntiat, quoties incurritur excommunicatio propter non defenſionem, toties etiam incurri irregularitatem; eadem diſtinctione permiſſionis ex dolo, & ſine dolo, vtitur quoque Angel. verb. homicidium 1. num. 17. Communior tamen ſententia eſt eos, qui tenentur ex iuſtitia, ratione pacti, aut proprij muneris impedire homicidiũ, idque omittunt, cùm poſſint fieri irregulares: ſecus autem, ſi ex ſola charitate ad id obligentur, vnde exempla ponunt in his, qui gerunt publica munera, neque cædes, vti poſſent, impediunt, vt videbis apud Sum. Confeſſo. lib. 2. tit. 1. q. 32. authores verò congeſſit Sayr. lib. 7. cap. 4. num. 3. quibus ſubſcribunt paſſim recentiores, Suar. diſp. 45. ſect. 4. Kon. diſp. 18. n. 71. Villalob. tr. 21. diff. 22. num. 16. Auila diſp. 6. ſect. 2. dub. 7. Laym. lib. 3. tract. 5. p. 3. cap. 12. n. 7. litt. D. Maiol. lib. 3. cap. 48. §. 4. Vgolin. cap. 28. §. 3. Bonac. diſp. 7. de cenſur. q. 4. p. 8. num. 37. Filliuc. tract. 20. cap. 4. q. 9. & 10. Reginald. lib. 30. n. 145. & 168. Tolet. lib. 1. cap. 83. num. 4. Gordon. lib. 7. q. 18. n. 57. Barboſ. in collectan. in cap. ſicut dignum, de homicidio. num. 19. Hanc tamen communem ſententiam ita limitat Suar. ſect. 4. cit. n. 8. vt non modò debeat eſſe voluntaria iſta omiſſio, ſed etiam præuiſum fuerit periculum homicidij ex ea omiſſione ſequuturi, atque ita omiſſio vt cauſa occiſionis, ſit directè voluntaria, alioquin etiamſi ex aduertentia grauiter culpabili mors ſequatur, non idcircò incurretur irregularitas, quia tunc omiſſio non habet cauſalitatem, niſi valdè remotam, & quaſi per accidens reſpectu homicidij, quæ non ſufficit ad irregularitatem, nam ex omiſſione ſequitur tantùm indirectè homicidium, & quodammodo per accidẽs, quod verius erit, ſi ne quidẽ volita fuerit ea omiſſio, niſi indirectè, & ratione cuiuſdam incuriæ; & ſanè cap. quæſitum. de pœnitent. & remiſſionib. parentes, quorum incuria infantes in cunis mortui inueniuntur, ſi non fuerit negligentia affectata, & neque tactu, neque alio facto eam mortem conſciuerint, immunes ab irregularitate pronuntiantur: ſola igitur incuria non affert irregularitatem, niſi aliqua actio poſitiua, aut directa volitio omiſſionis acceſſerit; diſputant præterea huius ſententtæ DD. an homicidium ex omiſſione iniuſta ſe-

quantum ſit voluntarium, an verò caſuale duntaxat, reſpondétque Suar. num.9. Bonac.n.41. & Gordon. lib 7. q.18.num.58. quoties directè volita eſt omiſsio cum directa intentione homicidij, voluntarium quoque eſſe homicidium: at verò quando omiſsio volita eſt ex alio quopiam motiuo, licèt præuideatur, aut præuideri debeat ſequuturum homicidium, non erit eiuſmodi homicidium niſi indirectè voluntarium & caſuale, ſecundùm loquendi modum iuridicum, niſi fortaſsis ea omiſsio ita eſſet cauſa proxima & neceſſaria homicidij, vt vix intendi poſſet omiſsio, non intento homicidio, tunc enim tam voluntarium, & æquè primò intentum cenſeretur, atque ipſamet omiſsio.

Tertia opinio vult, numquam ratione omiſsionis ſolius incurri irregularitatem ex homicidio, quamuis ea omiſsio culpabilis ſit, ſiue contra iuſticiam, ſiue contra charitatem, quam non ignobiles DD. ſtatim adducendi ſequuti ſunt, mihíque videtur omnium probabiliſsima, ſi temperetur, quanquam tunc fortaſsis non longè aberit à communi ſententia, & facilè omnia diſsidia componet. Sit itaque

REGVLA VNIuerſalis

De irregularitate homicidij ex omiſsione defenſionis.

35 PVRA non impeditio & ſimplex omiſsio, aut negatio defenſionis, ſiue auxilij debiti nunquam facit irregularem ex homicidio commiſſo, niſi habeat adiunctam quandam doloſam ſubtractionem, aut aliam actionem poſitiuam, quæ proximè in homicidium influat, tanquam eius vera, propria & proxima cauſa. In foro tamen externo ſæpè præſumitur occulta ſocietas, & participatio facinoris ex omiſſa defenſione, aut non impeditione, atque adeò cenſetur inde contracta fuiſſe irregularitas.

EXPOSITIO, ET CONfirmatio regulæ.

HANC tandem ſententiam videtur amplecti Maiol. §.5. citato, vbi accuratè diſtinguit inter puram omiſſionem & ſubtractionem doloſam, vti ſtatim explicabimus, ita etiam interpretor communem ſententiam, quæ idcircò vult oriri irregularitatem ex omiſſione defenſionis contra debitum iuſtitiæ, quia, vt obſeruat Nauarr. in cap. non inferenda 23. q. 3. num.33. in ea omiſſione frequentiùs contingit doloſa aliqua ſubtractio, aliáve actio poſitiua, & non pura tantùm non impeditio, quam ſolam conſiderant, qui nunquam ex omiſſione naſci irregularitatem contendunt, vt ex vtriuſque ſententiæ rationibus colligere facilè fuerit. Nobis igitur placet ſententia, quæ negat irregularitatem contrahi ex omiſſione prohibitionis homicidij cum limitationibus appoſitis, licèt non ſatis eæ explicatæ fuerint ab eius authoribus, Antonin. & Alberic. relatis à Maiol. §.5. initio. quibus adhæſit Præpoſit. in 3. p.q.5. de irregular.dub.10.n.79. Hurtad. diſp. 2. de irregular. diffic.9. num. 34. Turrian. lib. 9. de cenſur. diſp.63. dub.3. qui duo citant Vaſq. in manuſcriptis, de irregularit. neque multum repugnat Kon. diſp.18.n.71. at verò firmiter tenet hanc ſententiam tanquam iuri & DD. magis conſonam, Tabien. verb. irregularitas. num. 3. aitque propter Angelicam,

&

& Roſellam contrarium ſentientes, minimè ab ea diſcedendum eſſe, conſentit Armilla verb. irregularitas.n.2. Innocent. quoque in cap.Petrus, de homicidio, negat eum fieri irregularem, qui non impediuit homicidium, quod tractari nouerat; quod Innocentij dictum communiter receptum eſſe teſtatur Nauarr. in cap. non in inferenda, 23. q.3. num.17. Tiraq.tract. de pœnis remittendis cauſa 44.num.. eandem irregularitatem negat ex ſola omiſſione defenſionis, & allegat in eandem rem Cardinal. Denique maniſeſtiſsimis verbis noſtram ſententiam tradit Nauarr. in cap.non in inferenda, citat.n.34.

36 Vt verò regulam à nobis poſitam confirmemus, obſeruo imprimis omiſſionem defendendi proximum, & propulſandi ab illo iniuriam, aliquando peccatum eſſe, cùm ad eam defenſionem & propulſationem ſæpiùs obligemur ſiue lege charitatis, ſiue lege iuſtitiæ, quas proinde virtutes violamus non ſubuenientes proximo, aut eius iniuriam non propulſantes, vt fuſiſsimè oſtendit Nauarr. illuſtri commentario in cap.non in inferenda; quomodo verò puniatur omiſsio, & num aliquando ſit grauior commiſsione, latè diſputat Tiraquell. tract. de pœnis remittendis, cauſa 44. vbi tandem omni doctrinæ genere oſtendit commiſsionem grauiorem eſſe, & illationem iniuriæ atrociorem cenſeri eius non propulſatione.

Quidquid verò definiatur de ea quæſtione, nos agimus duntaxat hoc loco de non defenſione grauiter culpabili, ſi enim aliqua cauſa legitima excuſet ab obligatione ſubueniendi proximo, certum eſt ex eiuſmodi non ſubuentione nullam incurri irregularitatem homicidij, quæ eſt grauiſsima pœna, & grauem culpam ſupponit, vt dicemus iterum q. ſequenti; & quamuis cum ea non defenſione proximi poſsit coniuncta eſſe grauis culpa, nimirum conſenſus, & complacentia in ea iniuria, ex qua etiam fortaſsis intentione procedit iſta omiſsio defenſionis, cùm tamen actio externa, aut potiùs poſitio omiſsionis externæ non ſit prohibita, ratione illius neque cenſura, neque irregularitas contrahetur, non enim attendimus voluntatem & motiuum voluntatis, eiúſve malitiam, ſed actionem externam poſitam, aut non poſitam contra legem impetantem, aut prohibentem eiuſmodi actionem interminata cenſura, vel irregularitate.

Observo ſecundò, omiſsionem defenſionis iniuriæ proximo illatæ, ſicut & non ſubuentionem eius miſeriæ, duplicem eſſe, vna eſt puta & ſimplex omiſsio, ſiue non defenſio, non ſubuentio, non impeditio, & non propulſatio iniuriæ, ſiue ex dolo & malitia, atque conſenſu in illam iniuriam fiat, ſiue non; aliquis videt, v. gr. alium verberari, aut mergi, & cùm ſubuenire illi facilè poſſet, atque adeò teneretur, immotus nihilominùs manet, immò gaudet in ſinu, atque ea de cauſa grauiſſimè peccat, nihil tamen facit, vnde dicatur concurrere poſitiuè ad eam verberationem, vel ſubmerſionem, ſed præcisè tantùm, non iuuat laborantem proximum. Altera eſt omiſſio, quæ coniuncta eſt cum aliqua actione poſitiua, ſiue per ſubtractionem, ſiue per poſitionem, ratione cuius auxiliatur aliquis inferenti iniuriam, & ad illam reuerà poſitiuè concurrit aliquis. v. gr. ſubtrahit arma, quibus iniuriam propulſares, retinet dolosè litteras, quibus monebaris de paratis tibi inſidiis; Notarius ſcripturas, quæ faciunt 37

ciunt ad rei defenſionem, occultat, ſiue non prodit; Aduocatus argumenta cauſæ ſui clientis per malitiam, aut ſupinam negligentiam relinquit, aliquis hoſti ramum arboris, quem, vt vitaret naufragium, arripuerat, præſcindit, diſſuadet alicui alterius defenſionem, fugienti inſequentem hoſtem occludit domus ſuæ valuas. Hæ aliæque omiſſiones defenſionis includunt, vt ſtatim apparet, actionem aliquam poſitiuam, quæ in iniuriam proximi influit; & quamquam per nomina negatiua, & non actionum explicentur, reuerà tamen ſunt actus poſitiui, vti in pluribus aliis contingit, vt vides in Notario non prodente ſcripturas, aut in patrono non regente clientem, eſt enim occultatio & retentio ſcripturarum, & deſertio cauſæ, quæ ſunt actiones poſitiuæ; quis enim dicat retentionem rei alienæ eſſe puram omiſſionem, quamuis eam nominemus non reſtitutionem. Ratio verò quare nominibus negatiuis eiuſmodi actiones appellemus, gemina eſt; primò, quia reuerà habent ſemper neceſſariò adiunctam aliquam negationem, quam naturaliter connotant. Secundò, quia violant legem affirmatiuam reſtituendi, v. gr. defendendi, aliáſque ſimiles; quia verò intelligi nequit, quomodo lex affirmatiua violetur aliter, quàm per negationem connotatam à talibus actionibus, hinc fit, vt per eas negationes exprimantur, quia conſiderantur maximè prout ſunt violationes legis contrariam actionem imperantis; verùm ſicut in ea lege affirmatiua includitur præceptum aliquod negatiuum, vt in lege reſtituendi eſt lex non retinendi, ita & in his actionibus poſitiuis connotatur aliqua negatio, atque in quibuſdam negationibus clauditur actio poſitiua, nam & in præcepto quoque negatiuo neceſſariò clauditur poſitiuum, ſic in præcepto non retinendi, & non accipiendi alienum, aut non mentiendi, continetur præceptum reddendi cuique ſuum, & dicendi veritatem.

39 Observa tertiò cum Nauarru in cap. non in inferenda, num. 33. vix vnquam quemquam peccare contra iuſtitiam ex ſola & pura omiſſione defenſionis, quamuis tunc peccet contra charitatem; addo ego quoties omiſſio defenſionis habet adiunctam aliquam ſubtractionem doloſam, & actionem poſitiuam, nunquam peccari contra ſolam charitatem, ſed contra iuſtitiam; primum dictum Nauarri videtur quoque probare Maiol. vt ex iis quæ §. 5. citato, num. 3. & ſequentibus diſputat, non difficulter colliges, & ſanè cum obligatio iuſtitiæ hoc loco oriatur vel ex priuato contractu, vel ex quaſi contractu, ratione muneris & officij, quod aliquis gerit, hæc obligatio ferè ſemper cadit in determinatas aliquas actiones ponendas, quarum omiſsio vix pura eſt, ſed ferè ſemper coniuncta cum ſubtractione poſitiua, vt in Notario, Aduocato, Iudice, & aliis eiuſmodi oſtendebamus; & ſicut retentio rei alienæ non eſt pura negatio, ita etiam ſubtractio actionis debitæ ex iuſtitia eſt violatio poſitiua iuris proprij & rigidi, quod alter habet in eam actionem æquè, atque in pecuniam, aut rem aliam quampiam; quare ius ad actionem à me exhibendam proximo verè & propriè computari debet inter bona eiuſdem proximi: ſi igitur eam actionem non exhibeo, dum ille poſtulat pro iure ſuo, illi ſua bona ſubtraho & retineo. Hinc Nauarr. loco citato, reddit rationem, propter quam qui alium non defendit, etiamſi

in eo peccet, non puniatur tamen in foro exteriori ſiue ciuili, ſiue canonico, ex communi ſententia Panormitani in cap. 1. de reſtitutione ſpoliatorum, quam ſequitur Felin. in cap. quantæ, de ſentent. excomm. & latè confirmat Vgolin. cap. 23. num. 4. quia, inquit, ex defenſionis omiſsione nemo peccat communiter contra præcepta iuſtitiæ, atque ideò non ſubiacet pœnis, quibus iuſtitiæ violatores plectuntur: id autem intelligendum eſt de omiſsione pura; quod verò addebam, omiſsionem defenſionis, quando coniuncta eſt cum doloſa ſubtractione, & actione poſitiua, nunquam violare ſolam charitatem, ſed iuſtitiam, manifeſtum eſt ex eo quòd illa actio coniuncta cum negatione defenſionis influat in proximi iniuriam, & illam inferenti cooperetur, ac proinde ipſa quoque iniuſta & iniurioſa ſit.

39 Observandvm eſt quartò, neminem conſentientem alienæ iniuriæ, aut illam non propulſantem, fieri participem delicti, quod in ea inferenda iniuſta committitur, niſi quia illam inferenti cooperatur aliqua ratione, aut cooperari præſumitur; alioquin, vt rectè argumentatur Nauarr. in commentario citato n. 17. quicumque non repelleret iniuriam proximi, cùm poſsit, non modò legem charitatis infringeret, ſed etiam legem iuſtitiæ, quia cooperaretur inferenti iniuriam, & eius delictum participaret, atque ita ex quocunque capite oriatur obligatio defendendi proximum, ſemper in non defenſione eſſet culpa iniuſtitiæ, & non ſolius charitatis violatę, quod negant aduerſarij; atque adeò, vt pergit vrgere Nauarr. iſti non defendentes obligarentur ad damnorum iniuriæ, cui ex illa iniuſta non defenſione participarent, reparationem, atque puniendi forent tanquam alij, qui conſilio, mandato, aut alia ſimili actione iniuriæ illam intuliſſent; quandoquidem eiuſdem delicti participes forent, & illud commiſiſſe, aut committenti cooperatos fuiſſe, non prohibendo ipſum, præſumerentur. Ad participationem igitur criminis, quod in iniuſta proximi violatione fit, neceſſe eſt illi aliqua ratione cooperari per actionem phyſicam, aut moralem duntaxat, quod per ſolam non defenſionem non fit, alioquin, vt dixi, omnis ea non diſſenſio eſſet iniurioſa & iniuſta, & nulla foret contra ſolam charitatem, contra aduerſariorum & communem omnium ſenſum, apertiſsimámque rationem, quæ duas iſtas obligationes iuſtitiæ & miſericordię ita diſtinguit, vt quamuis aliquando ſimul concurrant, ſimúlque violentur, non tamen neceſſariò, & quælibet ſine altera violari poſsit.

Observandvm denique, aliud eſſe non defendere proximum, aliud ponere obicem eius ſaluti, atque impedire ne periculum euadat; prius illud contingit in pura non defenſione, cuiuſmodi ferè ſemper contingit, quando debetur ex ſola charitate defenſio, neque enim res aliena ſubtrahitur, aut obex vllus ponitur, v. gr. ſi non porrigam funem cum aquarum vorticibus luctanti, funis enim ille eius non eſt, nam ſi eius foret, ego impeditem, per eam funis retentionem, eius ſalutem, & retinerem res eius: at verò in negatione defenſionis debitæ ex iuſtitia, vel ponitur obex alienæ ſaluti, vel impeditur poſitiuè, ne exeat ex periculo, eo quòd retineatur aliquid, quod eſt alterius, ſiue illud ſit actio, ſiue quæpiam alia res, per quam collocaret in tuto vitam ſuam, atque diſcrimen capitis 40

T euaderet,

cuſtodieret, & ex cuius retentione occiditur, aut mutilatur, vt ſæpiùs dixi.

PRIMA PARS REgulæ vniuerſalis.

Pura omiſsio defenſionis non facit irregularem.

41 ATQVE his obſeruatis facile fuerit ſingulas regulæ à nobis poſitæ partes confirmare.

DIXI igitur primò nunquam puram & ſimplicem non defenſionem iniuriæ proximi, quamuis occidatur, aut mutiletur, facere irregularem, niſi accedat aliqua actio poſitiua, ſiue phyſica, ſiue moralis, per quam in eam mutilationem, aut occiſionem influat, non defendens; neque diſtinguo vtrũ obligatio tunc defendendi proximum & prohibendi homicidium, oriatur ex ſola charitate, an ex iuſtitia, modò ſit nuda & mera non defenſio, quod tamen vix contingit in obligationibus iuſtitiæ, vti ſuperius obſeruaui.

Probatur, quia, vt inquit Nauarr. num. 34. *nullus vſquam textus eſt, qui tale aliquid probet, ideóque nón eſt dicendum.* quod conſequens veriſſimum eſt, ex vniuerſaliſſima regula nunquam incurri irregularitatem, niſi in caſibus iure expreſſis; cùm enim illa non imponatur ab homine, & ipſo iure incurratur, exprimi & ferri debebit ab ipſo iure, quod apertè id ipſum definiuit, vt alibi diximus; antecedens verò nullibi irregularitatem propter homicidium imponi, niſi illi, qui fuerit cauſa illius poſitiuè per conſilium, mandatum, auxilium, aliáve ſimili ratione, patet ex eo, quòd omnes textus, qui afferuntur circa hanc irregularitatem, loquantur de mandato, conſilio, aut facto homicidium committente, quæ non poſſunt conuenire puræ & ſimplici omiſſioni, aut non defenſioni, quæ etiamſi cenſeri fortaſſis poſſit cauſa moralis, maximè quando in vindictam iniuriæ ex intentione homicidij illud non impedit, non tamen eſt cauſa poſitiua poſitiuè in illud influens; cuiuſmodi tamen iura omnia imponentia hanc irregularitatem requirunt, loquuntur enim de vero & proprio occiſore, qui propriè illius cauſam poſuit, non autem de eo, qui eſt tantùm homicida per accidens, non prohibendo; neque nobis aduerſantur quæ cõgerunt aliqui, vt oſtendant culpam huius omiſſionis, nos enim eam quoque agnoſcimus, ſed negamus eum, qui peccat, omittendo defenſionem debitam eſſe cauſam poſitiuam, & poſitiuè influentem in homicidium, quandiu ſiſtemus in nuda & ſimplici omiſſione, quæ importat negationem, & carentiam omnis actionis, alioquin qui omitteret eam defenſionem imperatam à charitate, eſſet verus & proprius homicida, atque adeò irregularis, quod pernegant aduerſarij, volúntque PP. qui non ſubleuationem pauperis, vocant homicidium, impropriè loqui, eo quòd negatio eleemoſynæ pauperi fame pereunti, æquiualeat occiſioni: quod autem obligatio defendendi proximum, naſcatur ex iuſtitia, facit quidem eius omiſſionem iniuſtam & iniurioſam eſſe, non tamen vt ſit cauſa aliter quàm negatiua, cùm æquè illa careat omni actione poſitiua, vt ſupponimus, atque omiſſio eiuſdem defenſionis contra charitatem; quare vtrobique licèt tribuatur homicidium illud non prohibenti, vti poterat, & tenebatur, non tamen tribuetur niſi impropriè & æquiualenter, non verò tanquam

tanquam cauſæ poſitiuæ,& poſitiuè influenti, quandoquidem nihil circa illud poſitiuè geſſit,vt ſupponimus. Iura autem exorbitantia, maximè pœnalia & odioſa,amplianda non ſunt,neque voces in laxiori & minus propria ſignificatione accipiendæ, ita vt cauſam vſurpemus pro quacunque cauſa etiam æquiualenti.

Adde nos lib. de cenſuris cap. 5. quæſt. 3. fuſe docuiſſe, nunquam pœnas à iure impoſitas alicui delicto comprehendere alios quàm ipſos delinquentes, neque extendi ad mandantes, conſulentes, aliáſve cauſas morales veras & proprias, niſi à iure idipſum exprimatur; ergo multo minus erunt ampliandæ eiuſmodi pœnæ ad cauſas improprias duntaxat, & metaphoricas, ſiue æquiualentes, abſque expreſſa iuris definitione, quam nullam habemus in hoc caſu, immò cùm ius expreſſiſſimè pœnam irregularitatis homicidij voluerit ad mandantes, conſulentes & auxiliantes pertinere, locis allatis in explicanda noſtra propoſitione vniuerſali, & de non impedientibus prorſus ſiluerit, ſatis oſtendit ſe eos ſua definitione non comprehendiſſe, quamdiu erunt tantùm non impedientes,& neque mandato,neque conſilio vllóve alio facto in homicidium, aut mutilationem quidquam contulerint.

Ex quibus reiicias,quod aliqui dicunt,omiſſionem actus ex iuſtitia debiti, eſſe quoddam factum morale, non iam non eſſet pura omiſſio,qualem nos modò conſideramus, ſed aliqua actio poſitiua, quamuis tantùm moralis, deinde tam omiſſio actus ex charitate debiti,erit factum morale contra charitatem, quàm omiſſio actus debiti ex iuſtitia erit actio moralis contra iuſtitiam, cùm tam in vno caſu violetur charitas, quàm in altero iuſtitia. Tertiò hæ omiſſiones vbi puræ ſunt & ſimplices,non dicuntur actiones niſi fictione iuris,ſiue reductiuè & interpretatiuè,eo quòd æquiualeant actionibus poſitiuis,aut æquè prohibeantur,qua ratione omnis omiſſio peccaminoſa continetur vulgari definitione peccati,quod Auguſtin.dixit,eſſe factum vel dictum, vel concupitum contra legem.quibus verbis etiam omiſſiones actuum imperatorum complectitur, atque ſi rem altiùs arceſſere libeat, cùm voluntas æquè ſuam libertatem exerceat omittendo actum, atque illum ponendo, omiſſio æquè dicetur voluntatis exercitium etiam poſitiuum potentiæ liberæ;ſed hæc omnia conueniunt omni omiſſioni, & oſtendunt duntaxat impropriam actus denominationem competere omiſſioni ; vnde tamen non licebit colligere,irregularitatem impoſitam à iure operationibus externis contrahi quoque per tales actiones,alioquin, vti ſæpiùs monui, ex quocunque capite obligatio impediendi actionem aliquam orietur, eius non impeditio participaret eandem malitiam cum actione non impedita, eiúſque pœnis omnibus obnoxia foret, atque ita qui non impediret mortem, quam poterat & tenebatur impedire ex charitate, aliáve de cauſa, verus homicida eſſet,& vt talis puniendus, quod falſum eſſe fatentur aduerſarij.

DICES primò cum Suarez ſect. 4.diſp. 45. num. 7. illum qui priuat aliquem iure ſuo, & re ſua, ſibique neceſſaria ad defenſionem vitæ, habere moralem influxum poſitiuum in illius mortem,atque adeò eſſe verum homicidam. 42

Reſpondetur primò hoc argumento non impugnari regulam à nobis

 traditam

traditum, negamus enim per nudam omiſſionem defenſionis contrahi irregularitatem homicidij, niſi habeat adiunctum influxum aliquem poſitiuum in illud; tunc enim contrahi irregularitatem concedimus in altera parte regulæ mox explicanda,& iam in vniuerſum diximus in noſtra propoſitione, omnem cauſam moralem poſitiuam homicidij incurrere irregularitatem ex illo voluntariè & culpabiliter poſito: hoc autem non habebit hæc omiſſio, quia eſt contra obligationem defenſionis ex iuſtitia debitæ,ſed quia non eſt pura & nuda omiſſio.

Reſpondetur ſecundò Suarem dumtaxat oſtendere, quod nos quoque pridem cum Nauarro obſeruauimus, vix vnquam defenſionem debitam ex iuſtitia omitti poſſe per nudam & ſimplicem omiſſionem, & ferè ſemper habere ſibi neceſſariò coniunctum ſubtractionem, ſiue retentionem,aut ſpoliationem alieni iuris, & rei debitæ, quæ retentio etiamſi includat non exhibitionem,ſiue non poſitionem rei & actionis ponendæ ex iuſtitia, atque ideireò vocibus negatiuis exprimatur, eſt tamen actio verè poſitiua, prohibita à iuſtitia, quam idcircò violat; vnde mirum non eſt,quòd ex omiſſione defenſionis ex iuſtitia debitæ, contrahatur irregularitas ex homicidio propter illam non defenſionem ſubſequuto, id enim non oritur ex omiſſione præcisè,quia eſt contra iuſtitiam, ſed quia non eſt nuda omiſſio, vt iam ſæpiùs dixi;quare ſi aliquando etiam contra iuſtitiam omittatur nudò & ſimpliciter defenſio,abſque vlla poſitiua ſubtractione & retentione rei alienæ, reuera ex illa non contrahetur irregularitas, quamuis neque homicidium, neque mutilatio impediatur, vti poſtulabat iuſtitia.

Dices ſecundò in cap.quantæ, de ſentent.excommunic.ille, qui cùm videret manus violentas iniici in Rectorem Eccleſiæ, id non impediuit, cùm poſſet, incurrit excommunicationem capitis,ſi quis ſuadente; ergo qui crimen non impedit, cùm ad id obligatur, ſaltem ex iuſtitia, illius particeps eſt,eiúſque pœnas meretur.

Reſpondetur primò, hunc non impedientem percuſſionem Rectoris Eccleſiæ non incurſurum fuiſſe eam excommunicationem, niſi ius id expreſſiſſet apertè;ergo neque incurret irregularitatem, ſi non exprimatur in iure, propter non impeditum homicidium.

Reſpondetur ſecundò,hanc definitionem,cùm ſit pœnalis,ad alios caſus non eſſe extendendam,alioquin ſi ius ibi traditum generale eſſet, quoties lex plecteret certa pœna facientem, comprehenderet quoque conſentientem, quia ibi dicitur, facientes & conſentientes pari pœna plectendos eſſe, quod falſum eſſe docent in illud cap.Abbas,& Felin.atque etiam Nauarr.in cap. non in inferenda n.17. & gloſſa illa verba, *agentes & conſentientes* exponit de conſenſu per modum authoritatis, quã gloſſam ſingularem appellat Felin.latè verſans hanc Innocentij reſponſionem; mihi ſatis in præſentiarum eſt omnes DD. hunc conſenſum in percuſſionem Clerici, propter quem incurritur excommunicatio ex participatione eiuſdem criminis, explicare de conſenſu,qui nudus & ſimplex non ſit, ſed qui aliqua ratione influat moraliter in eam percuſſionem;ergo & non defenſio, propter quam in eodem capite dicit Innocent. incurri excommunicationem, non erit nuda & ſimplex omiſſio

defen

defenſionis, ſed coniuncta cum aliquo influxu poſitiuo in percuſſionem illam, cùm ſit æqualis vtrobique ratio, & æquè generalibus verbis vtatur Pontifex; quare nequidem per eam omiſſionem nudam incurreret excommunicatio ob non prohibitam percuſſionem Clerici, aut ob nudum conſenſum in illam.

Reſpondetur tertiò cum Vgolin. cap. 23. ſub fin. num. 4. ex communi DD. ex iure ſpeciali in eo caſu excommunicationem extendi ad non defendentem, ob atrocitatem criminis iniiciendi manus in Eccleſiæ Rectorem, vti dicitur initio illius capitis: procemium autem intentionem loquentis oſtendit l. finali ff. de hæredib. inſtit.

Reſpondetur quartò cum Nauarr. in commentario citato num. 29. & 34. illum, qui non defendit Clericum, cùm poſſit, præſumi fauere inferenti iniuriam, atque illi ſua præſentia atque ſilentio auxiliari, ſiue quia inde animoſior redditur, ſiue qua alia ratione, atque adeò ex eo præſumptio fauore participare illi crimini, atque etiam excommunicatum & irregularem, ſi ob illum fauorem & auxilium irregularitas, aut excommunicatio iniuncta fuerit, & reuera hunc eſſe germanum Pontificis ſenſum, eius verba declarant. *Eos*, inquit, *delinquentibus fauere, interpretans, qui cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare.* Ex præſumpto igitur duntaxat fauore, & ſocietate criminis incurreretur in foro externo excommunicatio & irregularitas, propter non impeditam percuſſionem Clerici, aut cuiuſuis alterius cædem, quod nos non negamus, inde tamen non ſequitur, ſi præſumptio illa falſa ſit, contrahi veram irregularitatem in foro interno.

SECVNDA ET TERTIA pars regulæ.

De emiſsione defenſionis non puræ, & foro externo.

EX hac doctrina firma, ni fallor, 41
& in quam tandem ipſi aduerſarij conſentiunt, probata manet ſecunda & tertia pars noſtræ regulæ.

Dixi enim ſecundò, non nudam omiſſionem defenſionis debitæ, ſed coniunctam cum actione aliqua poſitiua circa homicidium, aut mutilationem facere irregularem, quod euidens eſt ex dictis, nam ratione illius actionis & influxus poſitiui, qui non defendit alium, eſt vera & propria cauſa, vel phyſica, vel moralis, eaque proxima, per ſe, & directè, & non tantùm per accidens ac remotè non prohibendo; ergo illi verè & propriè tribuitur effectus, nimirum homicidium ac mutilatio, ac proinde annexam illi irregularitatem incurrit, ea enim cadit in omnes veras & proprias cauſas necis & mutilationis, vti conſtat ex propoſitione generali; iamque ceſſat tota illa ratio, propter quam negabamus ex omiſſione nuda defenſionis contrahi iſtam irregularitatem, quod nimirum in tali omiſſione non reperiretur verus & proprius influxus in homicidium; ex quibus etiam vides nihil admodum referre, quòd defenſio debeatur ex charitate, ſiue ex iuſtitia, quandoquidem nuda & ſimplex non eſt, ſed habet coniunctum influxum poſitiuum; atque de hac duntaxat omiſſione exiſtimo loquutos fuiſſe DD. qui omiſſionem defenſionis, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex charitate debita eſſet, volebant creare irregularitatem; quia tamen vix vnquam, quoties defenſio

debita tantùm eſt ex charitate, omiſſio illius reperitur coniuncta cum vero & poſitiuo influxu in necem inde ſequutam, idcircò ordinariè vera eſt communis ſententia, quæ docet naſci irregularitatem ex omiſſione defenſionis debitæ ex iuſtitia, non autem debitæ ex charitate, quæ omnia perſpicuè hactenus explicata ſunt.

Dixi tertiò ſæpiùs in foro externo præſumi fuiſſe contractam irregularitatem ex non impedito homicidio, aut prætermiſſa defenſione proximi, quia inde præſumitur occulta ſocietas & participatio facinoris, atque etiam fauor præſtitus atque auxilium, vt cum Nauarro oſtendi, ex cap. quantæ, de ſentent. excommunic. & apertè traditur cap. ſicut dignum. §. illi etiam, de homicidio. Fuerit itaque prudentis iudicis omnia diligenter expendere, vt videat, an iure præſumatur hic fauor ad declarandum ea de cauſa irregularem illum, de quo talia ſuſpicabitur: in foro autem interno non præſumptio, ſed veritas ipſa habenda erit, atque ex nuda & ſimplici omiſſione defenſionis quacunque ex cauſa debitæ, nunquam aliquis pronuntiandus erit irregularis.

Consectarium XIV.

Solutio ſingularum difficultatum ex regula ſuperiori conſectario tradita.

44 Ex vniuerſali regula hactenus explicata, innumeræ ferè quæſtiones facilè explicabuntur.

Primò, an qui diſſuadet alicui defenſionem alterius, ex qua non defenſione ſequitur homicidium, fiat irregularis; negat enim Auila 7. p. diſp. 6. ſect. 2. dub. 7. con. 2. §. ex dictis, & Layman. lib. 3. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 7. modò abſit violentia & fraus in illa diſſuaſione, & obligatio defenſionis eſſet tantùm ex charitate, quia non facit alteri iniuriam, ſicut ſi diſſuaderet eleemoſynam dare pauperi, cùm enim ille non habeat ius ad eleemoſynam, non patitur iniuriam ex illa diſſuaſione, niſi per vim & fraudem fieret; at verò irregularitatem agnoſcit Suar. diſp. 45. ſ. 4. num. 3. & plures alij relati ab Auila loco citato, & Sayr. lib. 7. Theſaur. cap. 4. num. 8.

Atque hæc poſterior ſententia veriſſima eſt, quia iſta diſſuaſio reuerà poſitiuè influit in homicidium, quod ex ea ſequitur tanquam ex vera cauſa morali mediata, neque eſt omiſſio duntaxat, etiamſi illam cauſet, & ipſa mediante homicidium, quod intendit, vt fatetur Auila, qui malè conſiderat obligationem charitatis in omittente defenſionem, nam quamuis ille immunis ſit ab irregularitate, ſi nudam, & ſimplicem defenſionem non adhibeat, qui tamen illam defenſionem neceſſariam alteri ſubtrahit per actionem poſitiuam, reuerà tam in homicidium influit, quàm ſi ipſi arma ſubtraxiſſet aut fugienti valuas occluſiſſet, vt ſtatim dicam. Non attendo igitur hoc loco obligationem iuſtitiæ, aut charitatis, ſed poſitiuum, & proprium influxum in homicidium, quod non poteſt non eſſe iniurioſum, cùm negatio eleemoſynæ non ſit neceſſariò iniurioſa; quare ad illam poſitiuè licebit concurrere abſque iniuſtitia; ex impeditione igitur eleemoſynæ non benè argumentabatur Auila ad impeditionem poſitiuam defenſionis, quamuis ex charitate

ritate tantùm debitæ. Denique aliud eſt ponere obicem ſaluti alterius, aliud non auxiliari periclitanti, primùm illud fit per aliquam actionem poſitiuam, & verè influit in homicidium: hoc autem facit, qui diſſuadet alteri ne auxilium præſtet, quia reuerà ponit obicem actioni, per quam alterum è periculo vitæ eriperet.

Vnde benè dixit Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 5. n. 3. eum qui dolosè diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum, ne paſcat, & Medico, ne curet, & volenti reuelare homicidij tractatum, ne reuelet, fieri irregularem ſequuto homicidio.

Secundò, an fiat irregularis, qui non ſtudet impedire abortum, quem ſcit procurare mulierem à ſe corruptam? Ita exiſtimant Auila dub. 7. cit. §. ſequitur quartò, Rodriq. tom. 1. cap. 177. n. 11. & alij apud Dian. 4. part. tract. 2. reſolut. 8. qui tamen contrarium probabile putat, quia ſententia Hurtadi, & à nobis ſuperiùs relata, negans vnquam ex omiſſione contrahi irregularitatẽ iſtam, probabilis eſt, & quia certum non eſt, patrẽ teneri ex iuſtitia ad vitam filiorum tuendam, quod erat vnicum ſententiæ affirmantis argumentum, ſed tantùm ex pietate.

Mihi perſtandum eſſe videtur in diſtinctione allata in regula vniuerſali; ſi enim corruptor iſte mulieris negatiuè omninò ſe habeat circa impediendum aborſum, quem lupa illa meditatur, non erit irregularis; ſi verò non impediendo, neque diſſuadendo facinus ſuſceptum, illud non modò approbet, ſed etiam foueat, quia proſtibulum, quod ipſi impium animum aperuit, ex corruptoris ſilentio magis confirmatur in ſuſcepta mente, aut animoſior fit ad audendum, quod ferè contingere ſolet, cùm eo caſu iſte non tantùm non impediat aborſum, ſed ad illum poſitiuè influat, omninò irregularis erit.

Tertiò. Nauarr. in cap. non in inferenda, n. 34. hinc reſpondet Tholoſæ cùm in Cœnobio Auguſtinianorum coacta Acadamia, de quodã priuilegio Scholaſticorum magna animorum contentione diſceptaretur, & aliqui crines euulſiſſent quibuſdam Conſiliariis, quos ex capitis corona euidens erat eſſe Clericos, præſentes ſcholaſticos neque impedientes, etiamſi de ea iniuria delectarentur, minimè incurriſſe excommunicationem, quia merè negatiuè ſe habuerunt; eius tamen immunes non fuerunt aliqui Doctores Regentes, qui licèt ſcholaſticis non dixerunt, vt crines vellicarent, annuerunt tamen, gratum ſibi illud fore ſignificantes.

Quartò, idem Nauarr. ibid. n. 35. ex hac eadem noſtra regula reſpondit Clericum Inſulanum minimè incurriſſe irregularitatem, etiamſi per negligentiã omiſiſſet monere alium, de cuius nece tractari audiuerat, vt ſibi caueret; quia ex doctrina Innocentij & Antonini iſta irregularitas non contrahitur ſine fauore, aut auxilio aliquo modo præſtito occidenti, aut mutilanti, iſte autem Clericus prorſus negatiuè ſe habuerat; quare an ex non reuelato homicidio ſequatur irregularitas, non eſt recurrendum cum Auila loco citato, atque aliis vulgò ad obligationem reuelandi à charitate, aut iuſtitia profectam, ſed ad influxum, quem illa non reuelatio, aut ſilentium præſtitit ratione fauoris, aut approbationis æquiualentis ſuaſioni & conſilio, aut alia quapiam ratione præſtiti.

Hinc

Hinc ſolues quid ſentiendum ſit de iis,quos ius punit propter non reuelatum tractatum homicidij, & qui proinde ad eam reuelationem tenentur ex iuſtitia,an ſi ea in re peccent,& committatur homicidium, maneant irregulares; ita enim pronuntiant communiter DD. eiuſmodi ſunt filij, vaſalli,ſubditi,ſerui,ciues, quando de capite parentum,dominorum & Principum agitur.

Retinenda eſt diſtinctio Maioli lib.3. cap.48. §.5.num.3. ſi enim iſti omnes doloſè omittant hanc reuelationem, quia, inquit, *reuelationis omiſſio non poteſt dici ſimplex omiſſio,ſed eſt delictum in committendo, ideò concurrunt ad homicidium, & fiunt irregulares; ſi autem per meram ignauiam, timiditatem, & animi perplexitatem omittunt reuelationem, non fiunt irregulares.* quod dixit etiam Tabien. verb. irregularitas 2. num. 24. & Armilla eod. verb. num.38.non reddunt tamen iſti DD. rationem, propter quam perſonæ enumeratæ non reuelantes tractatum homicidij, peccent peccato commiſſionis, & non ſolius omiſſionis, quando doloſè non reuelant: cauſa igitur petenda eſt ex iis, quæ diximus in prima parte regulæ,in omiſſionibus contra iuſtitiam eſſe quaſdam retentiones iuris alieni,quo priuamus nimirum alterum, quæ retentio etiamſi phyſicè ſit fortaſſis negatio actionis imperatæ, moraliter tamen eſt poſitiua quædam actio;quare ſi fiat ex dolo, malitiam iniuſtitiæ grauis participabit; ſi ex negligentia autem erit tantùm culpa, atque adeò non punietur irregularitate; quanquam in foro externo præſumenda ſit grauis negligentia,& incurſa irregularitas.

Ex his quoque Tabiena ſoluit, quòd ipſi Ferrariæ commoranti an. 1505. moleſtiam aliquam creauit; rogatus enim à quodam Notario, num teneretur prodere conſilium cuiuſdam armigeri de propria vxore interficienda ſibi ſecreto commiſſum, negauit Tabiena teneri, dubitauitque deinde perfecto ſcelere, num tum ipſe, tum ille Notarius ob non reuelatum facinus contraxiſſent irregularitatem, quod ipſe iure merito negat, quia, inquit, *fuimus ſolùm non faciendo.* Videndum etiam erit hoc loco ne qui ſcit tractatum homicidij,ſit illius criminis conſcius atque particeps, atque ideò non reuelet, tunc enim certum eſt fore irregularem, cùm ſit verè cauſa moralis homicidij poſiti. Qui itaque ſiue ex officio,ſiue alia ratione tenetur facinora reuelare iudici,vt ea impediat, ſi tacuerint acceptâ pecuniâ, aut quia reo nocere nolunt, aut vt homicidium faciliùs committatur, & ex eo ſilentio ſequatur homicidium, quod tamen vix conſtare poterit,manent irregulares, quia reuerà eo ſuo ſilentio fauent homicidæ, & illi cooperantur, atque remouent impedimenta ſceleris perpetrandi.

Quintò qui cæco pontem tranſeunti,tabulam aliquam ſubtrahit,vnde ille ſubmergitur, qui columnas, quibus domus innititur,inſtar Samſonis ſubtraheret, atque eius ruina aliquem obrueret, qui arma alterius ligaret,aut celaret etiam per iocum,vrgente hoſtium periculo, à quibus propter ſubtracta arma occiditur,qui de noctu ingredienti lumen extinguit in loco periculoſo,vnde ille impingit in ſaxum aliquod,irregularis eſt,quia, vt ait Maiol. §.5. citat. in his omnibus non eſt tantùm negatio, ſed actio poſitiua, per quam remouetur aliquid ad vitandam mortem neceſſarium.

Sextò,

Sextò, qui fores domus occludit fugienti aduerſarios inſequentes, vt faciliùs occidatur,& non tantùm vt ipſemet vitet periculum, ſi conſerta turba in domum ſuam irruat, irregularis eſt, ex Maiol. allegante Abbat. in cap. quantæ, quia ponit obicem alterius ſaluti; quod verum etiam eſt in eo, qui occludit, aut occludi imperat fauces alteri ne clamet, & amicos in auxilium vocet,à quibus ab inuadentibus hoſtibus facilè eriperetur. Ita Syl.v. homicidium 3.q.7.v.quintum.

Septimò, qui aquis immerſo funem, ramum, aut ſcapham, quibus ſaluari poſſet,ſubtrahit,eſt irregularis, quia non tantùm non eripit,ſed poſitiuè ſubtrahit adiumenta ſalutis;ſi tamen tantùm non adiuuat, vti poſſet ſuo fune, aut ſcapha, peccat quidem mortaliter, non tamen fit irregularis,ex Maiol. qui excipit,niſi quis eſſet obligatus ex iuſtitia, ad ſubueniendum, quia, vt iam ſæpè moneo, tunc non porrigere funem,aut remum, & non præſtare alia adiumenta, quæ poteſt,eſt illa eadem ſubtrahere, propter ius quod alter in illas res habet in tali caſu, vnde tunc ibi reperitur commiſſio aliqua, & non ſola, ac nuda omiſſio.

Octauò aliquis ſuſcipit onus monendi Titium de inſidiis ipſi paratis, aut deferendi litteras,quibus eadem monitio continetur, ſi iſta minimè præſtet ex dolo maximè,& occidatur Titius ea de cauſa, fit irregularis,quia ſuppoſuit obicem diligentiæ monentis Titium de periculo, & conſulentis illius ſaluti;quare ibi non eſt ſola negatio auxilij, ſed eſt etiam poſitio obicis alienæ ſaluti.

Nonò,Aduocatus, aut Procurator, qui deſerunt rei patrocinium & cauſam, teſtis, qui citatus non vult reſpondere, ſi ex iſtis ſequatur mors rei,fiunt irregulares,maximè ſi dolo iſta omnia præſtent, quia illa ſubtractio aduocationis & teſtimonij eſt commiſſio quædam,quæ verè influit in rei mortem, ſubtrahitur enim res ipſi debita,& remouentur ea,quibus mortem repelleret.

Decimò,an Medicus,qui non vult curare ægrotum, fiat irregularis, ſi eam ob cauſam ægrotus moriatur, implexa quæſtio eſt, quam tamen cum Maiolo ita diſſoluo,vt ſi in hoc caſu ſit mera & pura omiſſio, ſiue negatio curandi, non contrahatur irregularitas: ſi autem ſit ſubtractio quædam,nimirum operæ, quam vel ex pacto, vel ex mandato Reipubl. vel alia ex cauſa tenebatur exhibere, reuerà concurrit ad homicidium, quod non tantùm non impedit, ſed etiam cauſat ſubtrahendo tum medicamenta, tum operam illi ægroto debitam, ſicut ſi ſuſceptam ſemel curam deſerat,aut alteri Medico imperito tradat, illa enim deſertio non eſt mera negatio, quod videmus in nauta,qui aut clauum deſerit,aut alicui inepto credit;reus enim eſt naufragij, quod ex ea gubernaculi abiectione ſequitur.

Vndecimò, qui non paſcit egentem cùm commodè poſſet, & fame perire permittit, ſi tantùm ita negatiuè ſe habeat,non eſt irregularis, quia non concurrit ad illud homicidium concurſu neceſſario, vt dicatur verè & propriè homicida: ſi autem ſubtrahat alimenta eius, aut nimiam dietam imperet, aut victum miſſum retineat,aliaque eiuſmodi faciat,quibus poſitiuè influat in necem eius, iam homicida eſt & irregularis, quod idem dico de marito,qui vxori ægrotanti non ſubminiſtrat ex dolo & malitia alimenta, aliáque neceſſaria,

cùm poſſit, quæ ratio valet in aliis perſonis, quæ erga alios obligantur.

Duodecimò qui peculiari pacto ſe obligauit ad aliquem defendendum, aut accepto ſtipendio, ſi non defendat, & defectu defenſionis ſequatur occiſio, fit irregularis, quia retinet aliquid, quod eſt alterius ex proprio & rigido iure, atque ea retentio eſt actio poſitiua moralis, vt dixi, eóque pertinet vulgare illud, Qui tenetur facere, non faciendo, dicitur propriè facere, l. qui facit ff. de regulis iuris; atque etiam non faciens id quod tenetur dicere, contrà facere. Vnde ad varias perſonas aptanda erit iſta regula, nam, v. gr. quibus incumbit cuſtodia viatum, vt eas præſtent tutas, ſi videant aliquem à latronibus cinctum in periculo vitæ, & non ſubueniant, vti poſſunt, atque occidi ſe coràm patiantur, irregulares ſunt, quia retinent operam & actionem, quæ tam illius erat ex rigido iure, quàm res ipſius, v. gr. pecunia: ſubtrahunt igitur rem alienam, atque ea de cauſa impediunt, ne periculum euadat, eodémque modo illius neci cooperantur, atque ſi ipſi arma ſubtraxiſſent; cuſtodis enim arma tunc ex pacto & contractu erant arma huius viatoris, illaque cuſtos apud ſe retinuit, non exhibendo opem ſuam, quæ conſideratio ſubtractionis rei alienæ, & comparatio inter actionem debitam ex iuſtitia, & rem alienam, facilè oſtendet, quomodo negatio operæ & auxilij ex iuſtitia præſtandi ſit commiſſio quædam, & non ſola omiſſio, vt dicebat Mariol & quæſtiones omnes diſſoluet. Hæc omnia aliaque conſectaria dabit Mar. l. §. 5. ... & Vgol. c. 2 ... §. 3.

Decimotertiò qui non concitat exitum res vt poterat, qui videt aliquem locum eſſe infeſtum latronibus, aut in hoſtium ſuorum manus incautum venire, aut ex domo ruinam minitante, & à qua opprimendus ſit, nolle exire, neque eum monet, qui non ſubtrahit gladium, aut funem, quo alter ſe, vel alium quempiam confoſſurus, aut ſtrangulaturus eſt, qui venenum paratum non effundit, qui petenti pecuniam non donat, vnde ille præ deſperatione ſeſe ipſe occidit, etiamſi videat ex his omnibus ſequuturam mortem, eaque reuerà contingat, non fit irregularis, vt fusè habet Vgolin. cap. 23. num. 4. Non quia in his caſibus obligatur tantùm ex charitate tueri proximum, ſed quia in his & ſimilibus eſt mera negatio defenſionis, neque vlla actio poſitiua, aut ſubtractio, ſiue retentio rei alienæ, aliave commiſſio fingi poteſt; ac proinde, qui in his euentis non ſuccurrit proximo, non propterea tamen poſitiuè in eius mortem influit, quod tamen neceſſe eſt ad irregularitatem.

Decimoquartò qui alium non defendit, ſed gaudet etiam de illius nece atque riſu, alióve ſigno id teſtatur, non eſt irregularis, ſi ſit pura non defenſio, & nullo externo ſigno faueat occidenti; ſi enim illum ſuo riſu, aut præſentia audaciorem faciat, ſi illi annuat, & quodammodo hortetur, atque ſua præſentia ſecuriorem reddat, reuerà foret irregularis, quia influeret in homicidium. Ita Vgolin. l. cit. & alij paſſim.

Decimoquintò, qui ſeruis, aut filiis ægrotis alimenta non præſtant, aut Medicum non adhibent, vnde contingat illos mori, aut languidos exponunt, vt inde aſportentur ad hoſpitalia, ſi vel frigore decedant, aut à canibus lacerentur, qui ægrotis inſeruiunt, ſi vel noxia dent, vel ſubſidia neceſſaria denegent, atque ita mortem vel conſciſcant, vel accelerent.

rent, ſunt irregulares, quia in his omnibus, vt vides, eſt commiſſio quædam, atque rei alienæ ſubtractio, per quam quis impeditur, ne mortem, vti poterat, euadat.

Decimoſextò curator furioſi, qui illum patitur alium occidere, aut qui ſclopum inſtructum puluere & glande tradit, ſi inde præuideat homicidium, aut mutilationem, & non impediat, Irregularis eſt effectu ſubſequuto, quia cedit inſtrumenta, quibus cædes patrata eſt, eámque præuidit, atque ita illi fuerit cooperatus, vt dicemus q. ſeq. hoc enim homicidium non erit, niſi indirectè, voluntarium.

Decimoſeptimò, qui ſciuit à ſuis conſanguineis, aut amicis, aut ſeruis meditatum eſſe homicidium in vltionem iniuriæ ſibi illatæ, neque prohibuit, immò tacuit, quamuis ſe coràm de ea cæde tractaretur, fit irregularis, quod colligunt DD. ex cap. Petrus, de homicidio; ibi enim Diaconus quidam immunis pronunciatur ab irregularitate, etiamſi eius conſanguinei ad vlciſcendam iniuriam ipſi ab Abbate quodam irrogatam, eundem Abbatem occidiſſent, quia vbi id reſciuerat Diaconus ille, prohibuerat; inde enim colligunt à contrario ſenſu hunc Diaconum futurum fuiſſe irregularem, ſi ſciens conſanguineorum voluntatem de homicidio faciendo, illud non prohibuiſſet, quod Felin. in cap. illud dicit, verùm etiam eſſe in illo, qui conſultus, an faciendum eſſet aliquod homicidium, nihil reſpondit, vterque enim ille ſuo ſilentio probaſſe, conſenſiſſe atque fauiſſe huic homicidio videtur, immò & illud mandaſſe præſumitur, vt oſtendit Vgolin. §.3. cit. num. 17. & 18. Et quidem quod attinet ad forum externum, hæc omnia vera ſunt, præſumit enim vel fauorem præſtitum, vel auxilium ex eo conſenſu. In foro autem interno, ſi ſilentium illud nihil influxit in homicidium, fuitque merus conſenſus, & non prohibitio, reuerà non pariet irregularitatem ex dictis, quod denuò clariùs exponetur conſectario ſeq.

Consectarium XV.

An ratihabitio homicidij, aut mutilationis faciat irregularem.

HÆc quæſtio non eſt de ratihabitione homicidij, dum actu fit tuo nomine, vel tui cauſa, vix enim eo caſu poterit eiuſmodi conſenſus & approbatio præſcindi à morali cooperatione, imeo enim conſenſu adiungo me occidenti, & per eius manus occido, quod maxime verum eſt, ſi nomine meo, aut mei cauſa agar, neque ego prohibeam, tunc enim fingi non poterit purus ille conſenſus 45 quem fortaſſis repetire licebit, ſi homicidium me præſente, & non prohibente, alterius cauſa fieret, tunc enim, vt ſuperiùs monui, ſi ea non prohibitio eſſet ſimplex, & nuda omiſſio, reuerà conſenſus ille internus, immò & exteriùs ſilentio, aliòve ſigno proditus nihil influeret in homicidium, atque adeò non cauſaret irregularitatem.

Diſputamus igitur de ratihabitione homicidij mei cauſa iam facti, ſeruus, v. gr. vltutus iniurias domini, eius hoſtem occidit, quod vbi reſciuit dominus, factum probat, & ratum habet, ſeruum dilaudat, neque indonatum relinquit, receptat

& fouet; quæritur an iſte dominus ſit irregularis ob illam homicidij ratihabitionem.

Reſponderur, non eſſe. Ita Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. 1. num. 4. Henriquez lib. 14. cap. 16. num. 2. Aula 7. p. diſputat. 6. ſ. 2. dub. 6. Sayr. lib. 7. cap. 4. num. 17. vbi Speculator, Archidiacon. Hoſtienſ. Angel. & Tabien. laudat Suarez diſp. 44. ſ. 3. num. 24. Kon. diſp. 18. num. 72. Layman lib. 3. tractat. 3. part. 3. cap. 4. num 6. Hurtado diſput. 2. de irregul. diffic. 7. num. 25. Turrian. lib. de cenſur. diſputat. 63. dub. 3. Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. num. 66. Vaſq. in M S C. vt ab his authoribus refertur. Villalob. tractat. 21. diffic. 20. num. 12. aliique recentiores contra Nauarr. cap. 27. num. 233. Felin. in cap. ſicut dignum, de homicidio Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 5. Roſell. verb. homicidium 2. num. 5. Plouium regula 26. de irregular. Rodriquez tom. 1. cap. 177. num. 12. Sylu. verb. homicidium, 1. quæſt. 7. Molin. tractat. 3. diſputat. 33 num. 4. Fernandez in examine part. 2. cap. 10. §. 14. num. 11. & alios apud Comitol. lib. 6. reſponſ. quæſt. 63. Probatur verò hoc conſectarium ex duabus regulis certiſſimis à nobis traditis; prior eſt, neminem irregularitatem homicidij contrahere, niſi illius cauſa fuerit aliquo modo, & in illam influxerit, quod in propoſitione noſtra vniuerſali fusè ſtabiluimus. Altera eſt, legem quidpiam imperantem, aut prohibentem nunquam comprehendere ratam habentes actionem prohibitam, aut omiſſionem actionis imperatæ, niſi lex apertè id exprimat, atque adeò pœnas impoſitas alicui crimini ad eius ratihabitionem, poſt quam commiſſum eſt, extendendam non eſſe; niſi ita lex faciendum eſſe edicat, quod principium latè ſtabiliuimus in ſcientia canonica: atqui ratihabitio non influit in homicidium prius commiſſum, neque eius cauſa eſſe poteſt, vt ex natura ratihabitionis actionem conſequentis ſtatim apparet; neque vllibi lex extendit irregularitatem homicidij ad ratum illud habentes, cùm nihil tale afferri poſſit ab aduerſariis; ergo neque nos illam extendere debemus: vnde videas ineptè obiici illa loca, in quibus excommunicatio aliæve pœnæ amplianrur ad ratum habentes, vt cap. cùm quis, de ſentent. excomm. in 6. & cap. felicis, de pœnis in 6. & Clem. 1. de pœnis. Nam ex iis locis potius ſumitur noſtra ſententia; cùm enim, vt excommunicatio implicaret ratam percuſſionem Clericorum habentes, id exprimendum fuit in cap. cùm quis, & vt pœnæ, quibus violatores Cardinalium puniuntur, implicarent illos, qui eam violationem probarent, ac ratam haberent, neceſſe fuit id edici ſingillatim in cap. felicis. & Clem. prima citata, inde manifeſtò colligitur nunquam legem comprehendere eos, qui tantùm ratam habent aliquam actionem, niſi id ipſum exprimat, quod verò vulgò dicitur ratihabitionem æquiparari mandato, id intelligendum eſt ratione culpæ duntaxat, vti loco citato fuit à nobis explicatum; atque hæc ſententia noſtra non modò vera eſt, quando quis ratum habet homicidium ab alio commiſſum, ſed etiam ſi probet homicidium à ſe ipſo ignoranter, aut inculpabiliter commiſſum, nam neque etiam in illo caſu fiet irregularis, quandoquidem

quidem teneri in illud homicidium hæc poſterior complacentia nihil influit; quare non poterit tanquam culpabilis cauſa eiuſmodi homicidij plecti irregularitate, aliáve pœna ratione ſolius iſtius ratihabitationis; quòd ſi aliquando ex ſpeciali iuris diſpoſitione pœna obliget ratum habentes aliquod facinus, non imponitur ea pœna propter culpam in homicidio, ſed in ipſamet ratihabitione, quæ ſola plectitur, non autem crimen, cuius ipſi nullo modo cauſa fuerunt.

Consectarium XVI.

An qui digitos abſcindit, oculum excæcat, dentem excutit, auriculas truncat, labia mordet, capillos euellit, fiat irregularis, & quid de quibuſdam aliisp artibus ſentiendum ſit?

46 Respondetur omnium iſtarum partium enumeratarum truncatione minime oriri irregularitatem in abſcindente, etiamſi aliquando is cui præſcinduntur, fiat irregularis, vt diximus cap. ſuperiori quæſt. 1. de eo cui pollex fuiſſet præſciſus. Ratio eſt, quia ad hanc incurrendam irregularitatem requiritur membri mutilatio, vt diximus in propoſitione vniuerſali; hæ verò partes enumeratæ non ſunt propriè membra, cùm non habeant diſtinctum officium à cæteris omnibus, ſed ſint tantùm partes membri, quod fuſius oſtendimus initio huius quæſtionis, notat. 2. neque neceſſe eſt eum omnem fieri irregularem, qui alium reddit irregularem, vt obſeruauit ſapienter Vgolin. cap. 4. §. 7. nam qui filium generat ex fornicario concubitu, generat irregularem, ipſe tamen minimè ex ea cauſa irregularis eſt, & iudex qui aliquem damnat furti alicuius inſignis, facit irregularem eiuſmodi furem propter infamiam, qua ipſum aſpergit; ipſe tamen iudex, niſi illum morte, aut mutilatione damnet, non fiet irregularis; immò in vniuerſum pronuntiandum eſt nullum fieri irregularem vnquam faciendo alterum irregularem, niſi quando ipſum mutilat aliquo membro. Quare non eſſet irregularis qui alteri faciem ira deturparet, detracta auricula, aut alia ratione, vt ob inſignem deformitatem, aut horrorem, quem intuentibus excitaret, maneret irregularis; ſed modò ſingillatim oſtendo veritatem noſtri conſectarij in ſingulis partibus enumeratis.

Et primò quidem ex abſciſſione pollicis, aut trium digitorum, quibus in ſacrificio maximè opus eſt, non naſci irregularitatem contra Caietan. & Sotum notatione ſecunda relatos, quibus adhæſit Suarez diſp. 44. ſect. 2. num. 9. & pauci quidam alij, dicendum eſt cum communi ſententia DD. quos dabit Diana 4. part. tract. 2. reſolut. 26. quia digitus membrum non eſt, quod ex membri definitione allata notatione 2. manifeſtum eſt, neque excipiendus eſt cum Felin. in cap. cùm illorum, de ſentent. excommunic. pollex in nobili artifice, vt in pictore; neque enim ex ſua natura habet membri officium: vt enim iis laborent nobiles artifices, ſufficit. ſi ſint partes manus quæ membrum eſt, ſanè in l. item Caſſius, ff. de ædil. ed. edicto, dignus abſciſſus diſtinguitur à membro lacerato.

Hinc fit multo minus vngues eſſe membra, quod etiam dixit Felin. loco citato, & liquidò apparet ex cap. finali, de corpore vitiatis, ibi enim ille, cui pollicis vngula fuerat extracta, dicitur non eſſe irregularis, modò adhuc hoſtiam frangere poſſit, & tamen; qui aliquo membro caret, irregularis eſt. Si nihilominus ita omnes digiti & magna pars manus abſcinderentur, vt exiguum admodum eſſet, quod reſtaret, diceretur illa abſciſſio mutilatio, atque per eam incurreretur irregularitas, ita Molin. tractat. 3. diſput. 69. numero 2. & alij omnes.

Oculus quidem membrum eſt, ſi tamen non eruatur, ſed tantùm priuetur viſu, obiectu, v.gr. laminæ candentis, qui ita excæcat, non fiet irregularis, quia reuerà non mutilat, ita Bonac. qu. 4. diſp. 7. punct. 8. n. 7. & alij.

Tertiò dentes membra non ſunt, vt colligitur ex l cui dens. ff. de ædilitio edicto, & ſanè infantes licèt non naſcantur dentati, non dicuntur capri membris, ſunt quidem illi inſtrumenta, quibus maxilla mandat cibos, & molat; qui itaque dentes alicui duntaxat excuſſerit, non contraxerit irregularitatem.

QVÆSTIO II.

De irregularitate ex homicidio caſuali, & indirectè voluntario.

Propoſitio. num. 1.

Prima pars propoſitionis de homicidio merè caſuali. num. 2.

Secunda pars propoſitionis de homicidio indirectè voluntario. n. 3.

Quomodo committatur hoc homicidium. num. 4.

An culpa debeat eſſe mortalis. n. 5.

An ſit diſtinguenda actio licita, & illicita, ex qua ſequitur homicidium caſuale ad contrahendam irregularitatem. num. 6.

Prima regula. n. 7.

Expoſitio & confirmatio regulæ. ibid.

Secunda regula. n. 8.

Expoſitio & confirmatio regulæ. ibid.

Notationes ad intelligentiam. ibid.

Quòd quis vacet rei illicitæ, non affert præcisè irregularitatem ex homicidio merè caſuali, & inculpabili. num. 9.

Probatur hæc ſententia contra communem. num. 10.

Obiectio ex variis iuribus ſoluitur. num. 11.

Conſectarium 1. Intellectus aliquot capitum tit. de homicidio. num. 12.

Conſectarium 2. an infans, dormiens, ebrius, furioſus, aliique ſimiles fiant irregulares occidendo. n. 13.

Conſectarium 3. An adulter fiat irregularis, ſi maritus vxorem occiderit propter illud adulterium. n. 14.

Conſectarium 4. An qui alteri renuntiauit acceptam iniuriam, ſi ille occidat eum à quo læſus fuit. num. 15.

Conſectarium 5. An ſit irregularis, qui potionem amatoriam propinat, ex qua mors eam bibentis ſequuta fuit. num. 16.

Conſectarium 6. An qui cauſam dedit aborſui, fœtus inanimati, ſit irregularis, ſi mater inde pereat. n. 17.

Conſectarium 7. An qui conſulit, vel mandat alteri duellum, aut vltionem iniuriæ, aut alterius cædem, ſit irregularis, ſi is, cui mandatum, aut conſilium dedit, occidatur. n. 18.

Conſectarium 8. Soluuntur caſus alij ſingulares ex doctrina tradita. n. 19.

Conſectarium 9. Quænam cooperatio ad homicidiũ pariat irregularitatẽ n. 20.

Conſectarium 10. Soluuntur ſingulares caſus ex doctrina ſuperioris conſectarij. num. 21.
An prabens arma alteri ſit irregularis. ibid.
Qui venenum miſcet, fugientem retinet, ligna congerit ad comburendum, an ſit irregularis. n. 22.
Qui aſſiſtit homicidæ, an ſit irregularis. num. 23.
Alij caſus n. 24.
Conſectarium 11. Quomodo ex quando Medici, Chirurgi & curam infirmorum habentes, incurrant irregularitatem. n. 25.
Propoſitio vniuerſalis. n. 26.
Caſus ſingulares. n. 27.
Conſectarium 12. Quandónam ex venatione contrahitur homicidij irregularitas. n. 28.
Conſectarium 13. Quandónam ex ludo, ex quo fuit ſequuta cædes, contrahatur irregularitas. n. 29.
Conſectarium 14. Expenduntur alij ſingulares euentus, in quibus dubitari poteſt, an ex homicidio caſuali contracta fuerit irregularitas. n. 30.

STatus huius quæſtionis innoteſcit ex iis, quæ initio ſuperioris annotauimus. Quare ſit

PROPOSITIO.

1 HOMICIDIVM merè caſuale & prorſus inuoluntarium, nullam induit irregularitatem, ſed tantum homicidium aliqua ratione voluntarium, quod mixtum appellamus, modò moraliter culpabile ſit, ſiue ex actione licita, ſiue ex illicita ſequatur.

PRIMA PARS PROpoſitionis.

De homicidio merè caſuali.

DIxi primò homicidium merè 2 fortuitum & caſuale, quod nulla ratione neque directè, neque indirectè, neque in ſe, neque in ſua cauſa eſt voluntarium, eo quòd neque præuiſum fuit, neque præuideri potuerit, aut debuerit, fueritque adhibita omnis diligentia neceſſaria, ne tale homicidium eueniret, quod proinde omninò fortuito caſu contingit, nullam irregularitatem parere, ita Nauarr. cap. 27. num. 220. & alij omnes, ſaltem quando quis vacabat rei licitæ; aliqui enim volunt contrahi irregularitatem ex homicidio, quod ex actione illicita contingit, etiamſi propter adhibitam diligentiam neceſſariam, omninò fortuitum fuerit; quam diſtinctionem poſtrema parte propoſitionis expendam. Nunc in vniuerſum pronuntio homicidium caſuale, & prorſus inuoluntarium, nullam creare irregularitatem, quod nemo negare iure poterit, cùm euentus omninò fortuitus tribui nequeat illi, præter cuius intentionem & culpam accidit: in hoc autem caſu non reperitur culpa in intentione homicidij, quæ nulla fuit, ſiue directa, ſiue indirecta, neque in ipſa actione, quæ neque mala, neque ex ſe, aut ex circumſtantiis, quibus veſtiebatur, periculoſa erat, non poterit etiam accuſari negligentia præcauendi periculum, quod nullum erat, aut ſaltem præuideri non poterat, etſi quod fuit, ſupponitur omnis diligentia neceſſaria adhibita fuiſſe: non apparet igitur, vnde culpa fingi queat, & irregularitas pœnalis, propter. ſic ne vndequa-

que

que inculpabilem, vt oſtendi, non valeat imponi, atque ita manifeſtò definiuit cap. lator, de homicidio, ibi enim pronuntiatur immunis ab irregularitate Clericus, qui cum alio ludens illum cultello fortuitò decidéte vulnerauerat, & occiderat cap. autem, dilectus, eod. tit. cùm equus calcaribus adactis ferociens diſrupto fræno ſeſſorem excuſſiſſet, & obuiom puerum attriuiſſet, ſeſſor immunis homicidij dicitur, & liberè de more diuina Officia celebrare permittitur; ſimile quid habetur cap. ſignificaſti 1. ibid. neque in re adeò perſpicua immorandum vlteriùs eſt.

SECVNDA PARS propoſitionis.

De homicidio indirectè voluntario.

3 DIxi ſecundò, homicidium indirectè voluntarium, quod cum Nauar. mixtum appellaui, eo quòd licèt non fuerit intentum, atque ita caſu quodam euenerit, quia tamen volitum eſt aliqua ratione, non eſt planè fortuitum creare irregularitatem, qua etiam in parte omnes conſentiunt, probaturque iuribus priori parte allatis; in iis enim idcircò homicidium non facit irregulares, qui illi cauſam dederant, quia caſu prorſus contigerat. Ratioque maniſeſtiſſima eſt, directè enim, & indirectè voluntarium non mutat ſpeciem peccati, etiamſi ipſius grauitatem augeat, aut minuat; quare qui indirectè voluit homicidium, tam verè eſt homicida, quàm qui illud directè intendit, quamuis vbi minus eſt voluntarij, minus ſit peccatum, atque adeò vnus ex iſtis homicidis grauius altero peccet, vterque tamen homicidij reus eſt; cùm igitur ſacri Canones plectunt irregularitate homicidij crimen, parum intererit ad hanc pœnam incurrendam, ſiue directè, ſiue indirectè voluntarium ſit, modò homicidium verum, & proprium ſit; quod etiam confirmatur ex ratione, quæ impulit Eccleſiam, vt ſacros miniſtros huius ſceleris omninò immunes eſſe vellet, quod minimè deceret immanitatis reos Euchariſtico, & pacifico ſacrifico conficiendo miniſtrare, quæ eadem indecentia reperitur, ſiue ſcelus iſtud directa voluntate, ſiue indirecta tantùm commiſſum fuerit.

Hoc autem homicidium mixtum committitur, vt initio primæ quæſtionis annotaſſe me memini, vel per omiſſionem non efficiendo, vel non ponendo aliquid, ex quo erat impediendum homicidium, quódque ponere poteramus, & tenebamur; de qua omiſſione fusè diſputauimus conſectario 13. & 14. quæſtionis proximæ, neque aliquid addendum reſtat hoc loco, fuerit duntaxat prudentis diiudicare, an in caſibus, in quibus diximus poſſe committi, ratione omiſſionis, homicidiũ, illud fuerit directè voluntarium, an tantùm indirectè. nam vtroque modo fieri poſſe eo loco annotauimus. 4

Secundò, committitur homicidiũ illud mixtum per actioné poſitiuam, de eóque hîc diſſerimus: id autem contingit aliquãdo immediatè exercẽdo actionẽ, ex qua cædes alterius, aut mutilatio ſequitur, licèt neque illa mors per ſe intenta ſit, neque actio quæ fit, ſit ex natura ſua ſufficiens, & proxima cauſa mortis, aut ſaltem non cognoſcatur vt talis ab operante, qui tamen potuit vitare illam actionem, & culpabiliter non vitauit, propter culpabilem, & vincibilem

vincibilem ignorantiam talis periculi; atque ita fuerit ſequutum homicidium, neque quicquam intereſt, an ea actio habeat ex ſua natura tale periculum, & quandoque in illis circunſtantiis illud habuerit, cùm reuerà ex ipſa fuerit ſequutum homicidium, atque adeò fuerit in operante obligatio vitandi illud periculum, & non ponendi actionem cum ipſo coniunctam, quare illam ponendo peccauit; aliquando verò committitur illud homicidium ponendo cauſam eius, ſiue formaliter ponatur, quia cognoſcitur eius cauſalitas proxima & ineuitabilis in homicidium, quod tunc per ſe & directè voluntarium eſt, vt diximus quæſt. ſuperiori, ſiue ponendo tantùm materialiter, quia vel ignoratur cauſalitas eius cauſæ ad cædem cauſandam; ignorantia tamen culpabili & vincibili, ſiue quia licèt cognoſcatur ea cauſalitas, exiſtimatur tamen euitabilis, & reuerà animus eſt impediendi effectum; ſed vel quoad illam euitabilitatem fallimur errore culpabili, vel ex quadam præcipiti temeritate, aut culpabili negligentia, non adhibentur, quæ neceſſaria fuiſſent ad vitandum homicidij effectum præuiſum. In his igitur omnibus committitur peccatum homicidij, vt patet, atque omnia neceſſaria ad contrahendum irregularitatem reperiuntur. Loquor autem de vero peccato externo homicidij contra quintum Decalogi præceptum; nam ſi quis peccato tantùm interno peccaret contra charitatem, aut ſimilem aliam virtutem, non incurreret hanc irregularitatem ex homicidio voluntario, aut caſuali, quòd aliàs obſeruaſſe me memini, nam iudex qui iuſta morte damnaret reum ex odio, aut qui ſe iniuſtè aggredientem iuſtè occideret, ex prauo tamen & mortifero affectu, quamuis grauiter peccarent in illo homicidio, tamen rei non dicerentur homicidij, neque ex illo irregularitatem contraherent.

Dixi porrò in noſtra propoſitione 5
culpam, quæ committitur ex negligentia, aut ignorantia in non cauendo hoc homicidio, quod idcircò voluntarium &, culpabile eſt operanti, debere eſſe mortalem ad effectum huius irregularitatis, neque venialem duntaxat ſufficere, ita Sot. lib. 5. de Iuſtitia. quæſt. 1. art. 9. Nauarr cap. 27. num. 252. Petr. à Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 1. dub 6. corollar. 2. n. 69. Valent. tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. p. 3. §. 5. Henriq. lib. 14 cap. 3. §. 1. & cap. 15. §. 1. & 7 Suar. diſp. 45. ſect. 5. num. 8. Sayr. lib. 7. cap. 5. num. 5. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4 punct. 7. num. vlt. Gordon. lib. 7 quæſt. 18. num. 60. Villalob. tom. 1. tract. 21. difficult. 22. n. 11. & 12. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 29. Bann. 2. 2. quæſt. 64. art. 2. par. 2. dub. 2. De la Crux 2 par. directorij dub. 2. de irregular. con. 6. contra Caietan. 2. 2. quæſt. 64. art. 2. & Aragon. ibid. vbi S. Thom. idem ſentire videtur, & in ſumma verb. Irregularitas. Scot. in 4. diſtinct 25. quæſt. 1. litt. F ſub fin. Mayron. ibid. diſtinct. 18. quæſt. 4. §. Notandum, & Comitolus lib. 6. quæſt. 53 quibus plures Canoniſtæ & Theologi inferiùs adducendi adhærent, dum leuem atque adeò leuiſſimam culpam ſufficere aſſerunt, quando quis vacauit rei illicitæ, aut ſaltem, vt alij exponunt, periculoſæ, de quibus dicam ſtatim; nunc in vniuerſum pronuntio, neceſſariam eſſe culpam grauem & mortalem ad hanc irregularitatem pœnalem contrahendam, imprimis, quia nullibi in iure hæc irregularitas imponitur pro culpa leui, ſed graui duntaxat, vt conſtabit inferiùs, vbi excu-

tiam ſingula loca, quibus perſuaſi fuiſſe videntur aduerſarij, vnde dixit Panormit. in cap. paſtoralis. §. verùm, de appellation. num. 15. irregularitas ſemper mortalis eſt, & ſanè manifeſtum videtur in iure, non ſufficere leuem culpam, nam cap. lator, de homicidio, vbi, vt iam diximus, excuſatur ab irregularitate Clericus, qui ludendo cum alio ita in eum corruit, vt cultello, quem ad latus habebat, decidente, ipſum occiderit, in quo caſu nemo negabit leuiſſimam ſaltem culpam & negligentiam fuiſſe, debuiſſet enim deponere cultellum, & præuidere periculum; deinde cap. quæſitum, de pœnitent. & remiſſionibus, patet ſuffocans infantem ſecum dormientem, fit irregularis, ſi vel pater id procurârit, vel *ſtudioſâ eius negligentiâ* id contingat, quæ negligentia non eſt leuis tantùm, ſed, vt exponit Cardinal. affectata & directè voluntaria, aut, vt ego veriùs exiſtimo, grauis quædam negligentia, quæ grauem culpam importet. Deinde ratio euidens eſt, cùm enim hæc irregularitas pœnalis ſit, alioquin etiam ſine vlla culpa, vel leuiſſima cõtraheretur, quod aduerſarij negant, ſupponit culpam ſibi reſpondentem, vt iuſta ſit: nemo autem negârit irregularitatem eſſe grauem pœnam; igitur & culpam grauem ad illam requiri fateatur oportet. Quod autem obiiciunt excommunicationem minorem imponi pro culpa veniali, licèt pœna admodum grauis ſit, eo quòd priuet vſu paſſiuo Sacramentorum; quod argumentum pluribus vrget Comitol. contra Nau. Non obſtat, quia, vt alias dixiſſe me memini, minor excommunicatio non cenſetur in communi hominum æſtimatione grauis pœna, ſiue quia tolli poteſt à quocunque Confeſſario, ſiue quia abſtinentia à percipiendis Sacramentis non tanti ſit: at verò irregularitas ſemper pro graui pœna fuit habita.

Ex his colliges, an ad hanc culpam neceſſaria ſit culpa lata, aut leuis, an verò etiam leuiſſima ſufficiat, ſic enim loquuntur Iuriſtæ, qui hanc triplicis culpæ diſtinctionem, vt aliàs dixiſſe me memini, ſumũt ex varia negligentia, qua quis peccauit, qui enim eam omnem diligentiam, quam adhibere ſolent vulgò prudentes homines in ſuis rebus curandis, attulit, aliquid tamen, quod adhuc neceſſarium fuiſſet, quia non niſi à ſolerti & perſpicaci ingenio facilè aduerti poterat, prætermiſit, leuiſſimam culpam admiſit; qui verò ne quidem illa ſollicitudine vſus eſt, quam homines vel mediocriter prudentes in negotiis gerendis afferre ſolent, latam culpam commiſit; leuem denique, qui medio quodam modo ſe habuit, & neque diligentiam illam exquiſitiſſimam, quæ ad vitandam leuiſſimam culpam exigitur, & omninò pauciſſimorum eſt, attulit; neque etiam ita negligens fuit, vt ne quidem partes hominis mediocriter prudentis & ſolliciti impleuerit.

Dissentivnt porrò DD. vt videbis apud Auil. 7. part. diſp. 6. ſect. 1. dub. 11. quænam ex iſtis culpis neceſſaria ſit, leuiſſimam quidem ſufficere tradit Gloſſa in cap. ſignificaſti 1. de homicidio, cui conſentiunt Hoſtienſ. & Ioan. Andr. apud Couarr. in Clem. ſi furioſus. 2. par. §. 4. num. [illegible]. negant autem apud eundem Angel. Sylu. & alij. Panormitanus verò in cap. quæſitum, de pœnit. & remiſſionib. diſtinguit, ſi enim culpa leuiſſima contigerit in omittendo, ait non ſufficere ad hanc irregularitatem, ſufficier autem, ſi in committendo acciderit. ex cap. conſuluiſti 2. quæſt. 5. & gloſſa ibid.

ibid. & quia tunc leuiſſima culpa ad leuem pertinet; neque abeſſe multùm videtur ab hac ſententia ibidem Couarruuias: alij requirunt culpam leuem; alij etiam latam volunt. Ego omiſſis iis, quæ de hac culparum diſtinctione dicta ſunt alibi, pauca quædam circa hanc materiam certiſſima eſſe exiſtimo.

Atqve imprimis nunquam contrahi irregularitatem, de qua diſputamus abſque culpa theologica, quæ, vt ait Couarr. peccati malitiam habeat, & iuridicam culpam minimè ſufficere, ita Paludan. in 4. diſtinct. 37. quæſt. 1. & 4. Alphonſ. à Caſtro lib. 2 de lege pœnal. cap. 14 concluſione 1. principali, Couarr. & alij, conſtatque ex hactenus diſputatis; quare ſi quis reuera ſit omnis peccati expers, quamuis aliquid exteriùs contra leges peccarit, irregularis minimè erit in foro interno. Fruſtráque obiicit Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. & 4. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. quod requirit diſpenſationem in homicidio caſuali, vnde malè colligit ex nouo iure, nihil referre, quæ culpa præcedat hoc homicidium, nam non condidit nouum ius Trid. quod antiquo derogarit; loquitur enim de illo caſuali homicidio, in quo diſpenſatio neceſſaria erat, cuiuſmodi eſt tantùm homicidium culpatum, vt diximus; deinde ſtatuit, à quónam & quomodo ſit obtinenda illa diſpenſatio.

Secundò, hæc culpa theologica debet eſſe mortalis, ſiue ex lata, ſiue ex leui ac leuiſſima negligentia orta fuerit; quare hæc diſtinctio triplicis culpæ communis apud Canoniſtas aptanda erit ad culpam theologicam mortalem, aut venialem, quam aliqua ex illis negligentiis coniunctam habuerit.

Tertiò, culpa theologica in hoc homicidio voluntario ſaltem indirectè non poteſt eſſe leuis, niſi ratione ſubreptionis & inaduertentiæ, quæ minuat voluntarium & liberum ſufficiens ad peccatum mortale; quia actus ex ſuo obiecto & materia mortalis, non poteſt fieri venialis, niſi ex paruitate materiæ, aut præcipiti indeliberatione, vti in vniuerſum alibi oſtendimus: in actu autem homicidij non poteſt eſſe paruitas materiæ; quocunque enim modo mors contingat, ſemper grauiſſima cenſebitur, & erit iactura vitæ; igitur ex ſola indeliberatione & ſubreptione venialis erit. Ex quibus confirmatur, quod dicebam, culpam venialem hoc loco non ſufficere ad pœnam irregularitatis; cùm enim iſta culpa nequeat eſſe venialis, niſi ratione indeliberationis, quòd talis actus licèt verſetur circa grauiſſimam materiam, ſit tamen indeliberatus, & non perfectè humanus, quis dicat actum vſque adeò imperfectum, & vix humanum, plecti ab Eccleſia tam inſigni pœna, quæ eſt ratiocinatio. Bann. 2. 2. quæſt. 64. art. 8. 2 part. dub. 1. con. 5.

Quartò, fieri poterit, vt cum leui negligentia, ſit ſæpè ſufficiens aduertentia, deliberatio, atque adeò voluntarium ad mortale, ſi nimirum tam exquiſita fuit cognitio periculi homicidij, vt requirat diligentiam plus quàm mediocrem & communem; deinde in foro externo aliquando nulla & non niſi leuiſſima negligentia cenſebitur; quæ tamen in foro interno grauis erit, & tunc iſte erit reuerà irregularis, quamuis non talis exiſtimetur; è contrario verò nonnunquam lata culpa iudicabitur à foro externo, quæ tamen non fuerit reuerà niſi leuis, aut etiam leuiſſima; quare quamuis reus leuis illius culpæ exiſtimetur irregularis, talis tamen reipſa non erit.

TERTIA PARS propoſitionis.

An ſit diſtinguenda actio licita, & illicita, ex qua ſequitur homicidium caſuale, ad eius irregularitatem contrahendam?

6 POSTREMA parte noſtræ propoſitionis dixi, neceſſariam eſſe culpam mortalem ad irregularitatem homicidij caſualis contrahendam, ſiue illud acciderit ex actione licita, ſiue ex actione illicita, circa quam doctrinam longæ ſunt ambages & DD. diſſidia, quibus veritas obducitur potiùs quàm illuſtratur; ego, vt tenebras omnes diſpellam, ſequentes regulas ſubiiciam.

PRIMA REGVLA.

7 QVI mortaliter peccat ob non adhibitam ſufficientem diligentiam in cauendo homicidio, contrahit irregularitatem homicidio ſubſequuto, ſiue vacaret rei licitæ, ſiue illicitæ.

EXPOSITIO ET CONfirmatio regulæ.

HÆc regula nullam habet difficultatem, cùm enim voluntarium ſit homicidium illud, & culpabile mortaliter, quamuis non fuerit volitum in ſe, ſed in ſua cauſa, propter ignorantiam vincibilem & negligentiam mortalem in præcauendo periculo, nihil planè fingi poteſt, vnde excuſetur irregularitas; quam certum eſt ex prima parte propoſitionis contrahi ratione homicidij voluntarij: quod autem quis vacaret rei licitæ, ex qua ſequutum tamen fuit præter intentionem, ſed non ſine culpa, eâque graui operantis homicidium, non facit, quin illud fuerit voluntarium, & quamuis non fuerit peccatum præcisè exercendo actionem licitam, ratione tamen periculi, quod in his circunſtantiis cum eiuſmodi actione alioquin nullo iure prohibita coniungebatur, & non ſatis præuiſum, aut impeditum fuit, peccauit ita operans peccato homicidij indirectè voluntarij, vt ex notatione prima ſuperioris quæſtionis, atque 1. 2. manifeſtum relinquitur, & idcircò in cap. Preſbyterum, de homicid. qui in caſtigando puero exceſſerat, fit irregularis morte ſequuta, quia etiamſi licitè caſtigaret puerum, modum tamen debitum exceſſit, atque de exceſſu tenetur l. præceptoris. ff. ad l. Aquiliam. l. ſed etſi. §. vlt. ff. eod. tit. & l. item quæritur. §. idem Iulianus. ff. locati. Ex quibus iuribus id probat Couarr. 2. part. in Clem. de homicidio. §. 4. num. 5. Denique quoties Pontifex tit. de homicidio, excuſat aliquem ab irregularitate homicidij priuata authoritate facti, duo iſta perpetuò adhibet, quòd occidens, præter cuius intentionem id accidit, vacaret rei licitæ, & ſufficientem diligentiam adhibuiſſet, ac proinde omninò caſu contigerit alterius cædes, quę ſi propter non adhibitam ſufficientem diligentiam fuiſſet illi voluntaria, reuerà ſecum traxiſſet irregularitatem, vt patet. Atque hinc liquidò ſequitur, quod de actione illicita dicebamus, nimirum homicidium ex ea ſequutum ratione mortalis negligentiæ in ipſo vitando facere irregularem ita operantem, neque illuſtrior vlla confirmatio deſideratur hoc loco.

SECVN

SECVNDA REGVLA.

8 QVi committit homicidium omnino caſuale, & inuoluntarium, propter adhibitam ſufficientem diligentiam in eo cauendo, ac proinde omnis culpæ mortalis reſpectu illius homicidij immunis manet, nullam contrahit irregularitatẽ, ſiue ex opere licito, ſiue ex illicito, prohibito atque ex ſua natura periculoſo, tale homicidium præter intentionem, ac ſine graui culpa operantis contigerit.

EXPOSITIO ET CONfirmatio regulæ.

AD perſpicuam huius regulæ confirmationem obſeruandum eſt, primò duplicem culpam reperiri poſſe in homicidio, quod ex actione illicita ſequitur.

Prior eſt in facienda actione illicita, & prohibita; cum enim legem prohibentem quis violat, reuera peccat: poſterior eſt in negligentia præcauendi homicidij, remouendo ea omnia, quæ illi cauſam dare poterant, ſiue ea quis præuiderit, ſiue non præuiderit, præuidere tamen potuerit, ac debuerit, eo quòd laboraret ignorantia culpabili, quas duas culpas diſtinctas eſſe nemo negabit, cùm ſeiunctæ reperiri poſſint, diuerſæ rationis atque ſpeciei ſint, nam poteſt reperiri negligentia remouendi ea, quæ homicidiũ cauſare valent, etiam in illo, qui actionem ſibi licitam exercet, & tunc peccabit ſola negligentia; aliquando verò, qui facit actionem illicitam, vtetur omni diligentia neceſſaria ad vitandum periculum, de quo agimus, neque peccabit ex eo capite, ſiue reipſa periculum vitet, ſiue in illud incidat; peccabit tamen ex eo, quòd opus prohibitum ſuſceperit: deinde culpa, quæ eo committitur exercendo actionẽ prohibitam, eſt diuerſæ ſpeciei, prout diuerſas virtutes actionem aliquam prohibentes violat: at verò culpa non cauendi periculi incidẽdi in homicidium, ratione alicuius actionis eſt ſemper culpa homicidij, & iniuſtitiæ, quæ obligat ad eam diligentiam afferendam, quoties ſimile periculum ſuſpicamur.

Obſeruandum eſt ſecundò, actionem aliquam in hoc noſtro caſu illicitam poſſe eſſe duobus modis. Primò, quia ſiue ex natura rei, ſiue ex lege poſitiua omnibus, vel alicui certæ perſonæ prohibita eſt intuitu alicuius alterius virtutis, quàm iuſtitiæ cauentis violare vitam proximi.

Secundò, prohibetur aliqua actio vel in vniuerſũ, vel alicui hominum generi, & ſtatui, quia vel ex ſua natura eſt apta ad mortem inferendam, vel quia eius periculum ſæpiùs coniunctum habet, ad quod vitandum prohibetur; quare aliud eſt actionem eſſe illicitam, aliud eſſe periculoſam, & quia periculoſa eſt, fuiſſe prohibitam.

His obſeruatis poſitam regulam oſtendo.

Dixi primò, neminem fieri irregularem propter homicidiũ ex eius opere licito conſequutum, ſi cauit, quantum tenebatur illud vitare, eluſa tamen eſt fortuito caſu omnis eius diligentia. Quod omnes fatentur, & apertè traditur in cap. dilectus, & cap. ſignificaſti 1. cap. ex litteris, & cap. Ioannes, de homicidio: quibus locis excuſantur plures ab irregularitate ratione homicidij caſualis, eo quòd darent operam rei licitæ: caſuale autem ibi nominatur homicidium, quod nullo facto, mandato,

aut conſilio, vllâve alia ratione fuit voluntarium operanti, quale non eſſet, ſi in eo contigiſſet aliqua culpa mortalis ratione commiſſæ negligentiæ in eo præuidendo.

Deinde hoc homicidium in ſe, neque in ſua cauſa voluntarium eſt, vt patet, neque cùm ſit omninò inculpatum, aut ſaltem careat graui culpa, puniri iure potuit pœna irregularitatis, vti dicebamus ſuperiùs, neque hac in parte nulla exiſtit difficultas, quæ tota excitatur circa poſteriorem.

Dixi ſecundò, vacantem rei illicitæ, ſi accuratam adhibuit diligentiam, ne ex ſuo opere ſequeretur homicidium, illud tamen caſu quodam ſequatur, non fieri irregularem ratione talis homicidij, contra communem Nauarri cap. 27. num. 221. & omnium Canoniſtarum apud Couarr. in Clem. ſi furioſus. 2. parte, §. 4. num. 2. atque etiam, vt videtur, S. Thom. 2. 2. quæſt. 64. a. 8. Caietan. ibid. Sylu. verb. homicidiũ, & aliorum plurium; quam tamen ſententiam ita deinde explicarunt recentiores, vt nomine rei illicitæ eam duntaxat intelligant actionem, quæ periculoſa eſt, quia aut ex natura ſua ordinata eſt ad homicidium, aut cum illo ferè ſemper, atque hic, & nunc coniuncta; tunc enim ſi ſequatur homicidium, volunt creare irregularitatem, eo quòd in eius cauſa proxima peccatum fuerit, atque idcircò homicidiũ culpabile ſit operanti non in ſe quidem, ſed in ſua cauſa. hanc communis ſententiæ interpretationem excogitauit Couarr. loco cit. n. 10. de mente veterum etiam DD. vt videtur, & deinde poſteriores ſunt magno conſẽſu amplexi. Soto lib. 5. de Iuſtit. q. 5. a. 9. Molin. tract. 3. diſp. 77. num. 5. Aragon. ſecunda ſecundæ, q. 64. a. 8. Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1. opinione 3. Corduba lib. 2. quæſtionar. q. 26. ipſeque Nauarr. in commẽt. de furto. Ferdinand. ſecunda parte medullæ. cap. 10. §. 14. num. 9. Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. Villalob. tr. 2. primo tomo. diffic. 23. n. 3. Valent. tom. 3. diſp. 2. q. 3. p. 3. Sanch. lib. 9. diſp. 32. num. 25. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 10. n. 5. quamuis ipſe requirat ſaltem culpam venialem. Vgolin. cap. 18. §. 1. Sayr. lib. 7. cap. 6. num. 11. qui alios dabunt. Nos tamen reiecta illa vulgari diſtinctione in vniuerſum aſſerimus, nunquam oriri irregularitatem ex homicidio caſuali ex opere licito, aut illicito, etiam periculoſo, ſi omnis diligentia, quam prudentia exigebat, adhibita fuit, ne homicidium contingeret. quod docuit olim Can. prima ſecundæ, q. 73. a. 8. apud Auilam, & Ioann. de la Cruz loco ſtatim citando, vbi etiam affert Pennam ſecunda ſecundæ, q. 64. a. 8. à Caſtro lib. 2. de lege pœnali, c. 14. ſub fin. Henriq. lib. 14. cap. 15. n. 1. Eman. Sà verb. irregularitas ex deformatione illicita. n. 3. ibi enim requirit peccatum mortale in cauendo homicidio, & opus quod ex natura ſua ſit cauſa illius. Leſſi. lib. 2. c. 9. dub. 15. n. 103. vbi ait ita docere recentiores, & quanquam ipſe nihil definire velit circa irregularitatem, contendit tamen nullam prorſus culpam homicidij ibi reperiri. Præpoſit. in 3. parte, q. 5. de irregul. dub. 10. num. 84. Kon. diſp. 18. dub. 9. n. 80. Hurtad. diſp. 2. de irregul. num. 28. Tanner. in tertia part. diſp. 6. q. 10. punct. 11. num. 216. Bonac. diſp. 7. de cenſur. q. 14. p. 7. num. 9. licèt deinde in limitationibus, quas apponit, videatur adhærere communi

ſententiæ Diana tract. 2. 4. p. reſolut. 20. Medina prima ſecundę q 73. art 8. Suar. diſp. 45. ſect. 6. n. 9. qui tantùm limitat quoad caſus quoſdam, quos in iure expreſſos fuiſſe putat, quod idem dixit Gordon. q. 18. lib. 7. n 61. Probabilem præterea dixit hanc eandem ſententiam Bann. prima ſecundæ quæſt. 64. art. 8. part. 2. dub. 3. & Ioan. de la Cruz dub. 12 con. 3.

PROBATVR primò. Quia hoc homicidium eſt merè caſuale, & omnino inuoluntarium in ratione homicidij, ac proinde prorſus inculpabile; ergo non pariet irregularitatem, quæ conſequentia manifeſta eſt contra Caietan. qui idcircò diſtinguit hoc loco inter culpam & irregularitatem, quia licèt fateatur omnem culpam homicidij abeſſe, abſque ea tamen vult naſci irregularitatem contra omnium DD. ſenſum, qui hanc irregularitatem pœnalem dicunt, & nullum homicidium priuata authoritate factum, atque omni culpa vacans facere irregulatem fatentur, immò & nos ſuperiùs requirebamus culpam mortalem; probandum igitur duntaxat eſt antecedens noſtri enthymematis, nimirum hoc homicidium eſſe inculpabile & inuoluntarium, nam neque directè & in ſe voluntarium eſt, vt apparet, neque indirectè & in ſua cauſa, quia adhibita fuit, vt ſupponitur, omnis diligentia ad cauendum homicidium; ergo non magis volitum eſt homicidium in ſua cauſa, ex eo quòd fuerit ſequutum ex opere illicito, quàm ſi fuiſſet ſequutum ex opere licito, cùm vtrobique fuerit poſita omnis diligentia, quam prudentia in his circumſtantiis requirebat, & ratio tota voluntarij indirecti quæ fingi poteſt in ſimili caſu petenda ſit à negligentia, & à cautione non adhibita, qui enim vult cauſam, ex qua videt, aut videre poterat ſequuturum effectum, quem cauere tenebatur, cenſetur illum velle, & ratione inconſiderationis illi imputatur, vt dixit S. Thom. quare vbi aberit omnis inconſideratio, omnis quoque aberit culpa quoad effectum prudenter non præuiſum, neque enim, vt rectè dicit Caietan. caſus fortuiti, quoties ab humana prouidentia caueri nequeunt, aut præuideri reos nos facere debent; quod igitur attinet ad homicidium, de quo diſputamus, æquè reuerà erit inuoluntarium, ſiue ſequatur ex opere illicito ſiue ex licito, quando præter intentionem & præuiſionem omnem contigerit, eo quòd in vtroque caſu præſtita fuerit ea omnis cautio, quam prudentia humana exigebat, & nulla fuerit in ea culpa, aut niſi admodum leuis; ſuppono enim ex prima ſecundæ non aliter culpabilem eſſe effectum volitum tantùm in ſua cauſa, quam fuerit culpabilis ea volitio indirecta & interpretatiua, ſiue volitio cauſæ, vt cum illo effectu comparatur; neque enim ſufficit, quod cauſa huius effectus fuerit poſita per actionem malam, etiam mortaliter, ſi ea cauſa non fuerit volita vt cauſa talis effectus per volitionem mortaliter malam, vt effectus dicatur mortaliter malus, qui primum, v. gr. ſe inebriauit, & deinde ex ebrietate in pollutionem, aut homicidium incidit, quos effectus non præuiderat, neque præuidere poterat, aut ſaltem ſi non fuit in eo niſi leuis quædam inconſideratio, atque inſufficiens ad peccatum mortale, quamuis grauiter peccauerit ſe inebriando, non tamen peccauit, aut non niſi leuiter ſeſe deinde polluendo, aut occidendo durante ebrietate, quia hos effectus non præuiderat, aut in iis præcauendis

non fuerat negligens & inconſideratus, niſi leuiter admodum, nam, vt optimè argumentantur Caietan. & Leſſi. hi effectus non ſunt voliti niſi ratione illius negligentiæ & inconſiderationis; quare non magis erunt culpabiles, quam illa negligentia & inconſideratio fuerit culpabilis: atque vt aliquid in hac ipſa materia aſferamus in aduerſaria ſententia, qui chartas luſorias confeciſſet contra prohibitionem, reus eſſet homicidij, quod committitur à ludentibus illis ſoliis,& qui ex ferro ſublato per furtum confeciſſet enſem, quo quis alium interemit, fieret homicida itaque irregularis. Cui ferociens equus frænum excuſſiſſet atque obtriuiſſet puerum obuium, eſſet irregularis, ſi equus ab illo fuiſſet alteri ſubductus, aut ſi contra prohibitionem factum equitaret: non verò ſi ſanitatis cauſa duntaxat, aut ſi proprium equum conſcendiſſet. Qui campanas pulſaret tempore interdicti ad conuocandum populum, ſi illæ ſuo caſu aliquem opprimerent eſſet irregularis, non autem ſi alio tempore idem omninò occidiſſet, qui cædendo arborem ſuam, adhiberet omnem diligentiam, ne quis opprimeretur ab ipſa, vitaret irregularitatem; quam tamen incurreret, ſi cum eadem ſollicitudine & cura arborem alienam ferro diſieciſſet. Qui venando in proprio nemore hominem profectò omnino caſualiter confodiſſet, non eſſet irregularis,& tamen ſi vel in alieno nemore, vel ſi ipſe Clericus eſſet, ob illud ipſum caſuale homicidium verè irregularis foret, quæ alia quę ſimilia abſurda docent, nihil intereſſe, verùm opus aliquod licitum fuerit, aut illicitum, quando ex vtroque æquè caſualiter ſequitur homicidium; neque diſtinctio illa, qua recentiores Canoniſtarum ſententiam molliuerunt, rei illicitæ duntaxat & periculoſæ, atque ea de cauſa prohibitæ quidquam facit, quia ſi fuit adhibita diligentia neceſſaria, vti ſupponimus, iam ea periculum omne abſterſit, & reuera cum tali diligentia ea res non eſt amplius periculoſa, ſi non fuit ſufficiens cura adhibita, iam ratione illius negligentiæ & inconſiderationis homicidium eſt voluntarium in ſua cauſa, & non omninò caſuale, & æquè contraheretur cum culpa, cum irregularitas, ſi propter eandem negligentiam ſequuta fuiſſet ex opere etiam licito, vti diximus priori regula, præterquam quòd in exemplis allatis pleræque actiones ſunt periculoſæ,vt diſſectio arboris, & venatio, ex quibus tamen, vbi fuit adhibita diligentia ſufficiens,non contrahitur irregularitas, licet homicidium caſu quodam cauſarint;& ſanè nihil admodum refert quòd aliqua actio in ſpecie ſiue ex obiecto ſuo conſiderata, ſit periculoſa; ſi deinde in indiuiduo, ſiue potius in exercitio propter varias circunſtantias abſit omne periculum, ita vt ſi quid eueniat,omninò caſu eueniat; non enim magis fuerit euentus ille voluntarius & præſcitus, quàm omnis alius effectus prorſus caſualis; ſi quid enim oriretur diſcriminis, eſſet ratione periculi,quod erat in vno caſu,& non in alio, atqui in neutro licebat vllum ſuſpicari periculum,vti ſæpiùs oſtendimus.

Hac eadem argumentatione reiicitur æquè inutilis aliorum diſtinctio de opere illicito, quod eſt cauſa remota homicidij & de illo quod eſt cauſa proxima;& quidem ex priori illi concedunt nullam induci irregularitatem, quod probant pleraque exempla à nobis inter argumentandum

ctum allata: at verò ex opere illicito, quod eſt cauſa proxima homicidij, volunt naſci irregularitatem; verùm quæro, an ius illicitum ita ſit cauſa proxima, vt ſimul etiam ſit neceſſaria, ita vt vix, quamtumuis aliquis prudenter operetur, poſſit impedire homicidium inde ſequuturum, & tunc illud erit omninò voluntarium etiam directè, vti q. ſuperiori fuit expoſitum, vel ea cauſa non eſt omninò neceſſaria, ſed ſufficiens, vt ex ea ſequatur homicidium, quod etiam frequenter ac ferè ſemper conſequi ſoleat, quamuis illud vitabile ſit, ſi quis ſollicitè ſe gerat in adhibenda cautione, tunc autem vel accurata illa diligentia ad cauendum periculum, & impediendum homicidium præſtita fuit, & reuerà, vti ſuperiùs argumentabamur, caſu tantùm fortuito contigerit, ſi quod accidit, quia periculum omne in hoc rerum & negotiorum momento abſterſum fuerat: ſi autem non fuit prudenter adhibita cautio neceſſaria, iam homicidium eſt indirectè volitum in ſua cauſa, ratione illius negligentiæ & inconſiderationis, quę ſi mortalis fuit, homicidij quoque culpa mortalis fuerit, & inducet irregularitatem: quo ſimili modo de cauſa remota diſputandum erit; ſi enim adeò ſit remota & per accidens, vt nulla ſit obligatio vitandi illam, propter effectum, qui potiùs poſſibilis, quàm futurus præuidetur, nihil erit diſcriminis inter opus licitum, aut illicitum, quòd erit talis cauſa, cùm, vt ſupponimus, nulla ſit obligatio vitandi illam ratione periculi homicidij, quod nulla ratione prudenter timetur, etiamſi aliunde omittenda ſit ea actio propter malitiam, quam aliunde habet; ſi verò ſit aliqua obligatio prætermittendi talem actionem, quia ex ea prudenter præuidetur futurum homicidium, niſi caueatur, redit iam ſæpiùs data diſtinctio, nimirum vel adhibitam fuiſſe diligentiam neceſſariam in cauendo periculo, quod iure merito timebatur, atque ita erit inuoluntarium, & inculpatum omninò homicidium, ſi quod nihilominus ſequatur; aut non fuit adhibita diligentia, quam exigebat tale periculum, & pro ratione illius imprudentis negligentiæ erit voluntarium & culpabile homicidium, de quo non agimus modò.

Denique neque periculum, neque prohibitio operis, ſi præciſè ſpectentur, faciunt, vt homicidium dicatur voluntarium in cauſa, atque adeò culpabile, non periculum quidem, alioquin chirurgus, qui vulnus periculoſum curaret ex præſcripto artis, aut qui ſagittam extraheret cum periculo ne quid acerbum inde accideret, diceretur voluiſſe in ſua cauſa mortem ex eo vulnere conſequutam; quando itaque prudenter cauetur, ne mors accidat ex opere alioquin periculoſo, non dicetur voluntarium homicidium, ſed tantùm ratione negligentiæ in cauendo periculo. Quod verò attinet ad prohibitionem operis, etiamſi illa fiat, quia opus eſt periculoſum, cùm illa ſit prorſus extrinſeca operi, non faciet vt illud magis ineuitabilem connexionem cum effectu habeat, quam haberet antequam prohiberetur; quare ſi ſecluſa prohibitione homicidium ex eo opere ſubſequutum fuiſſet prorſus inuoluntarium & caſuale propter adhibitam ſufficientem cautionem, erit quoque æquè inuoluntarium, etiamſi opus illud periculoſum contra prohibitionem alicui factam fuerit ſuſceptum, modò eadem ſollicitudine in cauendo periculo vſus fuerit, adde quòd cùm ea prohibitione alias ple-

tumque virtutes reſpiciat, quàm iuſtitiam, ex ipſarum violatione non licebit arguere commiſſum fuiſſe homicidium voluntarium, quandoquidem etiamſi intuitu iuſtitiæ prohibita eſſet actio periculoſa, non efficeret homicidij culpam poſt diligentiam, de qua loquimur, præſtitam.

11 Dices culpam quæ reperitur in opere illicito & periculoſo, puniri poſſe ab Eccleſia pœna irregularitatis, quoties ex illo opere ſequetur homicidium, etiamſi omninò caſu contingat, quæ irregularitas dicetur ex homicidio, non quia contrahatur ex culpa homicidij, ſed quia poſtulat homicidium tanquam conditionem quandam, & quia eius intuitu, atque vt omnibus modis caueatur, imponitur operi illicito & periculoſo, quod ſi vel nullum haberet adiunctum periculum, vel ſi reipſa caueretur homicidium, non puniretur ea pœna irregularitatis, quamuis eo quòd vel ex natura ſua illicitum ſit, vel lege aliqua prohibitum, culpabile foret: at verò Eccleſiam hanc irregularitatem, vti poterat, ſtatuiſſe in hoc caſu, oſtenditur ex eo quòd cap. dilectus, de homicidio, & cap. vlt. eod. tit. aliqui excuſentur ab irregularitate, eò quòd omnem adhibuiſſent diligentiam, & vacarent rei licitæ; quare duas illas conditiones exigit Pontifex, vt quis vitet irregularitatem, alioquin ſi altera ex ipſis deſit, in illam incidet, neque argumentamur à contrario ſenſu, quòd licèt infirmum forteſſe ſit apud Logicos, valet tamen apud Iuriſperitos, inquit Nauarr. c. 27. n. 222. quando ſumitur ad probandum illud, cuius contrarium non eſt in iure expreſſum. Sed argumentamur à ceſſante ratione, quæ argumentatio validiſſima eſt: prætereà ſi benè attendantur iura allata, facilè apparebit continere exceptionem duntaxat ab vniuerſali regula; cùm enim Eccleſia impoſuerit irregularitatem ratione homicidij, in iſtis deinde capitibus ſingularibus excipit homicidium caſuale, modò ſequutum fuerit ex opere licito: quod etiam confirmatur, quia alioquin nullum eſſet diſcrimen inter homicidium ex opere licito, & illicito conſequutum, quod tamen aliquod admittendum eſſe conuincit ſaltem communis interpretum ſenſus, & ipſum ius, quod ſæpiùs ſignificanter meminit operis liciti, quæ prorſus ſuperflua foret, niſi aliter de eo, quam de opere illicito ſtatueret. Denique afferuntur cap. tua nos, de homicidio, & c. vlt. eod. tit. in 6. vbi irregularitas ea tantùm de cauſa incurritur, quòd homicidium contigerit ex opere illicito.

Reſpondeo, non negare me, quin Eccleſia imponere potuerit irregularitatem facienti aliquid illicitum, atque adeò peccanti, quoties ex illo eius opere contingeret homicidium etiam omnino caſuale, de quo diſputamus: ſed nego id reuerà ſtatuiſſe, quod colligimus imprimis, quia nulla irregularitas incurritur, niſi in iure fuerit expreſſa: atqui iſta, teſte Nauarro & Canoniſtis, colligitur tantùm à contrario ſenſu, vt ex allatis ipſorum rationibus conſtat; ergo non eſt in iure expreſſa, quod enim elicitur tantùm ab aliquo per argumentum à contrario, in eo non exprimitur, vt patet. Secundò lex generalis in hac materia irregularitatis ex homicidio includit tantum homicidium voluntarium aliqua ratione, vt diximus prima parte noſtræ propoſitionis, fateturque ipſe Nauarr. cap. 27. num. 221. & ex conſectariis de infan-

te

te & furioſo conſtabit, atqui homicidium, de quo diſputamus, eſt caſuale & nulla ratione voluntarium; ergo non comprehenditur in vniuerſali regula, neque etiam alibi in aliquo peculiari iure, quod nuſquam dicit culpam, quæ per accidens omninò adiunctum habuit homicidium, quod nulla ratione voluntarium fuerit, plecti nihilominus ratione illius caſualis homicidij irregularitate.

Tertiò quando homicidium fuit commiſſum ex opere illicito, iura non petunt rationem irregularitatis ex prohibitione, aut periculo illius operis, ſed ex negligentia in cauendo periculo, vti argumentatur Kon. diſp. 18. num. 82. nam cap. quæſitum, de pœnit. & remiſſionib. tunc tantùm dicuntur parentes, qui inter dormiendum infantes ſuos opprimũt, irregulares eſſe, quando id ipſorum *ſtudioſa negligentia* accidit; ergo ſi abſit illa negligentia, quæ ſi *ſtudioſa eſt*, grauis omninò eſt, nulla contrahetur irregularitas, & tamen peccant illi parentes, quia vacant rei illicitæ & prohibitæ, atque etiam ex ſua ratione periculoſæ, & quæ ideo prohibetur, quia periculoſa eſt, vt dicemus inferiùs. c. vlt. de homicid. in 6. is qui imperat alterum verberari citra occiſionem tamen, aut mutilationem, pronuntiatur irregularis, ſi mandatarius fines mandati excedens occidat, aut mutilet, *cùm in culpa ſit*, inquit Pontifex, & hoc *poſſe euenire debuerit cogitare*. Cauſa igitur huius irregularitatis non fuit periculoſa actio duntaxat, ſed culpa in eo periculo præcogitando & præcauendo, ratione cuius homicidium non eſt caſuale, ſed voluntarium, de quo loco plura monebimus inferiùs, cap. ad aures, de ætate & qualitate ordinandorum. Canonicus Colonienſis, qui infœlici euentu quibuſdam medicinas propinarat, licèt ipſe peritus eius artis foret, rogat Clementem III. an poſſit ad Ordines promoueri? conſulit autem Pontifex, *ne, ſi ipſum conſcientia remordeat*, Ordines ſuſcipiat, vbi obſerua Pontificem non attendere, vtrùm illa ars ſit licita Canonico, an non, neque vtrùm periculoſa eſſet, ſed ſolùm an cõſcientia remordeat iſtum Canonicum ob non adhibitam nimium diligentiam, & vitatum periculum, deinde quia id forteſſis conſtare ſatis non poterat, conſulit, vt *remordente conſcientia* abſtineat à ſuſcipiendis ſacris Ordinibus, neque omninò prohibet, ſed totum illius conſcientiæ relinquit.

Quartò iura quæ afferunt aduerſarij, nihil prorſus efficiunt, nam quòd excuſetur ab irregularitate, qui operam dando rei illicitæ omnem adhibuit diligentiam cauendi homicidium, non facit, vt qui cum eadem diligentia vacaret rei illicitæ, reus ſit homicidij ex eo opere illicito per accidens conſequuti, atque adeò irregularis ſit, vti malè colligunt aduerſarij, quocunque tandem argumentandi genere vtantur: nam primò ex natura rei & principiis generalibus iuris id non ſequitur, vt oſtendimus hactenus, cùm neque culpabile ſit homicidium, neque irregularitas homicidio prorſus inuoluntario vllibi tribuatur. Secundò argumentum à contrario ſenſu non valet, vt omnes fatentur, qua de re fuit alibi dictum, ſed maximè in irregularitatibus, quæ nullæ ſunt, niſi in iure exprimantur: atqui quando tantùm colliguntur per argumentum à contrario ſenſu, non exprimuntur in iure, vt iam monuiſſe me memini. Tertiò neque quod dicebat Nauarrus, ſit argumentum à ceſſante

ratione, quia, vt non diſputem, an illud valeat in irregularitatibus, propter expreſſionem, quam debent habere in iure; ratio formalis, propter quam aliquis vitat irregularitatem, non eſt quòd vacet rei licitæ, & ſollicitudinem neceſſariam adhibeat, ita vt altera ex his rationibus deficiente, incurratur irregularitas, id enim probandum foret aduerſariis, nam id non dicit Pontifex, ſed tantùm affert rationes, propter quas in tali caſu nulla poſſit eſſe ſuſpicio irregularitatis; neque enim quando Princeps rationem aliquam ſuæ reſponſionis circa caſum aliquem particularem affert, vult, aut definit eam rationem eſſe neceſſariam, ita vt in aliquo caſu deficiente ea ratione de illo ſtatim & neceſſariò aliter ſtatuendum ſit, ſed tantùm illa ratione vtitur, vt oſtendat prudenter in caſu propoſito ita reſponderi, quod in ſcientia canonica fuſiùs diximus atque in hac noſtra materia euidenter oſtendit Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. num. 85. nam cap. ex litteris 2. de homicidio, conſultus Pontifex, an Monachus, qui deponens campanam ex campanili lignum moueat, cuius caſu fuerat occiſus puer, poſſet promoueri ad ſacros Ordines? reſpondet poſſe, ſi rem neceſſariam agebat & vtilem, & in loco per quem nullum tranſiturum crederet; quis tamen ex ea reſponſione Pontificis colligat, niſi admodum abſurdè, hæc omnia neceſſaria eſſe, vt qui vitet irregularitatem ex homicidio fortuito, alioquin qui rei licitæ vacaret cum ſufficienti diligentia; ſi tamen ex illa ſequeretur fortuitum homicidium foret irregularis, niſi illa actio non modò licita fuiſſet, ſed etiam neceſſaria & vtilis, quod non afferent aduerſarij, cùm planè pugnet in cap. ſignificaſti 1. & cap. ex litteris 1. voluit igitur Pontifex nullum ſupereſſe dubium irregularitatis currentibus omnibus illis circumſtantiis, neque tamen definiunt, an aliqua deficiente contraheretur irregularitas, atque ex his vides iura allata ab aduerſariis, non continere exceptionem à regula generali, quæ imponat homicidio irregularitatem, & deinde in capitibus citatis ab aduerſariis excipiat homicidium caſuale, quoties cum re licita coniunctum fuerit, nam regula generalis homicidio voluntario impoſuit irregularitatem, non autem merè caſuali, quod cùm voluntarium non ſit, non debuit vlla particulari lege excipi, ſed tantùm declaratur, vt dixi, vtrùm in quibuſdam particularibus caſibus ibi propoſitis fuerit ſufficiens cauſa excuſans ab irregularitate.

Ad confirmationem petitam ex eo quòd iura perpetuò ſtatuant diſcrimen aliquod inter homicidium ſequutum ex opere licito, & ex illicito, quod nos omninò ſuſtuliſſe videmur. Reſpondetur quantum ad culpam homicidij, & irregularitatis pœnam, nihil planè differre, cùm in neutro caſu committatur homicidij culpa, aut ob eam naſcatur irregularitas, nihilominus forum externum præſumit culpam, & non adhibitam neceſſariam cautionem, quando opus erat illicitum, atque ita pronuntiet incurſam fuiſſe irregularitatem; deinde maior omninò cautio adhibenda eſt ad vitandum homicidium, quando opus, quod ſuſcipitur, habet coniunctum illius periculum, atque ea de cauſa prohibetur, vt aduertit Medin. 1.2. quæſt. 73. art. 8. tunc enim procliue admodum eſt, vt quis ex inconſideratione atque incuria grauiter peccet; quod non contingit in

opere

opere licito, vnde non mirum ſi plerumque propter homicidium ex periculoſo opere conſequutum ſuſpicio iuſta ſit de irregularitate, neque ex iure vllum aliud diſcrimen neceſſario inter iſta ſtatuendum eſſe probabunt aduerſarij.

Quæ autem particularia loca obiiciebantur, proximo conſectario expendentur. Ex his porrò collige, quàm immeritò Nauarr. arguerit Sotum, *quod,* inquit, *nimis audacter dixeris contra omnes Canoniſtas, immò & Theologos, non eſſe textum probantem, quòd ex deformatione caſuali ex opere illicito ſequuta, fiat quis irregularis.* id enim ſapientiſſimè, & veriſſimè dixit Sotus, vti hactenus oſtendimus.

CONSECTARIVM I.

Intellectus aliquot capitum ex homicidio.

12 EX doctrina ſtabilita colligo imprimis, quæ ſit genuina, & vera ſententia nonnullorum capitum in titulo de homicidio.

Cap. Preſbyterum, quidam Preſbyter dum puerum caſtigat, & illum ita percuſſit in capite, vt poſt paucos dies expirarit, deponitur ab officio ſacerdotali, quia, vt ibi innuit gloſſa, & Couarr. §. 4. cit 2. part. in Clem. de homicidio. num. 5. peccauerat excedendo correctionem, & facile præuidere poterat ac debebat ex percuſſione capitis homicidij periculū, alioquin ſi iſta cauiſſet, non fuiſſet irregularis, recte enim dixit Felin. in illud cap. num 43. leuem culpam non fuiſſe nocituram delinquenti.

Eodem modo interpretor c. continebatur; ex graui enim inconſideratione peccauit ille Diaconus, qui ibi damnatur irregularitati, quod non depoſuerit falcem, qua erat accinctus, cum deberet præuidere periculum, quod erat in eo genere ludi, ſi quis ferro, aut cultro ſuccinctus luderet. Quare ex eo capite Felin. ait vacantem rei licitæ, aut illicitæ teneri de homicidio ſubſequuto, ſi non adhibuit diligentiam, quam tenebatur; atque hunc ludum fuiſſe licitum etiam à laico, oſtendit Couarr. §. 4. cit. num. 8. quidquid alij dicant de ludis Clericorum, & ſecularium inter ſe prohibitis, de quibus adi Bellet. diſquiſit. clerical. part. 1. tit. de diſciplina clericali §. 4. n. 17.

Neque etiam alius eſt intellectus. cap. ad audientiam, vbi Clericus, dum corrigia, qua cingebatur, famulum percutit, & cultello illi corrigiæ alligato vulnerauit, peccauerat enim inconſideratione atque ratione dubij, an ex illo vulnere obiiſſet ille puer, remouetur ab altari. In quibus omnibus vides totam cauſam irregularitatis peti ex inconſideratione in præcauendo homicidio.

Cap. ſicut ex litterarum. Clericus impudice ludens libidinis cauſa cum muliere prægnante, & cauſam abortui præſtans, eſt irregularis, quia, vt cōſtat ex ipſo textu, & obſeruat Molin. diſp. 77. num. 7. tract. 3. & Couarr. §. 4. cit. num. 10. culpabiliter cauſam dederat illi abortioni, & peccauerat contra quintum Decalogi præceptum; quare eandem incurriſſet irregularitatem laicus, aut quilibet alius, qui cum eodem periculo eademque inconſideratione luſiſſet, & abortui cauſam dediſſet, quamuis alioquin ratione perſonæ affinis, aut conſanguineæ, aut etiam mariti ludus ille honeſtus fuiſſet, quod malè negauit Nauarr. cap. 28. num. 236. Sayr. lib. 7. cap. 6. n. 15. Graff. pri-

ma parte, lib. 1. cap. 63. num. 25. & cap. 66. n. 13.

E contrario cap. lator. cap. dilectus. cap. ex litteris 1. & 2. cap. ſignificaſti 1. & cap. Ioannes, & cap. vlt. non incurritur irregularitas propter impraeuiſum caſum, qui humana prouidentia vitari non poterat, cùm accurate cautum fuiſſet, ne quid mali accideret, quod ex ipſo textu patet; itaque quod aliqui ex cap. lator, colligunt eum, qui alium caſu interficit in ludo publicè permiſſo, non fieri irregularem; ſecus verò ſi id contingeret in ludo noxio, vt haſtiludio, iam ſuperius reiectum eſt, ſi in vtroque ludo idem caſus fortuitus contingeret, nullibi incurretur irregularitas.

Cum etiam nulla culpa ſeſſoris feroculus equus puerũ obtriuerit, nulla eſt contracta irregularitas, cap dilectus, quod etiamſi ille equitaret illicitè, & contra prohibitionem ſibi factam, verum eſſet, vt iam monuimus, quia culpa ratione cuius homicidium illi ſeſſori poteſt eſſe voluntarium, & culpabile, non eſt in illicita equitatione, ſed in modo equitandi, & in negligentia cauendi aliquod periculum homicidij, maximè ſi nouerat equum eſſe durioris oris, vt explicant Maiol. lib. 3. cap. 48. §. 3. num. 13. Farinac. in praxi crim. parte 5. q. 126. n. 25. Beja prima parte, reſponſ. caſu 4. Quare ſapienter addit Molina diſp. 77. citata, num. 7. etiam ſi ille Clericus, de quo in eo cap. agitur, equitaſſet ad fornicandum, non futurum fuiſſe irregularem ob illud homicidiũ caſuale, non placet tamen quòd ipſe aliqui relati rationem petant ex eo, quod illa equitatio etiam animo fornicandi facta, non erat periculoſa reſpectu homicidij, quod caſu contingit, quamuis mala aliunde foret: ſi autem periculoſa fuiſſet, etiamſi caſu eodem modo contigiſſet homicidium, quod in eo capite ſupponitur euenisse, fuiſſet irregularis, quod poſtremum negandum conſtanter eſt ex dictis ſuperius, cum ad hanc irregularitatem poſtuletur aliquod voluntarium, quale nullum omninò fuit in eo caſu, & ad illud voluntarium impertinens omninò fuiſſet periculum, quod per adhibitã diligentiam iam ſublatum fuiſſet. Quo eodem modo explico cap. ex litteris 1. & 2. contra Molin. in diſp. cit. & alios Canoniſtas, atque Barboſam in collectaneis ad ea capita; idemque planè caſus contingit in cap. ſignificaſti 1. cap. Ioannes, & cap. vltimo, quorum omnium alia ratio non eſt, niſi quia fuit adhibita diligentia, atque idcirco homicidium fuit omninodè caſuale atque inuoluntarium, quod cùm æque reperiatur, quando opus ex quo contingit, erat illicitum, atque etiam, ſi lubeat, periculoſum, malè ex iſtis capitibus colligunt DD. Canoniſtæ ex opere illicito ſubſequutum homicidium caſuale parere irregularitatum, quod fusè, & ſolidè fuit à nobis demonſtratum.

Difficilius videtur cap. tua nam in eo Monachus chirurgiæ peritus, qui pietatis cauſa aperuit apoſtemata in gutture mulieris, adhibita omni diligentia, declaratur irregularis, quia ea fœmina inde mortua eſt, licèt ſua culpa, eo quod contra præſcriptũ illius Monachi expoſuerit ſe vento; vnde colligunt paſſim DD. homicidium prorſus caſuale & inculpatum facere irregularem, quando ſequitur ex opere illicito, vti vides hoc loco in iſto Clerico, qui *alienum officium vſurparat*, vt loquitur Pontifex. Ita Molin. diſp. 77. Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1.

ſect. 1. dub. 2. Villalob. tract. 21. difficul. 24. tomo 1. Alij verò vt Suar. Gutton. Bonac. Layman volunt hunc casum in iure expreſſum eſſe, & continere exceptionem a regula generali, quæ negabat homicidium inculpatum priuata authoritate commiſſum producere irregularitatem

Dicendum tamen eſt cum Soto, Præpoſit. Kon. Hurtad. in illo capite non dici irregularem Monachum, ſed potiùs contrariũ indicari, nam Pontifex ait primò, illum Monachum grauiter diliquiſſe alienum officium vſurpando. Secundò, nihilominus ſi pietate, non cupiditate ductus id fecerit, & peritus chirurgiæ fuerit, omnemque ſtuduit, quã debuit, diligentiam adhibere, *non eſt*, inquit, *ex eo quod per culpam mulieris contra conſilium eius accidit, quòd non poſt ſatisfactionem condignam cum eo miſericorditer poſſit agi, vt diuina valeat celebrare*. Tertio ait Pontifex, hunc Monachum ſi non adhibuiſſet ſufficientem diligentiam, aut ſi imperitus artis fuiſſet, ab omni ſacerdotali officio ex rigore iuris remouendũ eſſe, *alioquin*, inquit, *interdicta eſt ei ſacerdotalis ordinis exequutio de rigore*. Ex quibus manifeſtum fit, Monachum iſtum non eſſe irregularem, quia eius culpa non contigit homicidium, quamuis peccarit alienum officium vſurpãdo: ſi autem eius vel imperitia, vel negligentia contigiſſet mors mulieris, ex rigore iuris futurum fuiſſe irregularem; quare tantum abeſt, vt ex eo capite aliquid in ſuam ſententiã ſumere poſſint aduerſarij, vt potiùs illo impugnentur: vt quid enim poſuit Pontifex particulam illam aduerſatiuam, *alioquin*, *& iuris rigorem* poſtulare dixit interdictionẽ ſacrorum, ſi imperitia, vel incuria peccaſſet in curanda illa gutturis [illegible], indeque fuiſſet ſequuta mors, [illegible] eidem etiam omni cura, & peritia adhibita volunt aduerſarij iſtum Monachum ex iuris rigore irregularem, atque omnis ſacerdotalis officij exequutione prohibitum eſſe. Qua in re quis non [illegible] illos apertiſſimè cum Pontifice pugnare, qui fruſtrà diſtingueret in ſua reſponſione duos caſus, in quorum altero contigerit mors mulieris abſque vlla culpa Monachi ipſam curantis, in altero vero acciderit ex culpa Monachi imperitia, & negligentia: atque in hoc poſtremo ipſum interdictũ eſſe omni exequutione ſacerdotalis officij, ex iuris rigore; in priori autem illo, in quo vacat omni culpa quoad illam mortem, reprobandum non eſſe, quin poſt condignam ſatisfactionem valeat diuina celebrare, nam ſi etiam eo caſu eſt irregularis, ipſi quoque ex iuris rigore interdicitur omnis exequutio ſacerdotalis officij, hoc enim neceſſariò, & eſſentialiter importat irregularitas, ineptit itaque Pontifex in ſua diſtinctione, ait aliquid contineri in vno membro, quod non continetur in alio: atqui in poſteriori, in quo peccauit Monachus imperitia, & negligentiâ, quæ fuit cauſa homicidij, incurritur irregularitas ex iuris rigore; ergo in alio, in quo peccauit tantum vſurpando alienum officium, non incurretur irregularitas: vnde etiam permittitur diuina celebrare poſt condignam ſatisfactionem pro culpa commiſſa in vſurpando alieno officio, quam culpam grauem fuiſſe dicit Pontifex; ait enim *multum peccaſſe*, quare, condigna *ſatisfactio poſtquam cum ipſo miſericorditer agi poterit*, non eſt diſpenſatio, vt falsò exiſtimant aduerſarij, alioquin etiamſi peccaſſet iniuriâ, &

imperitiâ

imperitiâ iſte Monachus, diceretur *poſt condignam ſatisfactionem poſſe ex miſericordia diuina celebrare* permitti, id eſt, obtenta diſpenſatione; quis enim id neget. Eſt igitur pœna imponenda pro culpa commiſſa alienum officium vſurpando, in qua etiã aliquid erit miſericordiæ, eo quòd ob illud crimen potuiſſet à Sacramentis remoueri; neque illa formula verborum, *poteris miſericorditer cum ipſo agi,* ſignificat hoc loco irregularitatem, nam idem dicitur de Clerico, qui in duello partem digiti amiſerat, cap. 1. de corpore vitiatis, cùm tamen iſte, vt docui cap. ſuperiori, minimè, eſſet irregularis, ſed deponendus eſſet, ex cap. 1. de Clerico pugnante in duello. Præterea cap. vlt. de bigamis, dicitur diſpenſare Epiſcopum cum ſacerdote, qui plures habuit concubinas, ſicut cum fornicatore ſimplici, vt ſacerdotalia munia obeat, conſtat tamen ex alibi dictis, cocubinarium Sacerdotem non fuiſſe bigamum, neque ea de cauſa irregularem. Igitur ex his loquendi formulis non licet colligere irregularitatem, niſi aliunde conſtet, illam in iure latam fuiſſe, quandoquidem vides illas vſurpari in caſibus, a quibus certum eſt omnem abeſſe irregularitatem.

Cap. vltimum de homicidio in 6. In quo dicitur irregularis, qui mandarat percuſſionem cum prohibitione occidendi, ſi ex ea percuſſione contra eius licet voluntatem ex temeritate, aut malitia mãdatarij mors ſequatur, ſuperiùs explicatum fuit, in in eo enim apparet fuiſſe imprudentiam in imperando aliquid, ex quo debuit cogitare ſequuturum homicidium, affirmat ipſemet Pontifex, quare ex hoc textu malè contra nos argumentantur aduerſarij, contra quos nos illo ipſo vſi ſumus.

Consectarium II.

An infans, dormiens, ebrius, furioſus, aliique ſimiles fiant irregulares occidendo?

EXpositis vniuerſalibus regulis atque iuribus, ex quibus eæ deſumptę ſunt, plurima deinceps circa caſus ſingulares licebit definire. 13

Primum eſt, an qui carent ratione, fiant irregulares, ſi quem occidant, indigeántque deinde diſpenſatione, vbi ſui cõpotes facti fuerint.

Reſpondetur, non incurrere, ac proinde neque furioſum, neque infantem, neque dormientem, neque ebrium ſiue occidant, ſiue mutilent fieri irregulares. Primò, quia illud homicidium eſt omninò ipſis inuoluntarium, & inculpabile, quale nunquam facere irregularem, quando priuata authoritate committitur, diximus prima parte noſtræ propoſitionis. Secundò, de infante, furioſo, & dormiente habemus definitionem in Clem. vnic. de homicidio. de his tamen ſingillatim agemus.

Quoad furioſum igitur attinet, cùm ne quidem in iure ciuili teneatur de homicidio, & ab omni pœna excuſetur, propter crimen in furore commiſſum, vt late tradunt Tiraquell. de pœnis temperand. cauſa 2. Molin. tract. 3. diſp. 28. & alij, neque etiam in iure Canonico, quod eadem æquitate nititur, puniendus erit, neque quidquam refert, quod iſte ſua culpa, eáque graui inciderit in furorem, vt aduertunt Auila 7. parte, diſp. 6. ſectione 1. dub. 12. Nauarr. cap. 27. num. 230. Henriq. lib. 14. cap. 15. num. 7. & alij, quia reuera tũc homicidium, quod furore durante

durante committitur, eſt inuoluntarium; ſi enim in lucido aliquo interuallo alium occideret, puniretur iure ciuili. l. Diuus ff. de officio præſid. vt monet Couarr. in Clem. ſi furioſus 3. part initio num 2. Quomodo verò extra inſaniam, in lucido aliquo interuallo peccauerit, tradit Couarr. in 4. Decretal librum part. 2. c. 2. n. 5. & nos alibi.

Secundò infans excuſatur ab irregularitate in eadem Clement. ſed gemina reſtat dubitatio, prima an ſi nondum exacto ſeptennio, quo ſolet vulgò infantia definiri, puer iam nactus fuerit plenum atque perfectum rationis vſum, incidat in irregularitatem, ſi quem occidat, vel mutilet, tunc enim videtur ceſſare cauſa huius conſtitutionis, & excuſans à pœna, doli nimirum incapacitas, atque defectus rationis & intellectus ad aliquid diſcernendum, vt dicitur l. infans ff. de ſicariis, vnde fatentur omnes illum & omnis grauioris culpæ immunem, & omnis pœnæ liberum eſſe, Tiraquell. de pœnis tempe rand. cauſa 7. Anton. Gomez tom. 3. variar. cap. 1. n. 37. & alij relati à Barboſa in collectan. ad hanc Clement. num. 7. atqui in noſtro caſu ceſſat illa ratio, hunc enim infantem ſuppo nimus doli capacem ac culpæ; quare & pœnæ obnoxium, atque etiam re uerà irregularem fore dicunt Couarruuias l. cit. num. 5. Villadiego, Ioan. Andr. & alij à Couarru. ibidem, atque à Sayr. lib. 6. cap. 17. num. 30. relati; quibus acceſſerunt Sanch. lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 8. Bonacina diſp. 7. q. 4. punct. 7. num. 5. qui Molin. & alios allegat. Verius tamen exiſti mauit Auila. Sayr. aliique nullam eo caſu contrahi irregularitatem, quia pietate quadam ducta Eccleſia eam pœnam condonauit infantiæ, ob eius teneritudinem, & non ob ſolum defectum rationis: argumentum autem à ceſſatione cauſæ ductum non valet, niſi vbi ceſſat cauſa adæquata; cùm igitur Clem abſolutè definierit in fauorem infantiæ, ne irregularitatem ex culpa contraherent, non eſt, cur illum fauorem noſtris interpretationibus minuamus.

Secundò dubitari poterat, an qui poſt ſeptennium adhuc doli incapax eſt, hanc irregularitatem valeat incurrere, quod negandum eſt cum Auila, & Sayr. qui alios dabunt contra Maiol. lib. 3. cap. 48. initio. n. 11. & gloſſa in cap. 2. de delictis puerorum. v. multum, quia hæc occiſio non erit tali voluntaria, etiam in cauſa ſua, neque vlla ratione culpabilis; qualem tamen eſſe oportet vt puniatur tam graui præſertim pœna, vbi tamen dubitatur, an fuerit vſus rationis, poſt ſeptennium eſſe præſumitur, vt obſeruauit Sanchez l. citat. num. 13.

Tertiò dormiens in eadem Clementina excuſatur ab homicidij irregularitate, eo quòd occidendo minimè peccet, & furioſo ſimilis ſit. cap. ſanè 15. quæſt. 1. cap. maioris §. item quæritur, de Baptiſmo, atque alibi; quia verò nonnulla, quæ in ſomnis contingunt, ſolent eſſe volita in ſua cauſa, atque adeò in illa eadem cauſa peccata, hinc fit, vt ſi eiuſmodi fuerit occiſio à dormiente commiſſa, pariat irregularitatem; ſi enim dum vigilaret, aduerrit ſe in ſomnis ſolitum eſſe facere, atque arreptis armis obuium quemque aggredi, præuideatque ſimile periculum, neque conetur eius præſcindere occaſionem, antequam ad dormiendum ſe componat, reus erit occiſionis conſequutæ, vtpote in ſua cauſa indirectè volitæ, atque adeò pœna temporali punietur, licèt

non pœna ordinaria, ex communi DD. quos dabit Couarr. loco citato num 6. incurret ergo irregularitatem, cùm nihil ſit quod ab illa excuſet, quandoquidem ex regula generali illa perpetuò contrahitur ex homicidio voluntario, quale iſtud eſſe oſtendimus, atque ita docent Couarruuias, Ancharan. & Cardinal. in eandem Clement. & cæteri communiter.

An verò qui conatus inimicum occidere, & ita excandeſcens ita obdormit, vt in præcedenti æſtu inter dormiendum occidat inimicum, ſiue alium, quamuis non eſſet ita ſolitus dormiens furere, ſit irregularis, quærit Paludan. in 4. d. 32. quæſt. 1. art. 3. affirmátque, quia illa occiſio eſt volita in ſua cauſa, nimirum iracundia & conatu, illam, dum vigilaret, committendi. & ſicut ille, qui ex turpi cogitatione, cui conſentit vigilans, reus eſt pollutionis ex eadem cogitatione inter dormiendum ſubſequutæ, ita hic eſt volita in ſua cauſa. Id tamen iure negat Couarr. vbi & communem eſſe dixit, ſequitúrque Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1. dub. 14. quia illa ira, & quæ in vigilia acciderunt, non ſunt cauſa proxima huius occiſionis, neque in illis ea præuideri potuit, ac proinde neque intendi, vti fuit explicatum; quare nullo modo fuit voluntaria, ſed prorſus caſualis, cùm tamen pollutio nocturna conſequens mortalem cogitationem in vigilia imputetur dormienti, quia plerumque ex ſimili primo conſenſu excitari ſolet: at vero imaginatio occiſionis in vigilia vix illam in ſomnis deinde cauſat.

Ad extremum dixi in noſtro conſectario, eadem omninò de ebrio ſtatuenda eſſe, licèt illius non meminerit iſta Clementina, vnde Imola, & Cardinal. illum, ſi quempiam occidat, irregularem eſſe volunt, quod placuit etiam Villadiego, Tabienæ & Syluestr. Verùm præſtandum eſt in diſtinctione data, ſi enim præuidit formaliter, aut interpretatiuè ſequuturum homicidium ex ſua ebrietate, & non adhibuit neceſſariam diligentiam ad illud impediendum, fit irregularis, etſi ebrius occidat, non autem ſi nulla ratione hoc homicidium præuiderat, quia in priori caſu homicidium eſt voluntarium indirectè in ſua cauſa, atque adeò mortaliter culpabile propter negligentiam mortalem in eo vitando; in poſteriori verò eſt caſuale & fortuitum. Itaque cenſet Couarr. l. cit. n. 3. & 4. Auila ſect. 1. diſp. 6. dub. 15. Nauarr. à Caſtro, alijque, quos ipſi atque Sayr. lib. 6. cap. 17. num. 34. dabunt; quòd verò non meminerit Clemens ebrij, non vrget, quia illum comprehendit in furioſo, & ſatis continetur in regula generali, de neceſſitate voluntarij homicidij ad hanc irregularitatem; quòd verò peccauerit ſe inebriando, nihil confert ad hanc irregularitatem ſi homicidium non fuit voluntarium, vt tertia parte propoſitionis noſtræ fusè oſtendimus.

Consectarivm III.

An adulter fiat irregularis, ſi maritus vxorem interficiat propter adulterium commiſſum?

Respondetvr non eſſe, quia 14
adulterium & prouocatio ad illud miſſione litterarum amatoriarum, aliiſque eiuſmodi ſolitis rationibus non tendit per ſe ad homicidium, quod proinde dici nequit in illo adulterio

terio tanquam in ſua cauſa volitum; quare ſi contingat, omninò caſu continget: ſi tamen in aliquo caſu particulari potuit adulter, aut iure debuit ſuſpicari periculum homicidij propter iracundum mariti animum, & imprudentiam, qua ipſe vtitur in tegendo adulterio, aut in ſollicitanda muliere, & quia iam minæ atque verbera præceſſerunt, exiſtimo illum adulterum rem eſſe homicidij conſequutij, atque adeò irregularem eſſe; atque ita ſentiunt Suarez diſp. 45. ſect. 6. num 5. Filliuc. tract. 20. cap. 3. num 80. Layman. lib. 8. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 2. Qua ratione concilientur diuerſæ ſententiæ, quarum altera ſimpliciter affirmat hunc adulterum iregularem eſſe cum Nauarr. cap. 27. n. 238. Gutierr. lib. 2. Canon. qq. cap. 6. num. 42. Ioann. de la Cruz in directorio dub. 11. de irregul con. 4. Maiol. lib. 5 cap. 48. §. 3. num. 15. Alij autem ſimpliciter negant irregularitatem hoc loco cum Auila diſp. 5. ſect. 3. dub. 3. con. 2. Couarr. 2. p. in Clement. §. 4. num. 10. à Caſtro lib. 2. de lege pœnali. cap. 14. & Aragon. 2. 2. q. 64. art. 8. à quibus non multum abeſt Diana 4. part. tract. 2. reſolut. 1. Obiicit Nauarr. ita fuiſſe declaratum à Pio V. cum in Romana Pœnitentiaria ſimilis quæſtio agitaretur circa clericum adulterum, cuius occiſione maritus vxorem ſuam occiderat. Reſpondetur cum Henriq lib. 14. cap. 3. §. 4. littera P. vel Pium tanquam Doctorem priuatum reſpondiſſe, vel certè, quod probabilius eſt, illum clericum potuiſſe & debuiſſe illud homicidiũ præuidere. Idem porrò dicendum eſt, quando affines, aut conſanguinei fœminam interimunt, aut maritus ſeipſum deſperatione actus præcipitat, aliaque eiuſmodi accidunt, de quibus ibidem Maiol.

CONSECTARIVM IV.

An qui alteri renuntiauit iniuriam acceptam, ſit irregularis, ſi ille occidat eum à quo iniuriam accepit?

ALIQVIS marito adulterium vxoris aperit, quam ille deinde confodit, aut amaſiam, cuius perfidiam ab alio quopiam didicit, quæritur an iſti delatores ſint irregulares. 15

Reſpondetur niſi magna quædam leuitas & inconſideratio excuſauerit hos delatores à graui culpa, reuerà illos eſſe homicidij ſubſequuti reos, atque ita fieri irregulares, quod multo magis continget, ſi animo illud homicidium procurandi iſta ſiue verè, ſiue falsò deferant; immò licèt habeant ius aliquod monendi maritum, aut alium de accepta iniuria, ſi nihilominus iure ſuſpicari debuerint infauſtum cædis euentum, & nihilominùs detulerint, eſto non peccent, propter varias cauſas excuſantes in ea delatione, peccant tamen cauſando ſua leuitate iniuſtam alterius mortem, quam præuidere debuerunt, & incurrent irregularitatem ex homicidio voluntario, vt tradit Vgolin. cap. 16. num. 9. Præterea fieri iſtos delatores irregulares, eo quòd fungantur vice accuſatoris, accuſationi enim iudiciali ea denuntiatio æquiualeret, docet Maiol. lib. 3. cap. 48 §. 2. num. 7. & Sayr. lib. 7. cap. 2. num. 26. quod mihi tamen non placet, neque enim iſta extenſio irregularitatis ex inculpabili accuſatione propter defectum leuitatis ad ſimilitudinariam tantùm accuſationem abſque vllo iure fieri

debet; fateor tamen raro contingere, vt delatores iniuriarum, quoties ex illis mutilatio, vel cædes ſequitur, vitent irregularitatem, propterea quòd cauſam culpabilem illi homicidio dederint.

Consectarivm V.

An ſit irregularis, qui potionem amatoriam propinat, ex qua mors eam bibentis ſequitur?

1 ITA accidit Deianiræ, quæ nocere noluerat Herculi, cùm ei veſtem centauri tinctam ſanguine dedit, ſed eius amorem conciliare, quare errore peccauit, non voluntate, vt Sophocles & Cicero teſtantur. Hoc tamen crimen, quando habet adiunctam mortem, ſeuerè puniunt leges, nam l. 3. ff. ad l. Cornel. de ſicariis, ex ſenatuſconſulto relegari iuſſa eſt ea, quæ non quidem *malo animo, ſed malo exemplo* medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſit, ita Vlpian. l. citata: at verò Paulus in l. ſi quis §. qui abortionis, ff. de pœnis. *qui aut abortionis, aut amatorium poculum dant, etiam non dolo malo*, damnat in metallum, ſi humiliores ſint; ſi autem honeſtiores, relegat in inſulam amiſſa parte bonorum; quòd ſi perierit, cui propinatum eſt poculum illud, ſumno ſupplicio affici vult dantes. Cuius diuerſitatis inter hos Iuriſconſultos cauſam reddit Couarr. in Clem. de homicid 2. part. initio num. 2. quia licèt vtrobique abſit dolus, poculum tamen amotorium, vel abortionis habet adiunctum præſens periculum mortis, aut grauioris læſionis: at verò poculum ad conceptionem cùm componatur ex iis, quæ homines natura debiles fortiores efficiant ad generationem, non tendit per ſe ad mortem, aut eius periculum, atque ex hac reſponſione Couarruuiæ ſequitur propinantem poculum amatorium mulieri, ſi ex eo moriatur, fieri irregularem.

Mihi tamen contrarium videtur, niſi enim ſuſpicari debuerit eſſe aliquod periculum in eo poculo, ne dum amorem excitat, grauiter ſanitati noceat, propter medicamenta, ex quibus confectum eſt, aut ſi ſimile quidpiam præuiſum fuerit, ſed temperatum, ita fuerit eiuſmodi temperamentum, vt abſque valetudinis damno hauriri poſſit ex prudenti Medicorum iudicio, non putarim eſſe irregularem, qui illud porriget, etiamſi inde ſequatur interitus mulieris ipſum haurientis, quia ea cædes erit omninò caſualis, & inuoluntaria; philtrum enim amoris cauſa datur, non interitus, qui maximè caueri debet ab eo, qui ſui amorem excitare curat. Idem dico de poculo concitante iram, aut odium; quare Ariſtoteles in magnis moralibus narrat fœminam, quæ ſuum amaſium ſimili poculo interemerat, Areopagi iudicio abſolutam fuiſſe ab homicidio; quanquam quod attinet ad pœnam huius criminis, maximè in foro ciuili, diſputabitur alibi commodiùs.

Consec

CONSECTARIVM VI.

An qui cauſam dedit aborſui fœtus inanimati, ſit irregularis, ſi mater inde pereat?

17 QVOD verò attinet ad poculum cauſandæ abortioni, conſtat ex q. ſuperiori, ſi fœtus animatus per illud excutiatur, committi homicidium voluntarium, atque adeò contrahi irregularitatem; ſed modò agimus de poculo aliáve cauſa abortionem efficiente comparata cum ipſa matre, quæ ex eo aborſu quandoque perit; cur enim fieri non poterit, vt extinguatur mater malignitate remedij, quod ad abigendum ſemen ſuſceptum, & fœtum nondum animatum adhibetur, aut ſi fuerit animatus fœtus in illo excutiendo, occidat etiam parens, atque ita duo homicidia ex ea abortione ſequantur; quæritur igitur, an duæ quoque iregularitates ex illo caſu admittendæ ſint, vti omninò concedendæ erunt, ſi duo homicidia voluntaria ibidem agnoſcimus.

Reſpondetur itaque, qui abortionem cauſat, eſſe quoque reum interitus matris inde conſequuti, niſi probabili ignorantia excuſetur, quia, vt docet Mercurial. lib. 1. de morbis mulier. cap. 2. & Codronch. lib. 1. de Christiana medendi ratione, cap. 22. abortio eſt periculoſa matri, quia, inquit Codron fit præter leges naturæ violenter & coactè, & corruptina fœtus ſunt venenata, deleteria, & humanæ naturæ inimica; quare cùm fœtus corruptione etiam matris interitus neceſſariò ſubſequitur, ideò reiicit quod ſcribit Agathon. lib. 2. de fluuiis, Cyiram herbam vino maceratam, & vmbilico impoſitam, abortum ſine periculo facere; pergítque ibidem Codronch. ex Hippocrate & Galeno docere aborſum omninò periculoſum eſſe; quare qui cauſabit abortum vix à voluntario homicidio, ſi inde pereat abortiens, excuſari poterit. Secùs eſt de eiectione & excretione ſeminis, ſiue genituræ, quæ ſaltatione aliiſque modis abſque ſalutis diſcrimine curari poterit; niſi enim vel ratione remedij, quod adhibetur, vel negligentiæ in cauendo aliquo periculo, quod ex tali modo per accidens coniungi poſſet, mors ſubſequuta fiat voluntaria, non incurretur ratione illius irregularitas, quamuis ea homicidij anticipatio, vt cum Tertulliano loquebamur quæſt. ſuperiori, crudelis & nefanda exiſtat; ex homicidio tamen merè caſuali, licèt cum opere illicito coniuncto, minimè incurritur irregularitas, vt diximus.

CONSECTARIVM VII.

An qui conſulit, vel mandat alteri, vt duellum ſubeat, aut iniuriam vlciſcatur, aut alium occidat; fiat irregularis, ſi is, cui tale conſilium, aut mandatum dedit, occidatur?

HOc idem quæri poteſt de eo, qui mandauit alicui alterum occidere, ſi ipſe mandatarius occidatur. 18

RATIO difficultatis eſt, quia iſte mandans, & conſulens, eſt cauſa moralis cædis mandatarij & conſultarij, quamuis enim ſuo mãdato & conſilio non intenderit, eam tamen indirectè voluit, cùm eius periculo imprudenter

et exponere voluit hunc mandatarium & conſultarium; quare illud homicidium non erit reſpectu conſulenti, pro ſuo caſuale, ſed indirectè voluntarium. Quæ ita docent Suar. diſp. 44. ſect. 3. num. 18. qui contrariam neque ſpeculatiuè, neque practicè ſequendam dicit, Villallobos tract. 21. difficult. 20. num. 10. Auila 7. p. 2tt. diſp. 6. ſect. 2. dub. 5. con. 4. Sayr. lib. 7. cap. 3. num. 3. Vgolin. cap. 16. §. 8. Molin. tract. 3. diſp. 32. num. 2. Couarr. 2. part §. 2. num. 1. verſu, quòd ſi ex prauo. Qui omnes ferè Summiſtas & Canoniſtas in hanc rem laudant, vt videbis apud Sayr. quod intelligendum tamen aliqui volunt, ſi mandans & Conſulens prævidere debuit periculum illius occiſionis mandatarij. Quod etiam confirmatur ex eo, quòd qui exponit ſe periculo mortis abſque rationabili cauſa, verè homicida eſt ſuiipſius ſi occidatur, qui igitur conſulit, aut mandat alicui, vt eiuſmodi diſcrimini ſe obiiciat, conſulit, aut mandat homicidium, quare ſi contingat, verè homicida fuerit, atque adeò irregularis.

Reſpondetur nihilominus, nullam hoc loco contrahi irregularitatem a mandante, aut conſulente, ita viri docti apud Suar. Henriquez lib. 14 cap. 16. num. 1. Speculator titulo de diſpenſat. §. iuxta. num. 43. Turrian. lib. 9. de cenſur. diſput. 63. dub. 4. Hurtad. diſp. 2. de irregular. diffic. 6. num. 22. Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. dub. 10. n. 78. Vaſq. diſp. 100. num. 45. 1. 2. Neque dicit improbabilem Bonac. diſput. 7. quæſt. 4. punct. 7. n. 17.

Ratio mihi perſpicua videtur, quia nullibi imponitur irregularitas ob mandatum, aut conſilium, niſi quando quis mandat, aut conſulit alicui, vt ſeipſum, vel alium occidat, & effectus illius mandati, aut conſilij ponitur: at verò, qui mandat, aut conſulit Titio, vt Caium occidat, non mandat vt Titius ſeipſum occidat, quamuis mandet vt occidendo Caium exponat ſe periculo, vt occidatur à Caio; ergo etiamſi reuerà Titius, dum mandatum, aut conſilium ſibi datum exequitur, occidatur, mandans non erit irregularis. Maior huius argumenti patet expendenti iura, quibus irregularitas ad mandantes & conſulentes extenditur, nam cap. ſignificaſti. 2. de homicidio, loquitur de eo, cuius conſilio & mandato parochiani proceſſerunt contra latronem. cap. autem, ſicut dignum §. Clericos, eod. tit. agitur de Clericis, qui conſilium dederant, vt Cantuarienſis Archiepiſcopus caperetur, aut eius captioni armati interfuerant. Denique cap. fin. eod. tit. in 6. loquitur de mandante, qui iuſſerat alium percuti, citra occiſionem tamen & mutilationem; qui tamen reus homicidij atque mutilationis factæ à mandatario fines mandati excedente dicitur, atque adeo irregularis eo quod debuerit cogitare id euenire poſſe, atque ita in culpa ſit, quòd non vitauerit tale periculum, ex quibus omnibus euidenter colligitur, nunquam in iure homicidam quempiam dici, atque ea de cauſa irregularem ratione mandati, aut conſilij, niſi qui mandat, aut conſulit alicui occidere ſeipſum, aut alium quempiam. Iam verò qui alteri conſulit, vt alium inuadat, etiam cum periculo ſuæ vitæ, aut vt quid difficile cum magno diſcrimine, ne ab aliquo interimatur, aggrediatur, non conſulit ipſi vt ſeipſum occidat, neque cauſam proximam illius occiſionis ponit; quod inde probatur, quia iſte, qui aggreſſus alium,

ab

ab illo occiditur, aut qui obiicit caput ſuum graui periculo, ne ab alio occidatur, non occidit ſeipſum, licèt, ſi imprudenter hoc periculum adeat, peccet contra fortitudinem, aut propriam charitatem, non enim ponit cauſam proximam tendentem ex ſe ad homicidium, atque independentem ab aliena voluntate, vti neceſſarium eſſet, vt diceretur ſeipſum occidere. Sicut igitur, qui offert ſe morti ab alio inferendæ, non occidit ſeipſum, ita neque, qui illi conſulit, vt ita ſe exponat, illi conſulit occiſionem ſui ipſius; quare ratione illius conſilij licèt contingat hunc conſultarium ab alio occidi, minimè incurret iſte Cōſiliarius irregularitatem ex homicidio, quia, vt ait Vaſq. conſilium traditum ei, qui occiditur, & quod non tendit in mortem niſi ratione periculi, quod incautè aggreditur, non videtur in iure prohibitum ſub pœna irregularitatis, atque ita eliduntur aduerſariorum rationes.

Consectarium VIII.

Soluuntur caſus alij ſingulares ex doctrina tradita?

19 EX hac porrò definitione plurima alia colliguntur.

Primò, cum qui conſulit alteri, vt exponat ſe probabili vitæ periculo, quod licitè poteſt adire pro bono publico, aut priuato, non eſſe irregularem, non modò quia illud conſilium eſt de re bona, ac proinde non poteſt puniri pœna irregularitatis, ſed etiam, quia non conſulit, vt iam oſtendi, ſuiipſius homicidium.

Secundò, qui conſulit alicui furtum, aut adulterium, ex quo ſcit illum puniendum capite, non erit irregularis, ex Vaſq. loc. cit. quia reuerà non fuit cauſa proxima homicidij, contra Speculator. quem refert, ac ſequitur Felin. in cap. ſicut dignum, de homicidio. num. 8. & in cap. 1. n. 8. de officio delegati, & Vgolin. cap. 16. num. 6. & 9.

Tertiò, qui fœminam ad ſe venire iubet per tecta, aliáve loca periculoſa, vnde imprudens ſibi mortem conſciuit, aut ſi prægnans erat, fœtum excuſſit, non fit irregularis, contra Nauarr. cap. 27. num. 235. Tabien. verb. Irregular. 3. §. 14. Henriquez lib. 14. cap. 15. num. 4. Sylu. verb. homicidium. 2. §. 7. Auila diſput. 6. ſect. 2. dub. 5. Sayr. lib. 7. cap 6. n. 16. Ratio eſt, quia iſte ſiue Clericus, ſiue laïcus, malè enim DD. aliqui ſolita iſta diſtinctione vtuntur hoc loco, non conſulit huic mulieri, vt ſeipſam occidat, aut vt abortiat, neque vt cauſam neceſſariò connexam cum aborſu, aut ſuo interitu ſuſcipiat, quamuis aliquod periculum ſit, quod tamen vitare poterit, ſi ipſa cautè & prudenter ſe gerat; quare ſibi imputet, ſi ſua culpa aut pereat, aut abortiat, non tamen amaſius, à quo inuitata fuerat, dicetur propriè & verè illius, aut fœtus ipſius homicida ad effectum irregularitatis, cùm reuerà illud homicidium non conſuluerit, ſi tamen ipſe ſecum traheret fœminam, aut funem tenderet, aut explanandum iter ſuſcepiſſet, aut remouenda offendicula, quæ occurrere poſſent, aut facilem tranſitum dixiſſet, vnde illa credula incautiùs ſe geſſiſſet, aut non adfuiſſet amaſius ad horam condictam vt opem ferret, illáque vel ſe deluſam ſuſpicata, vel metu exterrita concidiſſet, exiſtimarem hunc eſſe irregularem, non ratione conſilij veniendi per eiuſmodi iter periculoſum, ſed quia eius caſui, cædi, aut aborti

abortioni teipſa fuiſſet cooperatus variis illis [illegible], & ſubtrahendo auxilium [illegible], vel ſuit expoſitum quæſt. [illegible], conſ. 13. & 14. atque in hunc ſenſum interpretor DD quos contrarium ſentire ſuperius retuli.

Quartò, qui rixatur [illegible] cum Titio, atque ab amicis in defenſionem accurrentibus, iuuatur, non fit irregularis, ſi illi eius amici vel ab ipſo Titio, vel ab eius quoque defenſoribus occidantur. Ita Panorm. in cap. Petrus, de homicidio. Henriquez lib. 14. cap. 15. num. 4. litt. O. & apud ipſum Speculator & Hoſtienſ. Armilla verb. irregularitas. §. 45. contra Auila diſp. 6. ſect. 2. cit. dub. 5. con. 5. Ratio manifeſta eſt ex dictis, quia non conſului, vt iſti occiderentur ab aliis, quamuis ipſos in mei defenſionem ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, vocauerim.

Quintò, Confeſſarius, qui conſulit pœniten. ſi ſuum crimen dignum morte, eſto aliqua fortaſſis de cauſa excuſetur ab aperienda veritate, non erit irregularis ſequuta pœnitentis morte, non modò, quia bonum eſt illud conſilium, & de re licita; quamuis enim iure poſſet crimen tacere, fatentur tamen illud iure poterit, ſed quia non conſulit mortem, neque in illam proximè influit; ſicut enim iſte non occidit, aut mutilat ſeipſum fatendo crimen, ita neque illi ſuipſius occiſionem, aut mutilationem, qui ad eam manifeſtationem hortatur. Ita Diana 4. part. tract. 2. de irregular. reſolut. 99.

Sextò, qui conſulit reo vt omittat inſtantem appellationem, cuius defectu deinde perit, vel ſaltem citius torquetur, dicitur eſſe cauſa mortis illius à Diana loco cit. ſane ſi prævidit hoc periculum, quod per iure conceſſam appellationem vitari poterat, influit in eius mortem, eodem modo, atque ſi conſuleret alicui arma abiicere, cùm tamen ſciat ab inimicis ſtatim inuadendum, atque occidendum.

Consectarium IX

Quænam cooperatio ad homicidium pariat irregularitatem.

Opem ferre quis poteſt homicidæ, vel antequam homicidium committat, vel vbi illud perficit, vel poſt ipſum commiſſum, vti obſeruat Vgolin. cap. 17. & alij paſſim, atque ex his actionibus vna proximè influit in ipſum homicidium, ea nimirum, qua iuuatur homicida, dum teipſa occidit, altera non eſt niſi remotè quæ ipſum homicidium præcedit: vt qui pecuniam, arma, ſocios, aliaque neceſſaria ad homicidium tribuit, alia denique ſupponit iam cædem commiſſam; quare ad illam non influit, homicidam tamen perfecto ſcelere iuuat, quia aut receptat fugientem, & tegit, aut excuſat, aut in patrato crimine confirmat. Deinde hæc omnis cooperatio vel directè tendit in homicidium, quia fit animo occidendi, vel indirectè, eo quod inconſideratio, aut negligentia committatur in cauendo homicidio, quod ex illa cooperatione noſtra ſequuturum ſuſpicari poſſumus ac debemus, vel denique caſu duntaxat, & omninò inuoluntariè citra culpam ſaltem grauem agentis coniungitur cum alicuius interitu; quæ omnia ſubiectis exemplis facilè illuſtrari poſſunt; qui enim aut potionem venenatam conficit, aut arma miniſtrat, non cooperatur proximè homicidio, qui vnà percutit, aut homicidam, dum occidit, ab aliis tegit, aut hortatur ad audendum, in ipſam occiſionem actu influit, qui 20

patat

parat equum, quo homicida commiſſo crimine diffugiat, aut illum pecuniis deinde iuuat, non cooperatur quidem homicidio patrando, ſed eius authori ſubſidio eſt. Aliquando quis præbet arma, & venena miſcet, quia intendit interitum eius, in cuius caput iſta parantur; aliàs verò licèt non intendat eam necem, immò doleat eam quæri, ſcit tamen, aut dubitat in eiuſmodi vſum iſta à ſe expoſci. Denique nonnunquam exiſtimat hæc omnia ad alios effectus, quos habere poſſunt, dirigi, neque quidquam de ſequutura inde alicuius morte dubitat, aut dubitare tenetur?

Et quidem conſtitutum eſſe debet, cooperationem homicidij pro ratione culpæ mortalis, quæ per eam admittitur contra quintum Decalogi præceptum, cauſare irregularitatem; quod ex hactenus diſputatis euidenter ſequitur, nam cooperatio non alia ratione facere poteſt irregularem, quàm faciat ipſum homicidium, quod nunquam facit, niſi quando quis in eo committendo peccat mortaliter, ſiue directè, ſiue indirectè volitum fuerit; quod hac ipſa q. oſtendimus ſecunda parte propoſitionis.

Quod igitur attinet ad cooperationem, in qua directè intenditur homicidium, ſiue ipſa illud præcedat, ſiue comitetur, quod præſtatur, dum actu fit, certum omninò eſt eam ſufficere ad incurrendam irregularitatem, cùm ea ſit omnium maximè propria & culpabilis culpa homicidij contra quintum Decalogi præceptum; quare ſi cui cooperationi imponatur irregularitas, cap. ſicut dignum. §. illi, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio, huic imprimis imponi debuit, eritque iſta irregularitas homicidij voluntarij, ſiue hic ſuis manibus percutiat, aut propinet venenum, ſiue auxilium tantùm præbeat homicidæ, cùm ad directum voluntarium nihil planè deſit in illo caſu.

Cooperatio indirectè volita ſi fuerit mortalis, facit etiam irregularem, quia ratione illius dicitur quis propriè homicida. Difficultas tantùm eſt, an cooperatio ad ipſammet actionem homicidij poſſit eſſe inuoluntaria, ſiue indirectè tantùm volita, cùm enim quis ſciens & volens cooperetur ad illam cædem, ſiue ipſemet ſuis manibus percutiat, ſiue percutientem tueatur, aut hortetur, aut illi quapiam alia ratione aſſiſtat, nihil planè deeſſe videtur, vt cooperatio iſta dicatur omninò voluntaria cooperanti, quamuis ipſe non intendat principaliter eiuſmodi homicidium, ſed vt ſeſe voluntati alterius accommodet: at verò aliud eſt rem quampiam principaliter intendere, aliud directè & per ſe illam velle, nam qui ſecundariò tantùm, aut ex alterius determinatione quidpiam vult, illud tamen in ſe & directè velle poteſt.

Quare placet diſtinctio Suaris diſput.44.ſect.3.n.31. cooperatorem, qui ipſammet cædem ſua actione phyſica facit, quia nimirum vulnus lethale infligit ex intentione iuuandi amicum, qui quempiam aggreditur animo eum occidendi, eſſe reuerà homicidam voluntarium, quamuis non niſi inuitus pugnet, atque quantum licuit authorem pugnæ, vel cædis à praua illa mente auertere conatus fuerit, quia hæc omnia non faciunt niſi inuoluntarium ſecundùm quid, cum quo benè cohæret voluntarium directum & per ſe, atque etiam voluntarium abſolutè hîc & nunc, vt ex prima ſecundæ ſupponimus, neque ſanè iſte in eo caſu tam cooperatur homicidio, quàm ipſammet actionem homicidij facit, vnde cùm

licet inuitus aliqua ratione, & coactus occidat, volens tamen & ſciens occidat, non apparet quomodo dicatur iſta cooperatio, vel potiùs occiſio indirectè tantùm voluntaria. At verò ſi hic cooperator non pugnet ſuis manibus, ſed aſſiſtat aut comitetur, poterit aliquando illa ſua cooperatione non eſſe reus homicidij voluntarij, ac proinde non incurrere eius irregularitatem, ſed tantùm homicidij inuoluntarij, quia neque in ſeipſo, neque in aliqua ſua actione directè vult homicidium, quod fit duobus modis Primò ſi ſciat amicum, cui aſſiſtit, intendere cædem alterius, quam ipſe tamen non vult, ea tamen deinde ſequitur ex auxilio, quod homicidæ præſtat, quamuis inuitus. Secundò, ſi ignoret principalem criminis authorem intendere cædem, etiamſi prauam aliam actionem machinetur, ad quam iſte ſocium ſe præbet, adulterium, v.gr. furtum, iniuriarum acceptarum vindictam, abſque cæde tamen & mutilatione; in his enim omnibus apparet cooperantem non velle directè mortem, quam ignorat, quæri in toto illo progreſſu, ſiue vincibiliter, ſiue inuincibiliter ignoret; fieri tamen poterit, vt in ipſo æſtu rixæ, aut facinoris animum mutet, atque ex cooperatore fiat principalis actor, aut non tantùm aſſiſtat, ſed ſuis manibus confodiat, & occidat, atque ita iam ſit voluntarius homicida, quæ omnia accuratiùs expendenda fuerint propter diſpenſationem quæ faciliùs obtinetur, quando homicidium inuoluntarium fuit.

Tertiò, quando cooperatio eſt directa in ipſam occiſionem, infligendo aliquod vulnus, ſemper neceſſaria eſt ignorantia intentionis principalis agentis, vt illa cooperatio non ſit niſi indirectè voluntaria, quia non poteſt aliquis directè cooperari illi, quem ſcit tendere ad homicidium, quin velit directè cooperari homicidio, niſi fortaſſis aſſiſtat & cooperetur ad maius malum vitandum, tunc enim ſi homicidium contingat, præter eius intentionem, dicetur illi inuoluntarium, directè ſcilicet, quia non erit omninò caſuale, neque inculpabile, quia reipſa influit in actionem malam; quamuis enim, qui conſulit minus malum, ad maius vitandum immunis culpæ ſit, non tamen qui eadem de cauſa minori malo cooperatur, culpa vacat, quia conſulens nihil influit in actum, conditionalis enim voluntas nihil influit in actum; hic autem conſulit tantùm conditionaliter, ſuppoſito quòd velit quis alteri nocere, vt minus noceat: non conſulit autem abſolutè nocere, immò ne grauiter noceat: qui autem cooperatur minori malo, reuerà ponit illam actionem malam; quare peccat: quamuis autem eadem omninò ponenda fuiſſet actio & cædes ſecutura, ſi tamen tua actione illam ponas, eius reuerà cauſa culpabilis es, quod non contingit in conſulente, qui conſulit, quod abſque eius conſilio eadem ratione faciendum fuiſſet, tunc enim ipſe ſuo conſilio nihil influit in eam actionem, quamuis abſque eius ope ponenda fuiſſet.

Denique cooperatio merè caſualis, cuiuſmodi fortè eſt cooperatio remota, & ad aliquid præuium ad occiſionem, quando procedit ex ignorãtia inuincibili occiſionis, aut quando eadem actio vulgo fieri ſolet, alio titulo, & ratione illius excuſari poteſt, quia neque directè, neque indirectè ex intentione cædis poſita eſt, excuſat ab irregularitate, quæ etiam non contrahitur per homicidium

homicidium omninò caſuale.

Quæcunque ad extremum conſequuntur cædem, aut mutilationem iam commiſſam, licèt in fauorē criminis perpetrati tendant, non inducunt tamen irregularitatem, vt obſeruat Vgolin. cap.17. §. 1. & conſtat ex iis, quæ diximus q, ſuperiori de ratihabitione, quia iſta non influunt in homicidium, ſed illud ſupponunt; quod autem Felin. cap. ſicut ſignum, num. 5. de homicidio, §. illi etiam. Couarr. in Clem. citatam 2. part. §. 2. num. 2. & Vgolin. loco cit. excipiunt auxilium quod præbetur homicidæ, quod ipſi ita præbetur patrato ſcelere, vt ante ſuſceptionem pactum fuerit, v. gr. præparatio equorum, aut ſociorum, aut arcis ad ſeſe tuendum, nihil vrget. nam irregularitas non contrahitur præcisè ex illa auxilij præſtatione poſt commiſſum crimen, ſed ex promiſſione illius, vnde audacior ad ſuſcipiendum facinus factus fuit.

Consectarivm X.

Soluuntur ſingulares caſus ex doctrina ſuperioris conſectarij.

1 Regvla vniuerſalis ſuperiori conſectario tradita, ſingularibus modò caſibus aptanda erit.

Primò, igitur præbens arma illi, quem ſuſpicatur ea petere ad iniuſtam occiſionem, exiſtimatur vulgò irregularis à Felin. in cap. ſicut dignum, de homicidio, n. 5. Vgolin. cap. 17. num. 3. Molin. tract. 3. diſp. 33. memb. 6. num. 8. Suar. diſp. 45. ſect. 3. n. 5. Bonac. diſp. 7. cit. q. 7. punct. 8. num. 35. & aliis, quia occiſio inde conſequuta, eſt iſti indirectè voluntaria, & ad illam omninò influit ponendo ipſius cauſam.

Verius tamen exiſtimo cum Hurtado (diſp. 2. de irregular. diffic. 8. num. 32. niſi hæc arma ex intentione homicidij perpetrandi præbeat, non eſſe irregularem, qui reuerà tunc non dicitur, niſi admotè, & valdè impropriè cooperari homicidio, cùm præbeat aliquid, quo quis benè, malè vti poſſit, quamuis ſuſpicetur illum malè vſurũ, alioquin, qui vendunt res, quibus licet abuti, quoties ſuſpicio pulſaret mentem, emi ad malum vſum, deberent aut abſtinere à venditione, aut deponere ſuſpicionem, aut rei forent illius ipſius criminis, quod ex eius mercis abuſu committeretur, quod nemo dixerit, neque enim qui vendidit gemmas Titio, vt vlterius vxorem corrumperet, adulterij damnabitur, quamuis in eam rem emi gemmas à Titio dubitauerit.

Crediderim igitur hoc loco eandem ſeruandam regulam, quæ de peccato ſcandali communiter à DD. aſſignatur; ſi enim dubium tantùm foret de malo vſu armorum, aut licèt certus de illo eſſet, qui illa tradit, tamen ex officio illa diſtrahit, non tenetur pati diſpendium illius lucri, quod ex eiuſmodi venditione armorum ſibi obueniet, propter malum vſum futurum illorum, quod etiam verum erit, ſi æquè ab alio quopiam habiturus eſt arma, licèt enim tunc mihi illa præbere; quòd ſi in procinctu cædis, aut in ſubitanea rixa poſtulet arma, quæ ſi ipſi denegem, vitabo cædem alterius, alioquin certò ſequuturam, poſſimque illa abſque meo magnò damno negare, niſi id faciam, non peccabo contra charitatem, ſed etiam reus

ero cędis perpetratæ, quia telo armaui homicidam, & cooperor, quamuis inuitus, huic iniuſtæ cædi; atque ita interpretor priorem opinionem; neque diſſentiret fortaſſis Hurtado in illo momento cædis inferendæ, ad quam arma inclamat, & poſtulat homicida; ſi enim illi in eo procinctu vocatus adſim, aut auxilium fero, vnde fiat, vt mea præſentia audacior factus, aut potentior meo ſubſidio occidat inimicum, reuerà fio irregularis, vt diximus; quidni idem continget, ſi pręſtando arma auxilio ſim; niſi igitur aliqua cauſa legitima excuſet, vt fortaſſis continget in ſeruo, dicor huic cædi propriæ cooperari, & ſum irregularis.

At verò ſi quis præbeat arma Caio, ad occidendum Titium, ille verò occidat Sempronium, ſictne irregularis? quod idem quæritur, ſi armis datis non fuerit vſus, ſed aliis; in priori caſu non exiſtimo fieri irregularem iſtum præbentem arma, niſi illa dederit, vt iis vteretur in rixa contra Titium, quem ſuis amicis, & ſociis ſtipatum ſciebat, nam periculum, ne quem alium, quàm Titium occideret, cauere debui; quoad poſteriorem vero caſum, ſi iſte tuis armis terruerit aduerſarium, atque ita illis adiutus fuit, vt faciliùs illum confoderit, quamuis aliis armis, reus es illius homicidij, in quod reuerà illa armorum præſtatione contuliſti, atque adeò manes irregularis.

22 Secundò, qui potionem venenatam ſciens miſcet, ſi ex ea ſequatur homicidium, fit irregularis, quia reuera applicat cauſam proximā mortis, æquè atque ille, qui eandem potionem propinat.

Tertiò, qui congerunt ligna ad comburendum aliquem, ſi viuus ſit comburendus, reuerà concurrūt ad illius mortem, & cauſam proximam applicant, ſicut etiam ille, qui ignem admouet. At verò ſi poſtquam occiſus, aut ſtrangulatus fuerit, comburendus tantùm ſit, nulla erit cooperatio ad mortem, ſed ad aliquid illam conſequens, vt optimè aduertit Nauarr. c.27. n.217. & alij paſſim apud Sayr. lib. 6. c. 16. n. 3. Neque ex ea ſtrue lignorū, atque eius accenſione timēdum eſt, ne fuerit accelerata rei ſtrāgulatio, atque adeò ratione illius accelerationis, qui faces iniecerunt, fiant irregulares, cùm hęc cauſa accelerationis ſit, aut admodum remota, aut etiam admodum infrequens, vt ait Sayr. diſp. 45. ſect. 3. num. 6.

Quartò, qui detinet alium ne fugiat, atque ita vulneribus inſequentis confodiatur, quia indirectè ad eius mortem influit, eſt irregularis, niſi fortaſſis caſu omninò impediat eius fugam, aut exiſtimet ſe ſatis habere virium, vt aduerſarij conatus ſiſtat, aut hunc tueatur, in omni enim iſta indirecta cooperatione debet eſſe culpa mortalis homicidij indirectè voluntarij, vt dixi ſæpius, alioquin nulla incurritur irregularitas.

Quintò, qui aſſiſtunt homicidæ, 23
ſi faciliorem faciant occiſionem ſua præſentia, etiamſi nihil aliud conferant, ſunt irregulares, quia, vt dixi, cooperantur homicidio; ſi tamen ex illa aſſociatione non fuerit auctus animus occiſori, neque quidpiam aliud ipſi eam in rem præſtitum, nam & viribus, & animo longe ſuperabat aduerſarium, non ſequetur irregularitas, quia nulla fuit inibi cooperatio. ita Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 3. dub. 3. concl. 1. Addo etiam patrem, filium, conſanguineum, aut etiam intimum amicum, qui alterum comitatur bono animo, ne quid periculi patiatur, non incurrere irregularitatem

laritatem, etiamſi occidat aduerſarium, quia vacat rei licitæ, neque in ea præſentia adhibenda peccat, vt ibidem tradit Auila cum Henriquez lib. 14. cap. 16. num. 1. & Nauarr. conſ. 32. de homicidio, qui negat eſſe irregularem eum, qui bono animo nudum enſem ferebat, interea dum frater rixabatur cum alio, quem occidit, ſi ipſum iſte minimè vulnerauit; quanquam Præpoſit. in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 8. num. 65. id ita intelligendum eſſe moneat, vt homicida ex illa aſſociatione fratris, aut amici non fiat animoſior ad occidendũ; verùm ferè impoſſibile eſt moraliter ne creſcat animus illi, qui videt ſe ſtipatum amicis, & ne audacior fiat ad facinus aggrediendum; atque ita ſemper ſequeretur irregularitas ex cuiuſcumque aſſociatione; quare ſententiam Auilæ non exiſtimo eſſe limitandam, quando illa aſſociatio, ſiue ratione conſanguinitatis, ſiue ratione amicitię, ſiue alia quapiã de cauſa, licita fuerit, & ſocius iſte nõ aliter ad occiſionẽ influxerit.

24 Sextò, qui alium inebriauit, non eſt irregularis, quamuis ille deinde ebrius alium occidat, aut mutilet, niſi præuiderit illud periculũ, idque vitare neglexerit, quia ebrietas ex natura rei non eſt cauſa proxima occiſionis; quare ad illam non influit, niſi admodum remotè, & per accidens, qui vino ebrium reddidit, contra Vgolin. qui cap. 18. §. 2. num. 3. iſtum adeò damnat irregularitatis, quia rem illicitam fecit, & hunc euentum poſſibilem eſſe cogitare debuit; verùm actio illicita nihil facit hoc loco, vti oſtendimus 3. part. noſtræ propoſitionis, ſed connexio actionis poſitæ cum ſequenti occiſione, ſiue ea actio licita, ſiue illicita fuerit; hîc autem cùm non ſit connexio neceſſaria inter ebrietatem, & cædem, non debuit illa præuideri vt futura, neque enim ſatis eſt ſi poſſibilis ſit, vt obligemur ad eam præuidendam, niſi frequenter, & ordinariè accidat.

Septimò, negandum eſt contra eundem Vgolin. ibidem num. 4. eum qui ſuũ aduerſarium inſequitur ſtricto enſe, ſiue iure, ſiue iniuria, fore irregularem, ſi aduerſarius fugiens caſu obuium puerum proterat, & occidat, quia non ponit cauſam per ſe cõnexam cum illa obtritione pueri, neque illam prouidere potuit, & debuit, quamuis aliunde peccet aduerſarium inſequendo, quod perpetuò fallit Vgolin. alióſque, qui homicidium conſequutum ex quacunque actione illicita tribuunt illi, qui eiuſmodi actionis author eſt.

Octauò, qui proiicit lapidem, aut ſclopum exploſit in inimicum, quo non ipſum, ſed alium quempiam præter intentionem occidit, eſt irregularis, ſi non adhibuit diligentiam neceſſariã, vt alterius interitus vitaretur; ſi enim eam curam præſtitiſſet, non foret irregularis, quia homicidiũ iſtud non poteſt eſſe voluntarium proiicienti lapidem; præter cuius intentionem accidit, niſi ratione culpabilis inconſiderationis, & negligentiæ in eo præcauendo; atqui ſupponimus eam negligentiam abfuiſſe, aut ſi quæ fuit, non niſi admodum leuem, & venialem extitiſſe; ergo non peccauit eo caſu peccato mortali homicidij, neque conſequenter ratione illius contraxit irregularitatem; eſto peccauerit, intendendo mortem ſui aduerſarij, atque ea de cauſa lapidem in illum iaciendo, cùm tamen ea ſequuta non fuerit, non fiet irregularis. ita Bonac. diſp. 7. q. 4. punct. 7. num. 19. &

ſanè licèt alij communiter, quos dabit Sayr. lib. 7. c. 6. num. 30. videantur aliud ſentire cum Vgolin. §. 2. cit. n. 12. & Suarez diſp. 45. ſect. 6. num. 18. ſupponunt tamen non fuiſſe adhibitam diligentiam, aut certè ex actione illicita ſequutum homicidium, quamuis caſuale, facere irregularem, quod poſtremum iam fuit ſæpiùs reiectum: priùs autem eſt contra ſuppoſitionem, volumus enim adhibitam fuiſſe diligentiam, tunc autem ſi lapis, aut telum iactum fuiſſet in feram, & tamen aberraſſet in hominem caſu fortuito, & prorſus inculpabili, homicidium illud fuiſſet protſus inculpabile, & non gigneret irregularitatem; atqui eo quòd in aduerſarium iactus fuerit lapis, non minori câſu occidit Petrum, quàm ſi fuiſſet in feram directus; ergo cædes Petri tam eſt caſualis iacienti lapidem, quàm ſi feram occidere intendiſſet, neque magis fiet irregularis.

Dices lege Aquilia teneri eum, qui ſe defendendi cauſa lapidem in aduerſarium mittens non eum, ſed quem alium prætereuntem percuſſit. l. ſcientiam. §. qui cùm aliter. ff. ad l. Aquiliam; ergo multò magis, qui volens iniuſtè Titium percutere, occiderit Mæuium, fiet homicidij reus, & irregularis. Reſpondetur in eo caſu ſupponi iſtum vidiſſe ſe non poſſe ſe defendere, ac proinde ſeſe culpabiliter cum alterius innocentis iniuria defendiſſe, quod nunquam licet.

Nonò qui declinauit lapidem, aut telum in ſe iactum, atque ita fuit cauſa, vt alius illo interficeretur, non erit irregularis. Ita DD. laudati à Sayro num. 30. citato, quia iſte execundo ictum, vſus eſt ſuo iure, neque enim tenebatur ſuo periculo alienum impedire; quare neque illius homicidij reus, neque pœnæ atque irregularitatis illi impoſitæ obnoxius fiet.

Decimò quando quis vt ictum aduerſarij declinet, medium alium obijcit vulneri ex quo moritur, fit irregularis, quia non poteſt ſe tueri cum alterius iniuria, vt dicitur l. ſcientiam. ff. ad leg. Aquiliam, & reuera ponit cauſam proximam morti; quare homicidij illius cauſa eſt, eandem quoque irregularitatem contrahit, percutiens hunc medium, vt patet.

Vndecimò ſi quis Titium impellit in Mæuium, qui eo impetu concidens occiditur, damnatur tanquam irregularis ab Vgolin. §. 2. citato n. 7. quia dat operam rei illicitæ, mihi vulgaris diſtinctio retinenda videtur, ſi enim caſurum Mæuium præuidere debuit ac potuit, atque cædis periculum in eo caſu propter loci, aut perſonarum aliorúmque adiunctorum rationem, ita vt illa impulſio ratione illius periculi fuerit mortalis, erit reuera irregularis, ſequuta Mæuij cæde ſi: autem leuis quædam inconſideratio, & vel inculpabilis, vel non niſi venialiter fuit, nulla incurretur irregularitas: impulſus autem Titius corruens in Mæuium, illumque in ſaxum allidens, aut conterens & occidens, non eſt irregularis, quia non eſt cauſa moralis illius cædis, vnde dum turba aliqua ad pontem, aut fores templi, ita ſeſe conſtipat, vt aliqui compreſſi intereant, quod de Virginio Virginij Legati filio pulchritudinis eximiæ puerulo refert ex Foroiulienſi marmore Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. num. 6. nemo fiet irregularis, non quia vacatur rei licitæ, non etiamſi ad fornicis alicuius infamem auditum eodem modo id contingeret

non

non idcircò à quopiam contraheretur irregularitas, quia nullus eo caſu comprimentis ſeſe multitudinis dici poteſt cauſa culpabilis cædis, quæ tunc ex ea conſtipatione contingit; ſi quis enim dolo malo vnam ianuam occluſiſſet, atque ad cauſandam eam compreſſionem quidpiam aliud feciſſet, præuiditéque debuiſſet ac potuiſſet periculum, ne quis extingueretur in ea conferta turba, eaque inconſideratio, aut negligentia mortalis foret, reuerà ſequuta alterius morte, irregularis haberetur.

Decimòtertio Maiol. loco cit. n. 14. adulterum, aut fornicatorem, qui dum immoderata copula cum muliere prægnante coit, illi abortum fœtus animati cauſat, damnat irregularitatis, non verò maritum, ſi idem faciat, eo quòd vnus illicita copula, alter licita vtatur; quæ diſtinctio nulla apud nos eſt, vbi cætera paria reperiuntur. Itaque ſi ex modo copulæ, & fœminæ debilitate aliiſque circunſtantiis potuit ac debuit ſuſpicari periculum aborſus, illique vt ſuæ indulgeret intemperantiæ ſe expoſuit, conſequuto deinde homicidio reus illius eſt contra quintum Decalogi præceptum, & fit irregularis, ſiue maritus, ſiue adulter fuerit.

Consectarium XI.

Quomodo & quando Medici, & chirurgi, & curam ægrotorum habentes contrahant irregularitatem?

25 Distingvvnt paſſim DD. hoc loco inter laicos & Clericos chirurgiam exercentes, volúntque Clericos in ſacris conſtitutos, aut in minoribus tantùm, ſed beneficiatos, & præterea omnes Monachos fieri irregulares ſi per inciſionem, aut aduſtionem curarint ægrotum, illeque obierit; quamuis nulla prorſus chirurgi culpa, ſed vi morbi, qui omnem artem eluſit, aut etiam propria intemperantia, quia non ſeruauit quæ ſibi præſcripta fuerant. Laici autem chirurgi nunquam fiunt irregulares, niſi ipſorum culpa interierit ægrotus, quia Clericis eſt interdicta chirurgiæ actio per aduſtionem & inciſionem, propter periculum mortis, non verò laicis, vnde cùm Clerici vacent rei illicitæ & periculoſæ, rei ſunt mortis inde conſequutæ, quamuis nulla alia ſua culpa, quàm quia actionem illicitam & periculoſam ſuſceperunt; hanc vulgarem diſtinctionem excuſſimus tertia parte propoſitionis, & cap. 1. ua nos. de homicidio, quo maximè ducuntur aduerſarij, explicuimus conſectario primo. Quare ſic in vniuerſum pronuntio.

Medicus, chirurgus & alij, qui curam ægrotorum habent, ſiue laici, ſiue Clerici ſint, ſiue per aduſtionem, ſiue per inciſionem, ſiue alio modo curent, tunc tantùm incurrunt irregularitatem, quando ex graui & mortali ipſorum culpa ſiue ex imperitia, ſiue ex negligentia, ſiue aliunde oriatur, ægrotus perit, ita vt rei illius mortis, atque adeò homicidæ dici poſſint; ſi verò ex arte operentur, adhibeántque ſufficientem diligentiam, ita vt nulla eorum culpa, aut non niſi leui & veniali extinguatur ægrotus, ſicut homicidæ non ſunt, ita neque irregulares. 26

Hæc propoſitio ſequitur euidentiſſimè ex vniuerſali noſtra regula, vbi oſtendimus homicidium prorſus inculpabile non parere hanc irregularitatem, eámque culpam debere eſſe

morta

mortalem in ratione homicidij, vel in ſe voliti, vel in ſua cauſa ratione negligentiæ in eo vitando adhibitæ, ac proinde nihil intereſſe inter actionem licitam & illicitam, ex qua ſequitur homicidium, cùm ſemper requiratur culpa, eaque mortalis reſpectu ipſius homicidij, quod non ſit tantũ caſuale operanti ſiue licitè, ſiue illicitè, & ſanè Medicũ, ſi nulla eius culpa pereat ægrotus, nõ fieri irregularem, ſatis colligitur ex cap. ad aures, de ætate & qualitate ordinand vbi Pontifex permittit Canonico ad ſuperiores Ordines promoueri, ſi *enim conſcientia non remordeat*, propter exhibitas pluribus medicinas, cùm eſſet peritus artis phyſicæ; quod idem quoque de chirurgo dicendum erit. Itáque ſentiunt omnes DD. Abb. in cap. ad aures, Sylu. v. Medicus, quæſt. 8 Angel. eod. v. num. 15. Maiol. lib. 2. de irregul cap. 12. n. 2. Molin. tract. 3. diſp. 75. num 1. atque ex eod. cap. ad aures, apertiſſimè colligitur, Medicum quoties eius culpa periit ægrotus, non poſſe promoueri ad Ordines, quod idem de chirurgo cap. tua nos, de homicidio, dicitur; atque ita ſentiunt DD cum gloſſa in cap. ad aures v. remordere & ibidem Abb. num. 2. quod in additionib. quoque ipſũ traditur. In cap. autem tua nos, idem Abbas poſt Innocent. quem etiam Felin. Socin. aliíque ſequuntur. Hæc autem culpa Medici ac chirurgi non poteſt contingere, niſi ratione negligentiæ, aut imperitiæ; qui enim ignorat rem quam profitetur, non vacat culpa l. imperitia ff. de regulis iuris, & ſpeciatim de Medico id docet l. illicitas, §. ſicuti, ff. de offic. Præſidis. l. qua actione, ſub fin. iuncta ſequenti l. ff. ad legem Aquiliam, ea enim lege tenetur Medicus, ſi ſeruum occiderit, quia malè eum ſecuit, aut perperam, ei medicamentum tribuit; quàm denique ſit neceſſaria ſcientia in Medico, vide apud Ripam de remed. ad curam. peſten. num. 23. & ſeq. & fuſiſſimè Codronch. lib. 1. de Chriſtiana medendi ratione, tribus prioribus capitibus.

Quæ eadem ratio erit de negligentia, ſi ea mortem ægroto conſciſcat, quàm enim ſit neceſſaria illa ſollicitudo & diligentia Medico, in morbis maximè periculoſis, docent Caſſan. conſil. 48. Roderic. à Caſtro lib. 3. de Medico politico, cap. 19. Codron. lib. 1. cit. cap. 4. & ſeq. Quoties igitur ex inſcitia, aut incuria Medicus culpam mortalem admittet in curando aliquo ægroto, toties ſi ex mala illa curatione ſequatur mors, quod aliorum peritorum Medicorum iudicio, atque ex ipſiuſmet Medici curantis remordente conſcientia dignoſci facilè poterit, toties fiet irregularis ſiue laïcus, ſiue Clericus ſit, atque ex hac certiſſima doctrina caſus plurimos ſingulares explicabis.

Primò igitur. Qui ignorans affe- 27
ctum morbi alicuius, illum nihilominus adhibitis medicamentis curandum ſuſcipit, ſi eius errore moriatur æger, fit irregularis, quia ſuſcepit rem periculoſam, & non modò periculum illud non vitauit, ſed illi ſciens ſeſe obiecit, atque ſuum ægrotum in diſcrimen ſua imperita temeritate adduxit, quandoquidem curatio morbi incogniti non poteſt non eſſe periculoſa, vt ex Galen. Actuario & Celſo oſtendit Codron. lib. 1. cit. cap. 1. vnde Auicena conſulebat, ægritudinem incognitam committere naturæ, & non præpoperè aliquid circa illam moliri, quoniam, inquiebat, aut natura ſuperabit ægritudinem, aut faciet illam innoteſcere.

Secundò. Empyrici, qui ſola experientia

rientia quoſdam morbos curare didicerunt, vt ſcabiem, fracturas oſſium, vlcera fiſtuloſa, ſuffuſiones oculorum, dentium dolores, aurium tinnitus, aliósque ſimiles affectus, quamuis canones & præcepta artis ignorent, ſi alios quoſdam morbos curent, & ſua inſcitia mortem cauſent, fiunt irregulares, quod ex dictis euidentiſſimum eſt; at verò ſi hos tantùm affectus quos experientia magiſtra curare didicerunt remediis, quæ hactenus commoda eſſe obſeruarunt, ſanare pergant, quamuis infelici aliquando euentu, non erunt rei mortis conſequutæ, neque proinde irregulares. Ita Nauarr. cap. 25. num. 60. Graffi. lib. 3. deciſion. cap. 14 n. 1. & Homobon. part. 2. de ſtatib. cap. 8. num. 2. quamuis diſſentiat Codron. cap. 1. cit. vbi pluribus oſtendit hos Empyricos circulatores eſſe, & miſeros ægrotos deludere, neque ſine magno diſcrimine mederi, cùm nihil magis abſonum ſit, quàm velle omnibus eadem remedia præbere, cùm, vt obſeruauit Celſus in procemio, non eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus opitulentur, propter variam ætatum, corporum, tempeperamentorum differentiam ac mutationem, vt ibidem ex Galeno demonſtrat Codron. Ipſaque experientia docet ſæpiùs hos circulatores morbos potius exacerbaſſe, quàm ſanaſſe, nam Amatus Luſitan. centur. 3. curat. 33. refert quendam vnguento illito ſuper ſcabiem intra vnam noctem obiiſſe; alterum verò ex ſimili inunctione inſaniiſſe; puerum in Epilepſiam & eius patrem in palpitationem incidiſſe ex vnguine curandæ ſcabiei appoſito narrat, Victor Trincauell. de curat. part. cap. 6. Verùm hæc omnia tantùm probant circulatores, qui omnibus morbis ſibi etiam ſæpè incognitis remedia quædam vniuerſalia nullo adhibito diſcrimine præcipitanter & temerè adhibent, reos fore mortis ex mala curatione conſequuta, quod & ipſum ego fateor, cùm ſimilis curatio vix periculo & culpa carere poſſit: agebam autem in noſtro corollario de iis duntaxat, qui morbos ſibi cognitos curant.

Tertiò Medici, qui in quibuſdam affectionibus cognitu difficillimis leue aliquod præſidium præſcribunt, ex quo nullum, aut exiguum admodum damnum timendum eſſe certò ſciunt, donec morbi vis ac natura innoteſcat, non peccant, ac proinde, ſi quid triſte accidat, & ita exacerbetur morbus, vt tandem interimat ægrotum, minimè fuerint irregulares, quia hac in re nihil peccarunt, ſapientum dictata ſequuti; ita enim explorandas eſſe affectionum proprietates iubent Hippocrat. & Galen. de placitis Hippocrat. lib. 1. cap. 6. Celſus lib. 4 cap 2. Caſualis igitur omhinò erit mors, & omninò inculpabilis, ſi contingat, neque quidquam oberit, quod non explorandæ affectionis cauſa, ſed vt ſolamen aliquod ægris afferat, præſcribat, vt ait Codronch. cap. 1. cit. ſub finem, modò, vt dixi, certus fuerit, quantum ars patitur eiuſmodi medicamentum benignum eſſe, & nocere non poſſe.

Quartò qui ſtulta quadã facilitate, vt ait Hippocrat. ſpretis artis præceptis, nullóque adhibito ſtudio ſuæ prudentiæ ac experientiæ præfidens, ex animi arbitrio & præcipiti impetu quidpiam præſcribit, ſi inde ſequatur interitus ægroti, peccat mortaliter, & homicidij reus cenſendus eſt; ac proinde irregularis, vt ait Hoſtienſ. in cap. tua nos, de homicidio, & in ſumma eod. tit. vbi niſi ratione le-

uitatis damni illati ſua temeritate excuſetur, damnat peccati mortalis, & ad reſtitutionem faciendam obligat; quæ eſt etiam communis ſententia initio huius conſectarij ſtabilita; quo maius autem eſt morbi periculum, aut eius cognitio, vel curatio difficilior, eo maior debet eſſe diligentia, tum in ſtudendo, tum in viſitando ægroto, tum in conſulendo; quare hæc omnia expendenda erunt, vt pronuncietur, an ex culpa mortali Medici perierit ægrotus, atque ab ipſo contracta fuerit irregularitas.

Quintò qui aut lucri cauſa, aut experiendi, aut famæ aucupandæ gratia medicamentum aliquod dubium præſcribit, quia neſcit, an profuturum, an obfuturum ſit, grauiter peccat, & ſi inde mors ſequatur, fiet irregularis, ita Innoc. in cap. tua nos. Panorm. Felin. & alij paſſim. Vgolin. cap. 19. §. 1. num. 5. Quæ intelligenda ſunt, conſentaneè iis, quæ diximus lib. 3. ſcientiæ canonicæ de dubio & opinione probabili, vbi quandónam poſſit dubium medicamentum maximè deſperato, & ſi nullum aliud occurrat, præſcribi, definiuimus; ſi enim ex opinione aliqua probabili in caſu quopiam excuſetur à peccato cauſandæ, vel accelerandæ mortis ſuo illo dubio medicamento, excuſabitur quoque ab irregularitate, ex regula generali, ex qua etiam nobis dicendum omninò eſt, quod licèt Medicus peccaret grauiſſimè præbendo dubium remedium propter periculum, cui inconſultò ſe exponit, ſi tamen ægroti interitus, aut eius acceleratio non acciderit ex eo medicamento, ſed aliunde, non fiet irregularis, quia reuerà non occidit ægrotum, etiamſi grauiter peccarit.

Sextò Medicus ſuæ arti diffiſus, & neſcius quid vltrà poſſit præſidij afferre, non peccat ægrotum deſerendo, neque morte ſequuta fiet irregularis, quia id potiùs prudentiæ fuerit, qua ſuæ famæ conſulit, quàm iniuriæ, quam ægroto irroget; itaque monent ſapiëtiſſimi Medicorum, Celſus lib. 5. cap. 26. *prudentis hominis eſſe*, inquit, *primùm eum, qui ſeruari non poſſit, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius, vt occiſi, quem ſors ipſius peremit.* Eadem præcipit Galen. lib. 2. Aphoriſm. comm. 26. & lib. 1. comm. 8. & lib. 11. methodi cap. 9. ſi verò deſerat ægrotum, quem ſanare poſſet, & quem ſanandum ſuſceperat pacta mercede, & ſaltem non monet de aſciſcendo alio Medico, quo facilè potuerit haberi, atque ex ea deſertione contingat mors ægroti, eiúſve acceleratio, peccat mortaliter, ex Aſtenſi lib. 6. tit 14. art. 8. quæſt. 18. & Nauarr. cap. 25. n. 61. atque etiam cùm ſit culpabilis cauſa mortis, eiúſve accelerationis, fiet irregularis, neque enim hîc eſt ſola non impeditio, & pura quædam omiſſio, ſed vera quædam commiſſio & ſubtractio rei alienæ, vti fuit explicatum quæſt. ſuperiori.

Septimò Medicus qui ægrotis deſperatis omnia quæque etiam noxia concedunt, & quoſlibet cibos porrigi permittunt, aut etiam imperant, ſi illos noxios fore exiſtiment, & inde vel mors ſequatur, vel acceleretur, vti fieri omninò neceſſe eſt, grauiter peccant, & fiunt irregulares, cùm in victus ratione præſcribenda præcipua Medici cura verſari debeat, ſitque crudelis illa pietas, quæ vt ægroto facilem ſe præbeat, illam citiùs interimit; aliud verò eſt, quod aliquando non valdè lædentia vehementer cupientibus exhibeantur, quod & ſe feciſſe teſtatur Galen. lib. 6. Epidem. comm. 4. tit. 8. plura in hanc

hanc rem congerit Codronich.lib. 1. cit. cap. 8.

Idem verò dicendum erit de miniſtrantibus infirmo, qui illi nociua, ſtolida aliqua pietate miniſtrant, niſi enim bona fide & ignorantia excuſentur, & inde mortem accelerent, ſunt irregulares; non eſt autem bona fides, quoties contra præſcriptum Medici id faciunt, ita Sayr. lib. 7. cap. 6. num 13. Bonacina diſp. 7. quæſt. 4. punct. 7. num. 12. vbi quamplures alios referunt; addunt tamen Henriq. lib. 14. cap. 15. num. 5. & Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1. dub. 8. ſi tam parum acceleretur ægroti mors ex aliquo obſonio, vt vix aduertatur, aut ea concitatio mortis nihili fiat, non incurri hanc irregularitatem, quod iure Bonacina dixit ſe non improbare. Ratio mihi perſpicua videtur, non enim in ea tam exigua mortis præproperæ acceleratione poteſt contingere culpa mortalis, qualem tamen ad hanc pœnalem irregularitatem requirebamus ſecunda part. propoſitionis, atque hac ratione accipienda ſunt, quæ tota hac quæſtione atque alibi ſæpiùs diximus de irregularitate contracta ex mortis acceleratione, ea enim notabilis eſſe debet, atque capax malitiæ mortalis, niſi ex indeliberatione & inaduertentia in ea conſciſcenda excuſetur, vti ſæpiùs contingit in iis, qui miniſtrant ægrotis.

Octauò Atque hinc ſequitur tunc tantùm timendum eſſe irregularitatem miniſtrantibus, quando ex notabili ipſorum facto propter euidentem & notabilem negligentiam ac culpam mortalem acceleratur ægroti mors, & quidem quod aliqua negligentia & culpa horum miniſtrorum neceſſaria ſit, omnes æquè conſentiunt, quos dabit Sayr. num. 13. cit & Vgolin. cap. 19. §. 3. Suarez diſp. 47. ſect. 7. num. 3. contra Pelagium lib. 1. de planctu Eccleſiæ cap. 48. Qui nullam culpam requirit in hac parte, & ideò vetuit Clericis fungi infirmarij munere, cùm tamen, ſi culpa abſit, nullus ſit hîc defectus leuitatis, immò ſit potiùs importuna quædam & imprudens leuitas, neque ob illam impoſita eſt vnquam in iure irregularitas; quoad culpam verò mortalem, eam omninò neceſſariam nobis videri ſæpiùs monuimus. Qui igitur vertit ægrotum, ex eóque motu ſuffocatur fracto apoſtemate, impedito anhelitu, alióve caſu, qui ad itam commouit ægrotum, qui aquam aliúdve eiuſmodi, vt ipſi obſequeretur, porrexit, qui lecto, aut domo egredi, aut circa feneſtram ſtare permiſit, vix vnquam fiet irregularis, etiam ſequuta morte ægroti, quia vix vnquam peccabit mortaliter miniſtrans; deinde ſi vel dubium eſſet, an ex ea imprudentia miniſtri, mors ægri contigiſſet, conſulendus erit peritus Medicus, quòd ſi & ipſe dubitet, aut adiri nequeat, aut ſi dubitet, an imprudentia fuerit grauiter culpabilis, non erit exiſtimandus irregularis in illo dubio facti, in quo dolus abfuit; ſi enim ex intentione accelerandi mortem iſta fierent, reuerà culpa grauis, atque adeò irregularitas, ſequuta morte, præſumenda foret; cæterùm æquè liberum eſt Clericis atque laicis infirmorum curam gerere abſque metu irregularitatis, vti monet Caiet. ſecunda ſecundæ, quæſt. 64 art. 8. Henriquez lib. 14. cap. 15. num. 1. litt. M. & Molina diſput. 75. num. 2. tract. 3.

Nonò Aromatarij & Pharmacopolæ, qui medicamenta corrupta, aut ſuppoſititia, aut fucata & ementita præbent, & Medici, qui illa præſcribunt, peccant mortaliter, & ægroti morte

ſubſequuta, fiunt irregulares, quod etiam annotauit Panorm.in cap. tua nos,de homicidio.Vgolin.cap. 19.§. 3.num.1.& paſſim recentiores;quanta verò debeat eſſe hac in re Medicorum cura,piè & eruditè, ſuo more, Codronich.lib.1. cap. 9. & 10. & ſequentibus.

1 Decimò chirurgus membrum putridũ, ſphacelo & ſyderatione occupatum abſcindens, eo quòd nullum aliud ſuperſit remedium, quàm ſectionis, quod miſerrimum appellat Celſus,non fit irregularis, quamdiu ex artis præſcripto operabitur, & quantum periculi magnitudo poſtularit, diligens in eo vitando fuerit; quia nullibi in iure ea lata legitur irregularitas, quæ ſi aliquando eſſet, non foret niſi ex defectu lenitatis,non autem pœnalis. ita Vgolin. cap.19.§. 2 num.3.Nauarr conſil. 12 de homicidio,& cap.27.num. 17. qui etiam id iure merito referunt ad eos, qui chirurgum ſecantem iuuant,quod de Clerico adiuuante intelligendum volunt, quamuis daremus Clericum ſecantem incurrere irregularitatem, propter cap. tua nos; non enim ſequeretur idem dicendum eſſe de iuuante ſecantem, tenendo, v. gr.brachium,quod ſecatur, quia ius ſilet in eo caſu, & licèt ex aliquorum ſententia prohibeat chirurgicam ſectionem Clerico, non tamen inhibet, ne chirurgo ſecanti adſit, aut miniſtret. ita Molin.tract.3.diſp.75.n.1. Nauarr. loco cit. Couarr. in Clem.ſi furioſus 2.p.§.4.n.3 Sylu. v. homicid.2. n. 8.

Vndecimò qui dubitat, an membrum ſit abſcindendum, aut an ipſe ex artis regulis & abſque periculo ægroti poſſit abſcindere,ſi ex ea abſciſſione pereat ægrotus, reus eſt illius interitus, atque adeò irregularis; quæ conſequentia manifeſta fit ex dictis: prius autem illud affirmant Innoc. in cap. tua nos,de homicidio, num. 9. Angel. v. Medicus, num. 4. Vgolin.§.2.cit.num.6. & 7. Quando verò erratur non ſectoris culpa, ſed ob ægroti temperiem, aut quia non habet conſuetam membrorum diſpoſitionem, & latentis alicuius venæ, aut arteriæ, aut nerui concurſu, qui etiam à perito obſeruari non potuit, vel non niſi difficulter;aut repentino aliquo timore,aliáve ſimili de cauſa patiatur,tunc neque Medicus, qui ſectionem imperauit,neque chirurgus, qui ſecuit, peccarunt, neque fiunt irregulares.

Duodecimò, qui non ſua ſponte, ſed renitens vrgente ægroto, medicinam præſcripſit,aut parauit,aut membrum ſecuit, vnde ſequitur mors, negatur irregularis ab Abbate in cap. ad aures, de ætate & qualitate ordinand.num.3.& Angel.v.Medicus n.1. quia ipſe non eſt in culpa, ſed ægrotus, qui ita voluit.Vgolin. verò §. 2. citat.n.8.hunc Medicum irregularem pronuntiat, quia ſi ipſemet æger abſque neceſſitate membrum abſcidiſſet, foret irregularis; ergo & alter, qui eius iuſſu idem faciet,quia non plus iuris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habeat. Diſtinguendum mihi videtur, ſi enim iſte Medicus, aut chirurgus peritus ſit, videatque errare ægrotum,dum poſtulat ſibi noxium medicamentum, aut inutilem omninò ſectionem membri, non debet erranti ægroto obtemperare,alioquin grauiter peccat, atque reus erit mortis,ſi illa conſequatur, quandoquidem eius cauſam ſciens & volens poſuit, interemitque innocentem, quãuis volentem,atque volenti membrum abſcidit non ſine graui culpa, quia cùm æger non ſit dominus ſuæ vitæ,& membrorũ, non potuit facere

poteſta

poteſtatem alteri ſibi vitam eripiendi, aut membra tollendi, atque ea in parte valet ratiocinatio Vgolini; at verò ſi Medicus ille dubitet, an medicina obfutura ſit, vrgeatque ægrotus, dicatque ſe vel experimento illius medicaminis bonitatem comprobaſſe, vel ſibi ab alio quopiam perito fuiſſe præſcriptum, poterit depoſito dubio practico prudenter obſequi ægroti voluntati, quam rationabilem eſſe prudenter exiſtimat, atque ita non tenebitur de infelici illius euentu, neque propter illum fiet irregularis.

Decimotertiò, qui ſagittam extraxit è vulnere ea ratione, qua præſcribit ars, quamuis ea extractione vulnus recruduerit, atque ægrum extinxerit, non fit irregularis: ſi autem contra artem, quam non nouit, aut quia ad illam non ſatis attendit, peccauit, atque ita conciuit mortem ægroto, fit irregularis. ita Sayr. lib. 7. cap. 6. n. 14. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. part. 7. num. 13. qui alios dabunt. Ratio eſt, non quia vnus vacat rei illicitæ, alter licitæ, vti reſpondent laudati DD. ſed quia vnus non peccauit peccato homicidij, alter autem peccauit propter imprudentiam, aut negligentiam in vitando præſenti mortis periculo, nam ſi Clericus ex artis præſcripto idem feciſſet, ſeruatis iis omnibus, quæ ab arte præſcribuntur, non foret etiam irregularis propter mortem ex ea extractione ſequutam.

Decimoquartò. Neque medicinæ, neque chirurgiæ ars facit irregularem, niſi remordeat conſcientia alicuius homicidij ex grauiter culpabili imperitia, aut negligentia, vt hactenus fuit explicatum, commiſſi; quare abſque vlla diſpenſatione tum Medicus, tum chirurgus, qui nullius culpæ in ſuo exercendo munere ſibi fuerit conſcius, culpæ, inquam, ex qua alterius mors ſequuta fuerit, aut accelerata, ad ſacros Ordines promoueri poterit. Ita DD. in cap. ad aures, de ætate & qualitate ordin. vbi Pontifex Canonicum, qui medicinam exercuerat, ad Ordines promoueri poſſe reſpondet, niſi ipſum conſcientia remordeat, ne ſua culpa alicui necem attulerit; quæ omnia æquè valent in chirurgis, vti obſeruauit Sylu. verb. homicidium 2. quæſt. 13. & 14. Et nunquam in iure fiunt hæ perſonæ irregulares, niſi propter peccatum in ſuo munere commiſſum, ex quo contigerit homicidium; ergo ipſemet ſtatus non inuehit irregularitatem defectu lenitatis.

Decimoquintò. Clericis non eſt ſimpliciter interdictum medicinæ exercitium, aut etiam chirurgiæ, modò fiat citra inciſionem & aduſtionem, vnde non fient irregulares ex eo exercitio, quia cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi, prohibet tantùm aduſtionem & ſectionem. Deinde in tam ſæpè citato cap. ad aures, non tribuitur culpæ Canonico Colonienſi, quòd exercuerit medicinam; quod inde etiam confirmatur, quia ex communi DD. Canoniſtarum ſententia, qui volunt caſuale homicidium ex actione illicita ſequutum parere irregularitatem, hic Canonicus fuiſſet irregularis ſequuta alicuius ægroti morte ex curatione à ſe facta, & adhibita, quauis diligentia & prudentia appoſita, quia ille Canonicus vacaſſet rei illicitæ; quod tamen negat Pontifex, qui illum Canonicum non arcet à ſuſcipiendis Ordinibus, propter exercitium medicinæ, ſequuta inde morte, *ſi illum conſcientia minimè remordeat*; quod ipſum tradunt Cardinal. in illud cap. ad aures, num. 2. Couarr. in Clem. de homicidio. 2. part. §. 4. num. 3. Rodriq.

tom. 1. ſum. cap. 176. num. 12. Molin. tract. 3. diſp. 75. num. vltimo. Suar. diſp. 47. ſect. 7. num. 4. Auila 7. part. diſp. 6. ſect. 1. dub. 10 Hoſtienſ. in cap. ſignificaſti 2. de homicidio. Felin. in cap. tua nos. eod. tit. vbi & de Romana praxi teſtatur contra Roſell. verb. Medicus, fin. Angel. eod. verb. n. 11. Sylu. quæſt. 2. Armilla num. 4. Tabiena verb. Medicina, quæſt. 3. Nauarr. cap. 25. num. 110. Panorm. in cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi, num. 22. qui id malè probat ex eo quòd medicinæ ſtudium prohibeatur Clericis. cap fin. ne Clerici, vel Monachi; ergo & eius exercitium, quæ conſequentia à pluribus reiicitur, à Rodriq. loco cit. & Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 14. num. 18. quia ſtudium quoque legum prohibetur Clericis, eod. cap. fin. & tamen licet ipſis conſulere tum verbo, tum ſcripto, modò Aduocati munus non gerant, atque ita exercere legum ſcientiam, ſi quam prius ſibi comparârint, quod pluribus oſtendit Sanch. eod. lib. 6. cap. 13. num. 29. & 32. Deinde in illo cap. finali redditur ratio cur tum medicinæ, tum legum ſtudia vetentur Clericis, non, ne ea aliquando exerceant, ex eóque exercitio fiant irregulares, ſed vt Theologiæ ſtudium amplectantur. Non diffiteor quidem, aliquam eſſe indecentiam in hoc medicinæ exercitio à Clericis, aut Religioſis, vt dixit Molin. & Sanch. ſed nego ob eandem indecentiam alicubi latam eſſe irregularitatem; quare modò caueant à combuſtione & inciſione, eam non incurrent, licèt ab ipſorum actione inculpabiliter ſequatur mors ægroti.

Circa prohibitionem portò combuſtionis & inciſionis in cap. ſententiam, cit. quædam obſeruanda reſtant; primum eſt, illam non fieri niſi Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, non autem reliquis Clericis, etiamſi ſint beneficiati, aut Clerici, quod vidit ſapienter Molina diſp. 75. cit. num. 2. ſub fin. Rodriq. cap. 176. cit. num. 9. Bonac. diſput. 7. quæſt 4. punct. 5. n. 4. contra Nauarr. Panormit. Angel. Sylu. Armill. Tabien. & Sanch. loco cit. qui fatentur quidem nullum textum reperiri, qui loquatur de aliis, quàm de iis, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati; volunt tamen omnia, quæ interdicta ſunt Clericis in ſacris conſtitutis, cenſeri quoque interdicta Clericis beneficium ad victum ſufficiens habentibus. Verùm hæc regula generalis, quæ nomine Clericorum ſacris Ordinibus inſignitorum vult comprehendi omnes beneficiatos, probari deberet ab his Doctoribus ex aliquo iure, non autem gratis ab illis aſſeri, ipſi enim non faciunt ius, neque vllam rationem afferunt, quæ neceſſariò faciendam eſſe hanc extenſionem perſuadeat; quare claro & certo iuri, quod habemus in cap. ad aures, in quo prohibitio iſta traditur, ſtandum erit; vnde etiam Felin. cap. tua nos, de religioſo Sacerdote intellexit. Sed de illo cap. alibi fuit fusè tractatum.

Neqve obiicias quædam priuilegia quibuſdam Religioſis circa Medicinæ exercitationes conceſſa, quæ refert Rodriq. & in noſtro compendio priuilegiorum. verb. Medicus, idem dicitur indultum à Greg. XIII. noſtræ Societati, vt eius Religioſi periti medicinæ poſſint citra combuſtionem & aduſtionem ægrotis tum externis, tum domeſticis, vbi alij Medici facilè haberi non poterunt, mederi, nam hæc priuiligia probarent omnem artem medicinæ etiam ſine combuſtione & inciſione omnibus Religioſis fuiſſe prohibitam, quod falſum

falſum iam oſtendimus. Itaque dicendum eſt cum Rodriq. hæc priuilegia ad vitandos ſcrupulos, propter diuerſas DD. opiniones, ſæpiùs indulgeri.

Secundò obſeruandum eſt per prohibitam Clericis inciſionem non intelligi, venæ ad mittendum ſanguinem, apertionem. ita Molin. diſp.75. cit. num.4. Rodriq.num.9. cit.contra Auil. 7.part. diſp.6. ſect.1. dub.10.in quarta ſuppoſitione ante tertiam concluſionem, & Bonac. diſp.7. quæſt.4. punct. 5. num.5. Ratio eſt, quia id pertinet potiùs ad officium tonſorum, quàm chirurgorum, & in pœnalibus voces potius reſtringendæ, quàm ampliandæ ſunt. Præterea combuſtio prohibita non comprehendit carnis apertionem cauſtico, aut tumoris, ſeu apoſtematis ruptionem emplaſtro mollificatiuo, quod tradunt iidem DD. quia illæ non ſunt propriè combuſtiones & inciſiones.

Tertiò, non prohibetur Clericis conſulere, aut imperare, vt alicui membrum ſanitatis cauſa abſcindatur, aut comburatur; nam lex iubet duntaxat, ne in exercenda medicina ipſi comburant, aut ſcindant, quod non faciunt, quando tantùm iubent, aut conſulunt, eſtque alibi ſtabilita à nobis vniuerſalis regula, pœnam & prohibitionem alicuius operis nunquam extendi ad mandantes, niſi lex idipſum exprimat.

Quartò, vrgente neceſſitate, vt tempore peſtis, aut aliàs deficientibus peritis chirurgis, poterit chirurgus etiam cum combuſtione & ſciſſione mederi abſque irregularitatis periculo, quod latè oſtendit Molin. diſp.75. citata. Ex his omnibus circa irregularitatem Clericorum aliquot vniuerſales regulas colligo.

Prima eſt. Nunquam Clericus exercendo chirurgiam, aut medicinam, etiam cum aduſtione, aut ſciſſione in caſibus ſibi permiſſis, vt vrgente neceſſitate, incurret irregularitatem, etiamſi ex eius actione mors ægri ſequuta fuerit, niſi eius peritia & negligentia, aut aliter culpabili contigerit. Ratio eſt, quia tunc tam licitè has actiones exercet, quàm laïcus, præterquam quòd nulla in ea tota actione fingi culpa poteſt; nulla igitur ipſi imponi pœna iure poterit. Immò fieri poterit, vt vrgente neceſſitate obligetur ad eas actiones iure naturali; iniqua verò foret lex Eccleſiaſtica, ſicuti argumentatur Molina, ſi puniret iuris naturalis obſeruationem.

Secunda, etiamſi Clericus abſcindat, aut adunat membrum alicuius ægroti ſanitatis cauſa, contra legem Eccleſiaſticam, à cuius obſeruatione nihil ipſum tunc excuſat; ſi tamen mors ſequuta non fuerit ex ea actione, vel quia non interiit æger, vel quia alia de cauſa interiit, propria, v.gr. intemperantia, non incurret irregularitatem. Ita Auila dub.10.cit. con.5. Henriq. lib.14.cap 11.num.1. litt. I Bonac punct.5.num.5 & alij, quia mutilationis irregularitas non oritur ex mutilatione, quæ ad totius conſeruationem tendit; deinde ſi aliqua alia ex cauſa, quàm ex abſciſſione mors obuenerit, non erit incidenti tribuenda, vt patet.

Tertia. Clericus ex regulis artis vſus combuſtione & ſectione ſibi prohibita, atque ita peccans contra legem Eccleſiaſticam; ſi tamen adhibuit ſufficientem diligentiam, non erit irregularis, quamuis ex eius actione ſequatur mors. Hæc aſſertio eſt contra communem DD. quos etiam in hoc ſpeciali caſu dabit Diana tract.1. 4 partis reſolut.23. verùm

ſequitur

ſequitur apertiſſimè ex dictis 3 parte propoſitionis vniuerſalis, cùm hæc irregularitas requirat culpam homicidij, eámque mortalem, & nulla eiuſmodi ſit in eo caſu, quamuis ſit alia quæpiam contra Religionem, aut aliam virtutem, propter vſurpatam actionem ſibi prohibitam, non poterit contrahi irregularitas homicidij, quod ibi reuerà nullum fuit commiſſum à Clerico, ſicut neque fuiſſet commiſſum à laico, ſi eandem omninò actionem, & eodem modo exercuiſſet; peccauit tamen, vt dixi, Clericus non homicidio, ſed alienum munus & ſibi vetitum exercendo: non peccaſſet autem laïcus; quoad homicidium autem vterque æquè immunis eſt culpæ, ſi ex artis regulis operatus eſt, & æqualem adhibuit diligentiam; quare æquè expers erit pœnæ illi culpæ impoſitæ, vti fuſius tertia illa parte oſtendimus.

Consectarium XII.

Quandónam ex venatione contrahatur homicidij irregularitas?

28 Hvivs conſectarij ſolutio manifeſtè colligitur ex dictis, quoties enim venationi ſiue periculoſæ, ſiue non periculoſæ, vacans adhibuerit omnem cautionem & diligentiam neceſſariam pro ratione periculi, ne quis occidatur, atque ita ſi quem occidat caſu, & inuoluntariè, atque adeò inculpabiliter occidit, ſicut reus haberi non poteſt illius externi homicidij, ita neque ratione illius incurret irregularitatem, quæ culpam mortalem exigit, qualis non eſt in homicidio merè caſuali, ſiue ex re licita & non periculoſa, ſiue ex illicita & periculoſa proueniat, quia diligentia & cautio adhibita omne periculum hîc & nunc exterſerat, atque adeò omnem culpam, & omne indirectè voluntarium, licèt ſit aliqua culpa anterior in ea venatione, eo quòd vel loco, vel tempore, vel modo ſibi prohibito fiat; ſed huius culpæ ratio non habetur in contrahenda iſta irregularitate, quæ ex ſola culpa homicidij aliquo modo voluntarij, eáque mortali contrahitur.

Primò igitur, ſiue Clericus, ſiue laïcus confodiat hominem, quem exiſtimat eſſe feram poſt adhibitam diligentiam, quæ neceſſaria erat pro ratione periculi, vt exploraretur, an homo, an fera lateret, ſiue in proprio, ſiue in alieno nemore fieret, ſiue quidpiam aliunde peccaretur in ea venatione, nulla timenda eſt irregularitas; contra quam de Clerico ſentiunt DD communiter relati à Sayr. lib. 7. cap. 6. num. 17. quando venatio fuit illis prohibita non tantùm ob aliquam decentiam ſtatus, ſed propter periculum occiſionis, cuiuſmodi eſt venatio aprorum, & quæ clamoroſa dicitur, fitque cum armis; quæ diſtinctio in tertia parte propoſitionis reiecta iam fuit.

Secundò optimè dixit Caiet 2. 2. quæſt. 64. art. 8. non fuiſſe irregulares eos venatores, quorum canes venatici inſequuti ſunt ceruam domeſticam, quæ in ſinum dominæ ſuæ Principis Hiſpaniæ confugit, eamque ita perterrefecit, vt abortiret, quia ille caſus fuit planè inexcogitatus & inculpabilis his venatoribus.

Tertiò, qui feram alit, & eam ita cuſtodit, vt neminem lædere poſſit, ſi tamen aliquo caſu eludat cuſtodis diligentiam, & aliquem interficiat, non ſit irregularis ille cuſtos, qui ea

in re nihil peccauit; ſi verò magiſtri temeritate, aut negligentia euaſit fera, & aliquem interfecit, reus erit magiſter illius homicidij, atque adeo irregularis, quod communi conſenſu DD. affirmant, à quibus enumerandis abſtineo, dabit illos Sayr. cap. 6. cit. n. 19. Memineris porrò nos ſēper requirere culpā mortalē, cùm plerique DD. veniali contenti ſint.

Consectarium XIII.

Quandónam ex ludo, ex quo fuit ſequuta cædes alicuius, incurratur irregularitas?

91 HÆc quoque difficultas, quæ ſæpius contingere poterit, ſoluta manet ex dictis.

Quoties enim ludus eſt periculoſus, ſiue ratione illius periculi ſit prohibitus, ſiue permiſſus, niſi adhibeatur ea omnis cautio, & diligētia, quam exigit periculum homicidij, vt vitetur, atque ita peccetur mortaliter per incuriam, & mors ex eæ ſequatur, incurritur irregularitas homicidij caſualis, præter primariam intentionem ludentis ſequuti; ſi verò fuerit omnis cura allata, neque in ea omittenda quidquam peccatum, aut non niſi admodum leuiter, nulla contrahitur irregularitas ob contingens homicidium, quia prorſus caſuale fuit; atque ad hanc regulam expendendi ſunt communes, & obuij iſti caſus.

Primò, qui in ioco metum incutit viro meticuloſo, qui ea de cauſa ſe præcipitem dat, damnant enim irregularitatis Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. num. 8. & Henriq. lib. 18. cap. 15. num. 3. quod contingit in ioculatore, qui ſerpentes defert, & ſubitò coniicit.

Secundò, iuuenes, qui laſciuientes crepitu alicuius veſicæ prægnanti illudunt, & abortire faciunt, irregulares faciunt Maiol. & Henriq. locis citat. Sed in his omnibus dolus, malus ſupponendus eſt, & culpa grauis, eo quòd periculum præuiderint, aut præuidere debuerint, quod cùm non contingat in pueris, idcircò eos excuſant Angel. verb. homicidium 2. num. 12. Sylu. eod. verb. 2. n. 22. Tabien. verb irregularitas 3. §. 14.

Tertiò, qui pila, aut folle, aliiſque eiuſmodi ludis ludebat in loco frequenti, & non ſolito, & non cauit, quantum opus erat, ſi quem mutilet, aut occidat, reus erit irregularitatis, ſi ea negligentia mortalis fuerit, & illum homicidij, aut mutilationis verè reū faciat; atque ita explico l. item Mela. ff. ad l. Aquiliam; pila enim in tōſoris manus excuſſa fecit, vt errante cultro gulam præciderit ei, qui tondebatur, & quia tonſor tondebat in loco deſtinato, ac proinde cauere debuit illud periculum, peccauit; ſi enim vel ille locus non erat illi ludo deſtinatus, vel tonſor intra ſuā tabernā tōdebat, & pila eodem modo impacta, idem contigerit, non erit reus tonſor, ſed luſor, ſi in culpa quoque fuerit, nam ſi omninò caſu id acciderit reſpectu tum tonſoris, tum ludentis, neuter erit aut homicida, aut irregularis. ita ex parte Vgolin. cap. 22. n. 2. & 3.

Quartò, qui pilis glaciata niue confectis, & iam indureſcentibus, aut lapidem abſcondētibus ſeſe mutuò percutiunt in loco frequenti, ſi alicui oculum eruant, aut etiam occidant, vix excuſari poterunt à lata culpa, atque ab homicidio, & irregularitate, ſi tamen monuiſſent ſeriò,

& ſpectatores ducti curioſitate non ſibi caueant, eorum potiùs erit culpa, quàm ludentium; ſi verò aliquis è ludentibus intereat, aut mutiletur, vix excuſari poterit, cùm vix diligentia, & cautio ſufficiens huic malo euitando potuerit adhiberi. ita Vgolin. cap. cit. n. 4. & Bonac. punct. 7. citat. num. 21.

Quintò, vix etiam qui gladiis, & crudis armis inter ſe decertant, aut præpilatis, & infeſtis haſtis dimicant, excuſari poterunt ab irregularitate, ſi quis in ludicra illa pugna cadat, aut mutiletur, quia ſimulata iſta certamina quæ torneamenta nominant, ita ex natura ſua periculoſa ſunt, vt vix ſatis magna diligentia ad vitandam cædem, vel mutilationem adhiberi vnquam poſſit, vnde & prohibentur tit. de torneamentis: quod idem dicendũ de ludicra pugna quæ fit lapidibus, ſecus enim eſſet, ſi vires experiendi cauſa lapides iacerentur, vt fit in diſco luſorio, tunc enim ſi aberraret lapis, aut manus in vnum aliquem obuium, caſualis omninò eſſet cædes ex eo errore contingens. de hoc ludo adi Couarr. in Clem. de homicid. 2. part. §. 4. num. 6.

Sextò, agitatio taurorum, etiamſi prohibita ſit variis Pontificum conſtitutionibus, ſi tamen fieri poſſit ſine probabili periculo, propter repagula ſufficientia adhibita, aliáque eiuſmodi, licita erit, vt obſeruauit Nauarr. cap. 15. n. 21. tunc igitur ſi aliquod contingat homicidium, aut mutilatio, non incurretur irregularitas, quia ſublato probabili periculo non erit culpabilis ea occiſio, vt patet. De hac porrò agitatione aliquid à nobis dictum fuit ſuperiùs, diſputabitúrque commodius alibi.

Septimò. Funambuli, ſi caſu ſuo ſe mutilent, aut alium quempiam obterant, ſi pariti erant, ita vt prudentium arbitrio nullum eſſet periculum, non fiunt irregulares, quia reuera non peccarunt, neque ita ludendo, vt docet Petr. a Nauarr. lib. 2. cap. 3. num. 83. neque etiam ſe, aut alium mutilando, aut occidendo inuoluntariè prorſus, & caſu quodam, qui prudenter timendus non erat, nam ſi vel ex imperitia, vel ex alia cauſa, quam quis præuidere debuit, neque cauere tentauit, contingat cædes, reus illius erit, atque adeò irregularis.

Octauò, qui canem, quem ferocem, aut rabioſum nouerat, in alium ioco concitauit, vix excuſari poterit à cæde, aut mutilatione, ſi canis alterum occidat, aut mutilet; quod idem dicendum eſt de eo, qui gladiũ furenti dedit, quia vix poſita ea cognitione poterit ab hoc ioco abeſſe culpa lata, & mortalis, ratione cædis conſequutæ, cuius periculum præuidere debuit, & vitare diligentius; atque ita omninò præſumitur in foro externo, vnde damnatur in his duobus caſibus. l. item Mela. §. item, & cum eo. ff. ad l. Aquiliam. & l. qua actione. §. ſed ſi quis ſeruum. ff. eod. tit. Non placet porrò quod ait Vgolin. cap. 18. eum qui non nouerat canem rabioſum eſſe, quia non erat ſolitus mordere, ſed tunc inſolitis intemperiis actus, eum, in quem prouocatus fuerat, momordit, fore etiam irregularem, quia illicitę rei vacauit, non placet, inquam, quia vix culpa mortalis homicidij ſubſequuti in eo caſu fingi poterit, quod tamen nos perpetuò requirimus.

Nonò, qui aliquem ioco de ponte præcipitem agit ad incutiendum metum, atque vt ipſum ea commotione quartana liberet, fiet irregularis, ſi ille

ille intereat, aut mutiletur, quia niſi magna quædam ſimplicitas illum excuſet, grauiter peccauit, cùm illud periculum præuidere & cauere debuerit, quare etiam iure ciuili plectitur. l. qua actione. §. ſed ſi quis de ponte. ff. ad l. Aquiliam.

Decimò, qui Catadromum decurrunt ſiue pedeſtri, ſiue equeſtri concertatione ad palmam gemmatæ bullæ, aut ludi tantùm cauſa, ſi vnus alium obſerat, aut vnus, dum alium inſequentem fugit, concidat, & vel mutiletur, vel etiam extinguatur, modò dolus malus abſit, nullam irregularitatem contrahunt.

Vndecimò, qui lapidem ludi cauſa in alium mittit, quem dum fugit vitaret, alter tentat, cadit, atque eo caſu extinguitur, aut mutilatur, non fit irregularis; quod in ſimili caſu reſpondet Honorius III. in cap. exhibita. de homicid. vnde etiam pueros vix vnquam incurrere hanc irregularitatem ratione homicidij ex ludo aliquo prouenientis, colligunt Nauarr. conſil. 7. de homicidio. Molin. tract. 13. diſp. 77. num. 9. Sayr. lib. 7. cap. 6. n. 31. & in Claui lib. 10. cap. 12. n. 28. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 7. num. 26. quia illi non ſatis aduertere poſſunt periculum, cui ſe exponunt, vt peccent mortaliter illud non vitando. Diſplicet porrò quod Innoc. Panorm. & alij DD. communiter apud Couarr. §. 4. cit. num. 6. & Vgolin. cap. 19. num. 10. Volunt in iſto caſu, de quo diſputamus, iacientem lapidem ludi cauſa fieri irregularem, ſi vel grandem iaciat, vel iacere ſe fingat, & qui graue vulnus minitetur, & alter, vt illum fugiat, ſeſe perimat, nam ſi nulla fuit mortalis cauſa in vitando eo periculo, aberit etiam omnis irregularitas.

Duodecimò, qui luctantur inuicem, vt experiantur ſuas vires, dum quilibet ſuum aduerſarium deiicere conatur, ſi vnus feriatur à gladio alterius lateri accincto, non contrahitur irregularitas, niſi vel ex lege ludi, vel alia circunſtantia potuerit aduerti hoc periculum, & in eo omittendo fuerit culpa mortalis.

Decimotertiò, qui ludit, aut ſaltat cum muliere prægnante ſiue ludo honeſto, ſiue laſciuo, indéque contingat aborſus, niſi fuerit culpa mortalis in vitando illo periculo excuſſionis fœtus, non contrahitur irregularitas, quòd ſuperiùs quoque annotaui.

Consectarium XIV.

Expenduntur alij ſingulares euentus, in quibus dubitari poteſt, an ex homicidio caſuali contracta fuerit irregularitas?

AD extremum facilè cuilibet fuerit explicare, quandónam in cotidianis euentibus contracta fuerit irregularitas ratione homicidij caſualis propter non adhibitam cautionem in eo vitando. 30

Dixi enim in vniuerſum tunc tantùm incurri hanc pœnam, quando in non vitando homicidio peccatum fuit mortaliter ratione negligentiæ, aut imprudentiæ, ſiue actio fuerit aliunde licita, ſiue illicita; quare ex vulgaribus actionibus, quæ ex ſua natura non ſunt ita periculoſæ, vt ea de cauſa aduertere, & attentum reddere debeant animum operantis, vix vnquam contrahi irregularitatem, mihi certum eſt, eò quòd ferè perpetuò, aut nulla, aut leuis admodum culpa ratione homicidij caſualis committatur in his euentibus.

Primò itaque, qui tectum reſarciens cadit, & aliquem obterit, qui turrim, aut feneſtram ædificant, ex qua aliquis dedit ſe præcipitem; qui vinum generoſum conuiuis appoſuit, aut lautiſſimas illis inſtruxit epulas, quibus aliquis ſe ita ingurgitauit, vt crepuerit, vt dementis poteſtate deiectus alium occiderit, non fit irregularis, vt ait Vgolin. cap.28. num.2.3. & 4. quia fortuitum & omninò inuoluntarium eſt illi illud homicidium.

Secundò. Qui mittit alio itinere maritimo, aut terreſtri,& vel tempeſtate perit, vel à latronibus cæditur, qui ruſticum ad ligna cædenda mandat, & caſu arboris opprimitur, aut hauritur torrente, vel incidit in puteum, in quem ad hauriendam aquam miſſus fuerat, non fit irregularis, quod in aliis quoque ſimilibus dicendum erit, quia mittentis culpæ non poteſt tribui hoc homicidium; ſecus verò ſi puerum ad flumen, aut puteum miſiſſet, aut quempiam alium ad iter periculoſum, neque ſatis prudenter prouidiſſet vitando periculo, niſi neceſſitate, aut alia quapiam cauſa excuſaretur à mortali imprudentia, fieret irregularis; qui iubet fabrum conſcendere tectum ad illud reficiẽdum, non eſt irregularis, ſi faber alioqui peritus cadat. ita Angel. verb. homicidium 2. num.8. Sylu. verb. eod. 2. §.9. Henriq. lib. 14. cap. 15.n.4.

Tertiò. Ne quidem ille, qui mittit alium ad faciendum opus illicitum, reus erit mortis eius, ſi ipſum in eo opere perire contingat, niſi imprudens, aut negligens mortaliter fuerit in periculo præcauendo: vt ſi miſſus ad furandum, aut adulteram ſollicitandam fulmine pereat, quia non eſt culpa homicidij in mittente, niſi ratione circumſtantiarum in peculiari illo facinore, iure merito timere debuerit periculum, & non afferat, quæ ad illud vitandum eſſent neceſſaria, vt idcircò eum, qui mittit alium ad colligendos racemos in vinea, & ille à cuſtode, aut vigili cane mutiletur, aut occidatur, negant eſſe irregularẽ, Henriq. lib. 14. cap. 15. num.3.& Sayr. lib.7. cap.6. num. 26. contra plures id affirmantes, qui facilè conciliantur, illa diſtinctione periculi præuiſi, aut non præuiſi culpabiliter; quod idem dicendum erit de illo, qui mittit famulum ad rapiendam fœminam, quam ille vel rapiendo occidit, vel eius ſeruos reluctantes, de quo ca u diximus alibi cap. 5. q. 3. Hic enim mandator pro ratione periculi faciendæ cædis in opere imperato debuit adhibere diligentiam in ea cauenda, qua in re ſi peccauit mortaliter ſequuta deinde cæde, erit irregularis; quare Couarr. in Clem. de homicid. 2. part. §. 1. num. 2. rectè omnia iſta exponenda eſſe monuit; neque alia ratione intelligo Henriq. loco cit. negantem hunc mandatorem raptus eſſe irregularem, eo quòd illud mandatum per ſe non tendat ad cædẽ, ſed ad explendam libidinẽ.

Quartò. Parentes, qui infantes ſecum dormientes ſuffocant, fiunt irreguiares, ſi imprudenter, & omnino culpabiliter illos in ſuo lecto collocarint, non autem ſi ex variis circumſtantiis periculum timeri non debuit, aut illi ſufficienter cautum fuerat, aut paupertas aliáve cauſa legitima ipſos a peccato excuſauit, atque ita compono diſſidentes ſententias DD. quos dabit latè Sayr. lib. 7. cap. 6. num. 20. & 21. & Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. num. 9. itaque interpretor prohibitionem fa-

ctam parentibus locandi hos infantes in eodem lecto, etiamſi alicubi excommunicatio illi prohibitioni annexa ſit, nam ad illam requiritur, vti demonſtrauimus aliàs, peccatum mortale.

Quintò. De equo ferociente, renitente ſeſſore obuium cóterente, & de caſtigante filium, ſeruum, aut diſcipulum, quandónam incurrat irregularitatem, dixi conſectario primo exponendo varia iura, cap. Preſbyterum, & cap. ad audientiam, de hohomicidio.

Sextò. Qui acriter alium obiurgauit, non eſt irregularis, etiamſi ita obiurgatus pœnitudine ductus imprudenter ſe mutilet, aut etiam ſibi ipſi mortem afferat, quod contigiſſe B. Antonio Paduano refert Vgolin. cap. 28. n. 6. pœnitens enim ab ipſo increpatus ſibi pedem abſcidit.

Septimò. Iudex, qui iniuſte torturam licet moderatam rei imperauit, vnde ille mutilatur, fiet irregularis, cùm peccauerit contra iuſtitiam commutatiuam, imperãdo pœnam maiorem crimine, aut quàm leges ferrent, & ex eo torturæ modo periculum mutilationis debuerit præuidere, vt optimè ſenſit Auila diſp. 6. ſect. 1. dub 5. ſi autem mutilatio contigerit ex culpa torquentis, aut torti, nequaquã erit irregularis iudex, ſed ipſe torquens, ſi ea in re imperitia, aut negligentiã peccauit mortaliter.

Octauò. Qui reficit tegulas, ſi verbis, aut ſigno non moneat tranſeuntes, vt ſibi caueant à tegulis, quas proiicit, reus erit irregularitatis, ſi quis mutiletur, aut occidatur, vt ex communi docet Henriq. lib. 14. cap. 15. n. 4. quod de omni incauta proiectione dixit Tabien. verb. irregularitas 3. §. 1. & 19. ſed ego in hac re culpam mortalem poſtulo in proiiciente.

Nonò. Clericum noctu deferentem arma prohibita, irregularẽ eſſe, ſi quis ea illi auferat, & hoſtem confodiat, exiſtimant nonnulli, alij limitant, cum Henriq. cap. cit. n. 4. ſi Clericus volens illa arma dedit, non autem ſi ipſi inuito ea fuerint ablata. Ego in illa traditione armorum non magis agnoſco irregularitatem ratione homicidij, quod iis armis commiſſum fuit, quàm ſi à laico fuiſſent accepta; quare niſi in traditione fuerit culpa mortalis, propter præuiſum iniuſtum homicidiũ, nulla omninò, ſiue à laico, ſiue à Clerico ſponte, aut per vim tradente eiuſmodi arma, timenda eſt irregularitas.

Decimò. Clericus, qui benedixit aquam feruentem, qua vſa fuit fœmina ad purgationem canonicam, ſed ſuo malo, & interitu, irregularis dicitur ab Henriq. num. 4. cit. Tabien. verb. irregularitas 3. n. 18. Sylu. verb. homicidium 3. n. 7 qui idem affirmant de benedicente ferrum candens, & pugiles ad eandẽ purgationẽ vulgarẽ, ſi ex ea mors ſequatur. Verùm ſi quæ ſit ibi irregularitas, illa erit ratione cooperationis proximæ ad iniuſtam mortem; qui enim parat eam aquam conſecrationibus, vel potiùs damnatis execrationibus, æque ad mortem inde ex natura rei conſequentem concurrit, atque qui potionem venenatam ſciens, & volens miſcet, eaque videtur eſſe mens Angeli verb. irregularitas. §. 20.

Ex his quæ fusè diximus, atque ex regulis generalibus facile cuique fuerit obuias quæſtiones definire, infinitæ enim foret operæ ſingulos euentus particulares enumerare.

QVÆSTIO III.

De irregularitate ex defectu lenitatis propter iuſtam cædem, aut mutilationem

Status quæſtionis. n. 1.
Prima regula, de homicidio iuſto neceſſario. n. 2.
Expoſitio, & confirmatio regulæ. n. 3.
Prima pars regulæ. Homicidium conſequens actionem licitam, & ita neceſſariam, vt ſine peccato omitti nequeat, nullam parit irregularitatem. n. 3.
Secunda pars regulæ. Homicidium ad quod aliquis graui metu coactus iuſtè concurrit, non facit irregularem. n. 4.
Tertia pars regulæ. Non eſt diſtinguendum inter Laicum, & Clericum vbi eadem vrget neceſſitas. n. 5.
Secunda regula. De homicidio iuſto voluntario. n. 6.
Expoſitio, & confirmatio regulæ. ibid.
Tertia regula. De iis qui cooperantur iuſtæ occiſioni, an ſint irregulares. n. 7.
Expoſitio, & confirmatio. ibid.
Conſectarium primum. An ſit vera communis regula ex homicidio licito priuata authoritate commiſſo, nunquam incurri irregularitatem, quæ tamen ex eodem homicidio publica authoritate commiſſo incurritur. n. 8.
Conſectarium ſecundum. An iuſtè occidens alium, ad ſui, & rerum ſuarum defenſionem, fiat irregularis. n. 9.
Conſectarium tertium. Explicantur ſingulares difficultates ex priori conſectario circa irregularitatem ex occiſione in ſui rerumque ſuarum defenſionem facta. n. 10.
Prima difficultas. De occidente ad vitæ defenſionem. n. 11.
Secunda difficultas. De occidente ad vitandam mutilationem. n. 12.
Tertia difficultas. De occidente ad vitandum graue vulnus. n. 13.
Quarta difficultas. De occidente ad defenſionem honoris, & bonorum. n. 14.
Quinta Difficultas. De occidente barbam ſibi vellentem. n. 15.
Sexta difficultas. De eo, qui clamore concitans vicinos ad capiendum latronem cauſa eſt, vt occidatur. n. 16.
Septima difficultas. De occidente inſidiantem pudicitiæ. n. 17.
Octaua difficultas. De occidente ad tuendum proximum. n. 18.
Nona difficultas. De eo, qui inſidias ſibi parantem anteuertit, eúmque occidit. n. 19.
Decima difficultas. De eo, qui ad inculpatam ſui defenſionem alium occidit, ſed ex odio. n. 20.
Vndecima difficultas. De occidente iniuſtum inuaſorem, quem vides eſſe in peccato mortali, in eóque moriturum. n. 21.
Duodecima difficultas. De occidente inuaſorem innocentem. n. 22.
Decimatertia difficultas. An qui occidit, quem ad ſuam tutelam fuerat ſatis vulnerare, fiat irregularis. num. 23.
Decimaquarta difficultas. De occidente iniuſtum inuaſorem fugientem. numero 24.
Decimaquinta difficultas. An qui potuit inuadentem vitare fugiendo, ſit irregularis, ſi ille occidat. n. 25.
Conſectarium quartum. An qui propria culpa ſe coniecit in neceſſitatem occidendi alium vt ſe tueatur, ſit irregularis occidendo. n. 26.
Conſectarium quintum. Explicantur ſingulæ difficultates ex priori conſectario deductæ. n. 27.
Prima difficultas. De adultero, qui vt ſe tueatur,

tueatur, occidit maritum eius, quam corruperat. n.28.
Secunda difficultas. De reo iniuſtè damnato, & miniſtros occidente. n.29.
Tertia difficultas. De iure ſe defendente. num. 30.
Quarta difficultas. De eo, qui verbis aliáve ratione incitauit alium, quem deinde nequit repellere, niſi ipſum occidendo. n.31.
Quinta difficultas. De milite pugnante in bello iniuſto, & aduerſus ſe inſequentes ſeſe defendente. n.32.
Conſectarium ſextum. Quandónam milites pugnantes contrahant irregularitatem. n.33.
Prima difficultas. De militantibus in bello iniuſto. n.34.
Secunda difficultas. An qui militant in bello iniuſto, ſint irregulares ſequuto homicidio. n.35.
Tertia difficultas. An qui militant in bello iniuſto fiant irregulares nullo ſequuto homicidio. n.36.
Quarta difficultas. Quinam fiant irregulares in bello iuſto aggreſſiuo ſequuto aliquo homicidio. n.37.
Quinta difficultas. Quid liceat Clericis in bello iuſto aggreſſiuo abſque irregularitatis nota. n.38.
Sexta difficultas. An in bello iuſto defenſiuo incurratur irregularitas. n.39.
Vltima difficultas. Quid liceat Clericis in bello iuſto defenſiuo. n.40.
Conſectarium ſeptimum. Quandónam contrahatur irregularitas ex iudicio ſequuta rei morte, aut militatione. num.41.
Prima difficultas. An iudex damnans reum, ſequuta eius morte fiat irregularis. n.42.
Secunda difficultas. An iudex qui ſcribit, vel dictat ſententiam capitis, quam alius pronuntiat, ſit irregularis ſequuta rei morte. n.43.
Tertia difficultas. An iudex, qui in anguſtum carcerem compegit reum, ſit irregularis ſequuta eius morte. n.44.
Quarta difficultas. An iudex damnans reum ad triremes, qui ex eo quod malè habitus ſit, moritur, fiat irregularis. n.45.
Quinta difficultas. An Clericus alteri cauſam committens, ſit irregularis propter rei mortem. n.46.
Sexta difficultas. An Clericus ferre queat legem, qua crimina puniantur morte. num.47.
Septima difficultas. An Eccleſiaſtici tradentes reum iudici laico, ſequuta eius morte, ſint irregulares. n.48.
Octaua difficultas. Quomodo Clericus conſultus de crimine capitali vitabit irregularitatem. n.49.
Nona difficultas. An confeſſarius negans abſolutionem iuridicè nolenti punire reum, vti tenebatur, fiat irregularis ſequuta rei morte. n.50.
Decima difficultas. An Confeſſarius conſulens reo iuridicè interrogato crimen fateri, vnde perit, fiat irregularis num.51.
Vndecima difficultas. Quandónam accuſator fiat irregularis, & an proteſtatione excuſetur. n.52.
Quot modis culpa criminalis agitetur. num.53.
Proteſtatio non eſt neceſſaria in foro interno. n.54.
Examinantur antiqua iura. n.55.
Obiecta ex Bonifacij conſtitutione. numero 56.
Altera obiectio ex natura accuſationis, ad quam praeuidetur mors ſequutura. num. 57.
An laicis ſit etiam neceſſaria proteſtatio. n.58.
Duodecima difficultas. An Clericus abſque metu irregularitatis accuſare poſſit de alienis iniuriis. n.59.
Variae ſententiae. ibid.
Vera ſententia ex noſtris regulis. n.60.

Decimatertia difficultas. An liceat Clericis reum detinere, alios ad illum capiendum excitare, dare indicia, &c. abſque irregularitate, ſequuta deinde eius morte. n.61.
Decimaquarta difficultas. An ficta proteſtatio ſufficiat, & quomodo fieri debeat. n.62.
Ficta ſufficit. ibid.
Modus proteſtandi. n.63.
Decimaquinta difficultas. An teſtis in cauſa ſanguinis ſit irregularis ſequuta rei morte. n.64.
Eſt irregularis. ibid.
An excuſetur proteſtatione. ibid.
Excuſatur tamen neceſſitate teſtificandi. num.65.
Et in cauſa ciuili. n.66.
Decimaſexta difficultas. An Aduocatus in cauſa ſanguinis ſit irregularis. num 67.
An Aduocatus rei ſit irregularis, quando accuſator mulctatur pœna excommunicationis. n.68.
Decimaſeptima. Quinam alij miniſtri iudiciorum fiant irregulares. n.69.
Quid de publico ſcriba. n.70.
De ſcribente litteras iudici, vt damnet reum. n.71.
De legente iudici illas litteras. n.72.
Quid de procuratore, ſiue ſyndico n.73.
Quid de lictoribus & carnifice. n.74.
De iuuantibus rei mortem. ibid. n.75.
Decimaoctaua. An ſpectantes reorum ſupplicia fiant irregulares. n.76.

VIDIMVS quomodo incurratur pœnalis irregularitas ex homicidio, præter quam alia quædam eſt in iure non vindicatiua, neque propter culpam commiſſam, ſed propter defectum lenitatis & manſuetudinis impoſita, Eccleſia enim à ſacris Ordinibus prohibet aliquando eos, qui mortem alijs concinerunt, quamuis iuſtè omninò, & abſque vlla ſua culpa.

IVSTA porrò cædes & mutilatio, quas nomine homicidij complectimur, quamuis, vt monuiſſe me memini, homicidij vox propriè ſignificet iniuſtam occiſionem, & crimen contra quintum Decalogi præceptum admiſſum. Iuſta, inquam, cædes, ſeu homicidium duobus modis contingere poteſt, vel neceſſariò & coactè, vel ſponte; dicitur vnum homicidium neceſſarium, quoties aliquis alium occidit neceſſitate quadam adactus; quare inuitus facit, neque enim ſe ipſe volens in eam neceſſitatem induit; eiuſmodi eſt homicidium, quod in ſui defenſionem, aut proximi rerúmque ſuarum, admittere quis cogitur, quamuis enim velit occidere, ne ipſe occidatur, non tamen id vult niſi coactus & vrgente neceſſitate, quam ſibi impoſitam eſſe ſæpiſſimè dolet, licèt mali occidere aduerſarium, quàm ab illo occidi; ſicut ad exonerandam nauim eligitur proiectio mercium, quæ ita voluntaria eſt, vt ſimul etiam ſit neceſſaria; quia igitur hoc homicidium neque per ſe & directè intenditur, neque ſponte, ſed ex quadam hypotheſi iuſtæ coactionis, idcircò dicitur neceſſarium & coactum, quamuis ſit liberum ſimpliciter, & per actionem humanam ac voluntariam fiat, immò & intendatur ſuppoſita ea coactione; quia verò facile eſt in ſui defenſione excedere modum, quem in ea ſeruandum iuſtitia præſciberet, & in aliis vrgentibus neceſſitatibus vitandis plura præſtare, quàm æqua ratio poſtularet, idcircò in homicidiis ex neceſſitate ſuſceptis ſæpiùs culpa contingit, eaque aliquando grauis; idcircò videri poterit alicui eiuſmodi homicidium eſſe voluntarium ſimpliciter, quia tamen etiamſi in progreſſu, v. gr. & calore pugnæ directè fuerit volita mors & exceſſus

ille

ille neceſſariæ ac iuſtæ defenſionis non fuit tamen inchoata ea occiſio niſi ab inuito & coacto,& quia etiam ſæpiùs exceſſus moderatæ defenſionis præter intentionem contingit, errante manu,aut in conatu amoliendi proprium malum perturbata mente,nec ſatis ſui compote,vnde homicidium conſequens eſt omninò caſuale , & quia denique vix vnquam hoc homicidium fit ex propoſito & induſtria, idcircò dici ſolet vulgò neceſſarium,& non ſpontaneum , ſiue culpabile aliquando,ſiue, vti frequentiùs accidit, ſit inculpabile & iuſtum.

Alterum eſt homicidium iuſtum, ſed voluntarium,quia ſponte fit, atque per ſe intenditur,quale eſt cædes imperata à iudice reũ damnante , & à miniſtris ex eiuſdem iudicis imperio facta,atque à militibus in bello iuſto ſiue defenſiuo,ſiue offenſiuo patrata; hi enim omnes cædem, quam imperant,vel exequuntur,vel iuuant conſilio,ope,aliiſque modis ex propoſito intendunt, ex iuſtitiæ tamen lege,atque adeò non peccant. Neque dicas iudicem alióſque miniſtros ſui officij lege cogi ad occiſionem, aut mutilationem rei , milites quoque Sacramento militari adigi ad pugnandum , ac proinde homicidium ab illis commiſſum neceſſarium nominari debere;non hi omnes, vti iam monui, per ſe & directè intendunt homicidium, quod non fit ab aliis,quos dicebam inuitos & coactos ad auertendum aliquod ſibi impendens malum, & quod aliter vitare nequeunt, ſuſcipere hoc facinus. Deinde tum iudices,tum milites , aliique omnes, qui ratione ſui muneris obligantur ad iuſtam alterius mortem concurrere, ſponte eam obligationem & munus ſubiere, & illam neceſſitatem ratione muneris ſibi impoſitam excutere poſſunt, abdicato munere aut magiſtratu , quamuis ad id minimè obligentur , & idcircò occiſio & mutilatio ab illis facta dicitur omninò voluntaria , ſed iuſta ; quare ipſi non nominantur homicidæ , cùm ea vox crimen ſignificet , & non quamcunque occiſionem. De vtroque igitur iſto homicidio iuſto tum neceſſario,tum voluntario , quæritur,an inducat aliquam irregularitatem non quidem pœnalem,ea enim eſſentialiter prærequirit culpam, qualis non eſt in actione iuſta , ſed aliam quampiam ratione indecentiæ , quam appellant defectum lenitatis , atque, vt quæ parum explicata traduntur à DD. hoc loco ad certa principia noſtro more reuocemus.

PRIMA REGVLA.

De homicidio iuſto neceſſario.

NVNQVAM incurritur irregularitas ex homicidio iuſto,propter defectum lenitatis,quando quis illud committit , faciendo aliquid , quod non poteſt omittere ſine peccato,aut quod metu cadente in conſtantem virum coactus præſtat ; neque quidquam ea in parte inter Clericum & laicum diſtinguendum videtur. 2

EXPOSITIO ET confirmatio Regulæ.

OBSERVANDVM eſt ad perſpicuum huius regulæ ſenſum, cædem,aut mutilationem aliquando ſequi ex actione licita,aliàs ex actione non modò licita,ſed etiam neceſſaria,quæ duo valdè diuerſa ſunt,vt ex iis quæ initio dixi,facilè colliges, nam qui non poteſt omittere actionem, ex qua neceſſariò ſequetur homicidium

micidium, ſiue illud præuideat, ſiue non præuideat, inuitus omninò &c. coactè occidit; qui verò poterat actionem, alioquin ſibi permiſſam, relinquere, ſi eam reipſa ponat, indeque conſequatur alterius interitus, aut mutilatio, non peccat quidem neque ratione actionis primariæ, neque ratione homicidij conſequentis; nihilominus tamen ſponte, & non coactus occidit, aut mutilat, maximè ſi cædem, aut mutilationem cum ſua actione connexam eſſe videtur, aut ſi eam actionem faciat animo cauſandi mortem alteri, quod videmus in iudice, qui damnat capite reum, & miniſtris, qui ſententiam iudicis exequuntur; illi enim omnes reuerà intendunt primò & directè mortem, ad quam reus fuit damnatus.

Obligatio porrò ponendi actionem, cum qua alicuius interitus connexus eſt, oritur aliquandò ex iure naturali, aut diuino, aliàs ex iure poſitiuo humano, aliàs ex præcepto ſuperioris, aliquando etiam ex metu & vi exteriùs allata, ſed graui, atque in virum conſtantem cadente.

PRIMA PARS regulæ.

Homicidium conſequens actionem licitam, & ita neceſſariam, vt ſine peccato relinqui nequeat, nullam parit irregularitatem.

3 DIxi autem in vniuerſali noſtra regula nunquam contrahi irregularitatem propter homicidium conſequutum ex actione ita neceſſaria, vt ſine aliquo peccato relinqui nequear.

Non tradunt quidem vulgò DD. vniuerſalem hanc doctrinam, eam tamen, velut certam ſupponunt, vel per partes in quæſtionibus ſingularibus docent; & quidem Suarez diſp. 47. ſect. 2. num. 2. ait ſibi indubitatum, nunquam Eccleſiam prohibere ea, quæ ſunt de lege naturali, & idem omninò dicendum eſſe in caſu obligationis præcepti, propter cuius impletionem nunquam Clericus fiet inhabilis ad ſacrũ miniſterium. Eandem quoque doctrinam tradit expreſſiſſimè Auila 7. part. diſp. 5. ſect. 3. dub. vlt. atque ea de cauſa excuſat ab irregularitate eum, qui occidit inuadentem proximum, rempublicam, aut Principem eo caſu, quo lege naturali iſtos tueri tenetur, quod idem non alio profectò principio perſuaſi Couarruuias in Clem. 3. p. §. vnico n. 5. & alij inferiùs adducendi exiſtimarunt. Eadem de cauſa Clericos quoties iure naturali obligantur ad ſeruandam patriam manu propria pugnare, non peccare contra legem Eccleſiaſticam bellum illis prohibentem, tradunt Caietan. 2. 2. quæſt. 40. art. 2. & Molin. tract. 2. diſp. 108. num. 9. parum tamen appoſitè idem Caietan. vult, tunc incurri irregularitatem à Clericis, cùm eadem 2. 2. quæſt. 33. art. 7. id negaſſet in Clerico denuntiante proditorem patriæ, ſi ſua denuntiatione mortem ipſi crearit, eo quòd tunc lex Eccleſiaſtica non debeat, aut poſſit naturali iuri præiudicare; quæ eadem ratio valet in Clerico pugnante quoties ad id lege naturali obligatur; ne igitur per ſingulares caſus vagari quod infinitæ foret operæ, & in ſingulis DD. ſenſa exquirere cogamur, tradidi vniuerſalem noſtram regulam, nimirum quoties aliquis non poteſt ſine peccato omittere actionem cum alterius morte neceſſariò connexam, illum ex ea morte, aut mutilatione nullam

lam prorſus irregularitatem contra here.ita Molina tract.2.diſp. 109.n.5. & Eman. Sa v. irregularitas ex d. formatione licita.n. 4. ſ b fin. Gordou. lib.7.quæſt.18. n. 77. allegans Caſtro lib.2.de lege pœnali.

Probatur primò,quia Eccleſia non quam poteſt ſuis legibus incitate ad peccatum; quod tamen faceret, nam metu irregularitatis incurrendæ impelleret ad omittendas actiones, quas ſine culpa relinquere non poſſumus, & iniquiſſima foret ea lex, quæ Clericum à ſuo miniſterio, & laicum à ſacris remoueret,eo quòd id præſtiterint,quod niſi præſtitiſſent, peccaſſent : deinde manifeſte pugnaret eo caſu lex Eccleſiaſtica cum naturali & diuina; atqui quoties ita concurrunt duo præcepta, vt ſimul impleri nequeant, vel vtriuſque obligatio neceſſariò ceſſat,vel ſaltē alterius.prævalet autem ius naturale humano, vt patet; ſequitur ergo violari tunc poſſe Eccleſiaſticum, quòd non prohibet homicidium eo caſu ſub culpa, ſed tantùm ratione indecentiæ, quæ in eo quamuis licitè facto reperitur,notat eius authorem irregularitate,vt in iudice & aliis videbimus inferiùs : verùm inde ſemper ſequitur Eccleſiam ponere impedimentum aliquod ſeruando præcepto,timore enim irregularitatis,& notæ iſtius externæ, plurimi concitabuntur ad relinquendam actionem,quam ſub peccato ponere tenebantur, præterquam, quod ſapienter aduertit Auila loco cit.nullam fingi merito poſſe defectum perfectæ lenitatis & manſuetudinis in actu aliquo virtutis tunc obligantis, ne virtutes inuicē pugnare dicamus; in iudice verò non eſt illa neceſſitas, & ſi quando foret, tunc reuerà non fieret irregularis,vti cōſtabit ex conſectariis. Denique argumentor cum Molin. ex Clem. ſi furioſus; declarat enim Pontifex illum qui aliū m occidit eo quòd aliter mortem ipſe vitare nequeat, non eſſe irregularem, quia nunquam fuit mens Eccleſiæ in ea neceſſitate prohibere cum aliqua defectus & indecentiæ nota, quod ius naturale permittit; atqui in noſtro caſu non modò ius naturale permittit hanc occiſionem, ſiue actionem,ex qua illa ſequitur, ſed ita illam imperat, vt nulla ratione poſſit omitti abſque diſpendio ſalutis, & ſine violatione alterius iuris, aut legis,cùm tamen quis poſſit non modò ſine culpa,ſed etiam cum ſingulari virtute pati ſibi eripi vitam;ergo multo minus potuit Eccleſia irregularitatis defectum alligare huic actioni,ad quam faciendam tunc neceſſariò obligamur,& quam ſine culpa relinquere nefas eſt.

Quæ rationes æquè valent, quando obligatio alicuius actionis impoſita fuit præcepto ſuperioris, & non ſola lege naturali, quia æquè quis cogitur obedire ne peccet, atque ſi lege naturali imperatum illi fuiſſet; quare cùm tunc vrgeatur abſoluta neceſſitate, non incurret irregularitatem, quod concedebat Suarez loco citat. & circa caſus particulares plures alij docent, vti videbimus.

Non placet porrò quòd Molina aliíque limitant noſtram regulam ad peccatum mortale,tunc nimirum nullum incurri irregularitatem ex cæde quam quis committit, quia aliter vitare non poteſt peccatum mortale; ego enim in vniuerſum dixi neceſſitatem vitādi peccatum, nempe quodlibet ſiue mortale,ſiue veniale, excuſare ab omni irregularitate, quia rationes hactenus adductæ id euincunt, cùm Eccleſia nunquam incitet ſuis

legibus ad peccandum etiam tantùm venialiter.

SECVNDA PARS regulæ.

Homicidium ad quod aliquis iuſtè concurrit coactus graui metu, nullam parit irregularitatem.

4 DIxi ſecundò quoties aliquis cogitur graui metu cadente in conſtantem virum ad iuſtam actionem, ad quam ſequetur alterius occiſio, nullam incurri irregularitatem. v. gr. cogitur aliquis teſtari contra reum, aut illius iudicio intereſſe, eiúſque cauſam referre, aut pronuntiare ſententiam, aut illum iam damnatum plectere mutilatione, aut infœlici arbori ſuſpendere intentato vitæ, aut fortunarum periculo, aut ne ipſe pereat defendere ſe ab iniuſto inuaſore. Aio, in his, aliiſque ſimilibus caſibus nullam contrahi irregularitatem, authores quos ſequor, dabo inferiùs dum ſingulas iſtas quæſtiones expendam. Nunc ſatis fuerit regulam vniuerſalem à nobis traditam firmare ratione, nam cùm ſupponamus totam hanc actionem, ad quam quis illata vi concurrere cogitur, iuſtam & licitam eſſe, non poterit alia hoc loco fingi irregularitas, quàm defectus lenitatis, vti omnes conſentiunt; atqui hic defectus non reperitur in actione & cæde iuſta, niſi quis intendat directè vindictam, aut cædem, illa enim ſola intentio pugnat cum lenitate & manſuetudine Chriſti, vnde paſſim DD. dicunt illum, qui vt ſubleuet infirmum, ipſum vertit in latus, atque ita præter intentionem ipſi mortem accelerat, non fieri irregularem, quia lenitas & manſuetudo minimè violatur illa actione, quæ potiùs ex pietate, quamuis fortaſſis non ſatis prouida, proceſſit: at verò qui actionem iuſtam connexam cum alterius occiſione, aut ipſammet occiſionem ponit metu grauioris mali ſibi impendentis, & quod aliter vitare nequit, non intendit primariò & directè alterum occidere, ſed ſeipſum à morte, aut alio quopiam grauiſſimo malo liberare. Quare Auila diſp. 5. ſect. 3. dub vlt. dixit homicidium coactum, & non voluntarium, non facere irregularem; atqui hoc homicidium non eſt voluntarium, cùm illud vitare non poſſim, niſi grauiſſimo meo damno, quod ego amoliri intendo primò & per ſe, non autem homicidium niſi ſecundariò & quaſi quadam neceſſaria conſequutione, cùm illud etiam ſæpiſſimè deteſter; vnde vides latum diſcrimen inter iudicem qui ex ſola ſui officij obligatione reum interfici iubet, & illum qui idem præſtat, quia ita ſibi imperatur à ſuperiore, cuius imperium aut vitare, aut violare ſine peccato nequit, vt dicebamus prima parte regulæ, aut quia niſi id faciat, agitur de ipſius ſalute, eo quòd aduerſarij illius rei detrectanti ſententiam ferre, & in alium quempiam id oneris deriuare volenti mortem interminati fuerint; quia prior ille iudex voluntariè & ſponte vindictam & cædem rei intendit, quod quamuis iuſtè ex ſuo munere faciat, ſummæ tamen lenitati Chriſti aduerſari videtur, idcircò fit irregularis ex defectu lenitatis; poſterior autem iudex ita punit reum pro ſua authoritate & munere, vt tamen id faciat ad euitandum imminens ſibi periculum, atque ita non niſi coactus, quare nullum defectum lenitatis ipſum pati dici iure poteſt.

Secundò

Secundò conſentiunt omnes, eum, qui ad vitandam propriam mortem iniuſtum inuaſorem occidit, non contrahere irregularitatem, quod definit Clem. vnic. de homicid & inferiùs dicemus; atqui idem metus aliquando vrgere poteſt ad teſtificandum contra reum, aut ipſum iudicandum, aut mortem decretam exequutioni mandandam; cur igitur æquè non excuſabit ab irregularitate, aut cur potiùs in his actionibus, quamuis vrgente grauiſſima neceſſitate, factis reperietur defectus lenitatis, quàm in ipſamet occiſione non maiori neceſſitate propria manu irrogata, quia ex vulgari regula iuris, *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*, regul. 35 de regul. iuris in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus*. regul. 53. Neque dicas in iuſta defenſione nos cogi ab eo ipſo, quem occidimus ad ipſum occidendum: at verò teſtem, iudicem, accuſatorem, lictorem, & alios eiuſmodi nunquam pati vim ab eo, ad cuius cædem concurrunt, ſed ab alio quopiam, qui illis metum incutit; nam cùm in vtroque caſu cauſa, quæ excuſat ab irregularitate, ratione iuſtæ alioquin occiſionis ſit metus perdendæ propriæ vitæ, v. gr. nihil omninò intereſt, à quocunque incutiatur, non enim agimus de æquitate actionis, ſed de cauſa excuſante ab irregularitate ipſam quamuis inculpabilem conſequente, quæ cauſa excuſans ſi ſit metus, in vno aliquo caſu, erit quoque in alio, in quo idem malum timebitur. His omnibus adde ex his, quæ prima parte huius operis diſputata ſunt lib. 3. cap... quæſt.. metum vitæ admittendæ, eiúſve periculum excuſare ab omni lege Eccleſiaſtica, aut ſaltem ab ea, quæ nullam neque diuinam, neque naturalem includit: atqui lex de contrahenda irregularitate defectu lenitatis Eccleſiaſtica eſt, cùm, vt dixi lib. ſuperiori, nullæ cenſuræ, aut irregularitates ſint inſtitutæ à iure diuino, & idipſum ex cap. 1. huius libri, atque ipſiuſmet irregularitatis definitione conſtat, eius igitur obligatio prorſus ceſſabit vrgente graui metu & periculo.

TERTIA PARS regulæ.

Non eſt diſtinguendum inter laicum & Clericum, vbi eadem vrget neceſſitas.

AD extremum monui in noſtra regula, nihil prorſus diſtinguendum eſſe inter laicum, & Clericum, vbi enim vterque ad occiſionem iuſtam æquali premente neceſſitate, ſiue metus impendẽtis mali, ſiue obligatione vitandi peccati aliquem occidit, vtrumque immunem eſſe irregularitatis exiſtimo cum Auila diſp. 5. ſect. 3. dub. 5. Molin. diſp. 109. tract. 2. num. 7. idcircò enim negat contra Sot Nauarr. & Caietan. alibi adducendos, opus eſſe proteſtatione de curanda morte, vt Clericus excuſetur ab irregularitate propter denuntiationem proditoris patriæ, ad quam faciendam lege diuina & naturali obligatur, quia proteſtatio neceſſaria non eſt, niſi in iis caſibus, in quibus illa contrahi poteſt irregularitas: atqui oſtendimus in actione, ad quam obligat lex naturalis, aut metus, nullam aut indecentiam, aut lenitatis violationem, aliúmve defectum reperiri poſſe; ergo neque irregularitas: quod autem, qui illam actionem ponit, ſit laicus & Clericus, omninò per accidens eſt, quandoquidem præ-

muntur eadem obligatione ponendi actionem, de qua diſputauimus, ne peccent, & eodem periculi grauiſſimi metu impelluntur.

Obiicit Henriq. lib. 14. cap. 11. num. 2. laicum, & Clericum nondum ſacris initiatum, ſi occidat inimicum Reipubl. vrgente naturali præcepto, fieri irregularem, ex communi ſententia DD. quos ibidem allegat litt. N. quia tunc ea irregularitas non habet rationem pœnæ, ſed eſt ſolum impedimentum ſuſcipiendi Ordines, quod, vt conſtat ex toto cap. ſuperiori, incurri poteſt ſine culpa: at verò in Clerico iam aliquo ſacro Ordine inſignito, prohibitio ſuſcipiendi ſuperiores Ordines, aut vtendi iam ſuſceptis, eſt pœna, quia priuat Clericum iure, quod habebat; ſi igitur ex inculpata occiſione, immò & præcepto naturali imperata Clericus fieret irregularis, incurreret quandã ſuſpenſionis pœnam ſine culpa, & implendo præceptũ fieret inhabilis ad exercitium proprij officij, & Ordinis, quod iure merito abſurdum exiſtimauit S. Thom. 2. 2. q. 40. a. 2.

Reſpondetur, quamuis daremus, omnem irregularitatem contractam à Clerico ad aliquem ſacrum Ordinem, iam promoto, pœnam eſſe, ac proinde culpam prærequirere, quod an verum ſit, patebit inferiùs; inde tamen non ſequitur, quando actio aliqua inculpabiliter fit tum à laico, tum à Clerico, laicum eſſe irregularem, & non Clericum, cùm omnis ea actio quæ impedit à ſuſcipiendis Ordinibus, impediat quoque ab vſu iã ſuſceptoru, vt in ipſa irregularitatis definitione explicanda paſſim obſeruant DD. deinde nego in caſu, de quo agimus, dum quis ne peccet contra præceptũ naturale, aut aliud quod eo tempore ſeruandum omninò eſt, aliquem occidit, reperiri defectum lenitatis, ſiue iſte ſit laicus, ſiue Clericus, vti oſtendi fusè, immò ſi hæc perſonarum conditio, & ſtatus quidpiam faceret, defectus manſuetudinis potiùs admittendus eſſet in Clerico, quàm in laico occidente, cum Clericũ potiùs deceat à ſanguine, vti loquuntur, abſtinere, quàm laicum; quare ſi in iuſta atque neceſſaria occiſione violari poteſt aliqua ratione manſuetudo, potius certe violabitur à Clerico, quàm à laico.

SECVNDA REGVLA.

De homicidio iuſto voluntario.

IVSTA occiſio ſpontanea, quia ſuſcipitur ab eo, qui nullo alio præcepto, quàm muneris, & officij, quod volens ſubiit, ad illam obligatur, nullâque ſibi extrinſecus impoſita neceſſitate illata, vi aut metu incuſſo cogitur, facit irregularem ex defectu lenitatis. 6

EXPOSITIO ET CONfirmatio regulæ.

HÆc regula vniuerſalis probata manet ex ſuperioris, cuius eſt contradictoria, expoſitione, cùm enim certum ſit, iudices alioſque miniſtros ad mortem rei concurrentes, & milites in bello etiam iuſto ſua manu interficientes, fieri irregulares, quamuis nullam homicidij culpam in eiuſmodi iuſta occiſione committant, neceſſariò concedenda eſt aliqua irregularitas defectus lenitatis, quæ in illis actionibus, quamuis licitis, & bonis, obſeruetur; atqui oſtendimus ſuperiori regula in occiſione iuſta, ſed coacta, & neceſſaria, non

non poſſe fingi manſuetudinis illum defectum; reſtat igitur vt illum in occiſione iuſta,& volita,atque ſponte ſuſcepta ineſſe dicamus, & ſanè cùm in caſu prioris regulæ lex, aut præceptum ſua coactione potiùs occidat, inquit Henriq. cap. 11. cit. num. 2. quàm homo, qui inuitus quodammodo facit, atque adeò non poterit accuſari imminutæ manſuetudinis,quādo volens ſubit officium, quod niſi cum alterius cæde exercere non poteſt, & illud etiam eadem libertate nullo cogente exercet, cædem omninò ac vindictam per ſe intendere non ſine aliqua violaræ lenitatis nota, quamuis inculpabili cenſetur, atque minus aptus videtur Eccleſiæ, qui vt miniſter manſuetiſſimi Pontificis Chriſti inſtituatur. Denique conſtans inductio manifeſtum facit, nullam incurrere irregularitatem ſolius defectus lenitatis, niſi qui volens ad alterius cædem, aut mutilationem iuſtè concurrit, quod in conſectariis ferè ſingulis videre facilè fuerit.

TERTIA REGVLA.

De iis qui cooperantur iuſtæ occiſioni voluntariæ.

NON ſolùm ea omnia, quæ excuſant ab irregularitate homicidij voluntarij, & iniuſti, excuſant etiam ab irregularitate homicidij iuſti, ſed etiam multò plura, nam cauſa tantùm principalis actionis, cui hic defectus lenitatis eſt annexus, incurrit iſtam irregularitatem; non verò aliæ, quæ principali cooperantur auxilio.

EXPOSITIO ET CONfirmatio regulæ

PRIMA pars huius regulæ perſpicua eſt, quæ enim requiruntur, vt vnus aliquis dicatur cauſa occiſionis iniuſtæ,eadem omninò neceſſaria ſunt, vt dicatur cauſa eiuſdem occioſionis, ſi iuſta ſit, nam æquitas, aut iniquitas actionis non facit vt aliquis dicatur cauſa, ipſam ponens, aut non ponens; quæ igitur excuſabunt aliquem, ne illi tribuatur quæpiam actio, ſemper illum excuſabunt, ſiue actio ſit licita, ſiue illicita, hæ enim differentiæ faciunt tantùm, vt cauſa eiuſmodi actionis peccet,aut non peccet, illam ponendo, non verò vt ponat, aut non ponat actionem;quia igitur qui eſt cauſa tantùm remota homicidij voluntarij, non contrahit irregularitatem, ſed ſola cauſa proxima ſiue principalis, ſiue minus principalis exiſtat, modo ſuperiùs explicato, ita etiam, qui erit tantùm ſimilis cauſa remota homicidij iuſti, & cum lenitatis defectu coniuncti,non contrahet iſtam irregularitatem: vt qui texuit, aut vendidit funem,quo latro fuit ſtrangulatus, non eſt irregularis, etiamſi iudex illum damnans, & lictor fauces conſtringens, ſint irregulares. Idem dico de eo, qui caſu fortuito, qui non ſui compos, vt infans, furioſus, dormiens occidit, aut qui ſanitatis cauſa mutilat; hi enim omnes neque irregularitatem ex delicto,neque ex defectu lenitatis ratione homicidij, aut mutilationis incurrunt.

Maior videtur difficultas in altera parte, qua diximus, ſolam cauſam principalem actionis, cui eſt annexa irregularitas propter lenitatis defectum, non verò cæte-

ras, quæ aut conſilio, aut auxilio, aliáve ratione ad eam concurrunt, fieri irregulares; pugnare enim videmur cum communi DD. ſenſu, habemus tamẽ ius, niſi fallor, ſatis liquidũ; qui enim in bello iuſto pugnant, aut alios hortantur ad pugnandum, aut pugnam imperant, modò ipſimet ſua manu nullum interimant, non fiunt irregulares, vti oſtendimus inferiùs, quamuis plurimi in eo conflictu perierint, & tamen hi omnes concurrunt moraliter ad eas cædes tum iuuando, tum hortando, tum imperando, immò ipſimet pugnant, atque etiam vulnerant; ergo falſum eſt omnes concurrentes ad homicidium iuſtum illigari irregularitate, etiamſi cauſa principalis illius illigetur; immò inde colligo nunquam ab his cauſis minus principalibus incurri irregularitatem, niſi id in aliquo caſu apertè exprimatur, quandoquidem nullibi fertur in vniuerſum ea irregularitas in iure pro concurrentibus ad homicidium, immò in locis, in quibus agitur de irregularitate, ob hunc defectum excipiuntur coadiuuantes: in aliis autem locis numerantur ſingulæ cauſæ, quæ innodantur eiuſmodi impedimento, vt quando agitur de rei cæde, & perſonis in eam influentibus, vt de iudice, cap. his à quibus 23. q. 8. & cap. ex veſtris, de exceſſibus Prælato. & de exequutoribus ſententiæ cap. aliquanto 1. diſt. 51.

Obiiciunt paſſim cap. ſi quis viduam 8. diſt. 50. vbi conſcius homicidij poſt Baptiſmum commiſſi, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione deiicitur à Clero, ſi in illum ſubrepſerit; ergo omnes, qui concurrunt ad homicidium, fiunt irregulares, atque vt videas comprehendi omne homicidium etiam iuſtum, aduerte ibi agi quoque de homicidio in ſui defenſionem commiſſo, atque adeò legitimo.

Reſpondetur, eum canonem non loqui, niſi de homicidio iniuſto, vt apparet ex pœna in fine adiecta, priuantur enim hi omnes communione, quæ in fine duntaxat more laico reddenda erit his Clericis propter eiuſmodi homicidium depoſitis, quæ duæ pœnæ depoſitionis, & priuationis communionis, præterquam in extremo vitæ fine, cùm grauiſſimæ ſint, ſupponunt grauem culpam; cùm tamen in homicidio iuſto, de quo agimus, nulla & ne leuis quidem noxa agnoſcatur; adde ea quæ abſolutè dicuntur in iure de homicidio, maximè circa pœnas ipſo facto incurrendas, de ſolo voluntario, & culpabili intelligenda eſſe, vt Henriq. plures allegans obſeruauit lib. 14. cap. 9. n. vlt. litt. L. & ſanè innumera ſequerentur abſurda, ſi, quoties iura quidpiam decernunt de homicidio abſolutè, accipienda eſſent de quolibet homicidio, ſiue iuſto, ſiue iniuſto.

Ad id porrò quod dicebatur, homicidiũ, de quo agitur in Canone citat. ſi quis viduã, eſſe iuſtum, quandoquidẽ eſt defenſiuum. Reſpondetur primò, cum gloſſa ibid. loqui canonem de defenſione euitabili, & non neceſſaria; tunc enim non caret culpa homicidium. Secundò dico hunc canonem non eſſe Martini Papæ, vt ſolemni ſibi errore allegat Gratian. ſed tantùm in collectione Martini Braccarenſi reperiri, atque in quibuſdam Codicibus legi *aſſenſione*, pro *defenſione*. Expreſſior quidem videtur Canon 11. Conc. Triburienſ. Sacerdos enim, & Diaconus deponi iubetur, *qui nimium coactus homicidium fecerit*, extenditurque ea

pœna

pœna ad conſulentes, hortantes, & alios eiuſmodi: verba porro illa nimiæ coactionis omnem culpam ab eo homicidio remouere videntur; nihilominus cùm imponatur grauis pœna depoſitionis, ſupponenda neceſſariò eſt aliqua culpa, eáque grauis, quare nimia illa coactio non eſt ea, quæ omnem noxam abſtergit, ſed quæ illam aliquantulum minuat, & quæ fortaſſis in foro ciuili à pœna ordinaria ſaltem homicidij excuſatet: aut quia etiamſi initio quis coactus fuerit ad ſui defenſionem, deinde tamen æſtu quodam abreptus fines defenſionis tranſiliit. Denique de hoc eodem homicidio voluntario & peccamino ſo intelliges cap. vlt. de Clericis pugnantibus, vbi homicidium dicitur facto conſilio & defenſione perpetrati.

CONSECTARIVM I.

An ſit vera communis regula ex homicidio licito priuata authoritate commiſſo, nunquam contrahi irregularitatem; quæ tamen ex eodem homicidio publica authoritate facto & inculpabili incurritur?

8 EX regulis à nobis ſtabilitis non fuerit operoſum deducere quid ſentiendum ſit circa vulgates difficultates de irregularitate ratione defectus lenitatis in homicidio defenſiuo, aut in legitimo iudicio, vel iuſto bello commiſſo.

ORDIOR autem à communi regula, quam tradit Couart. in Clem. ſi furioſus. 3. part. §. vnic. atque alibi ſæpiùs tota ea relectione, cuiúſque meminit Nauarr. & quam cæteri videntur admiſiſſe, nimirum homicidium inculpabile nunquam inducere irregularitatem, quoties fit à priuata perſona; ſecùs verò, quando fit à publica perſona; quod probant inductione, nam nullum eſt homicidium licitum propria authoritate factum propter illud, quod in ſui defenſionem fit: illud autem non facit irregularitatem; at verò homicidium à iudice, accuſatore, teſte, lectore & aliis ad cædem rei concurrentibus habet annexam irregularitatem, quod idem dicendum eſt de militibus in bello iuſto propria manu interficientibus; hi verò omnes agunt ex officio publico atque publica authoritate Reipublicæ.

NON ſatis tamen placet hæc vulgaris doctrina. Primò enim non redditur in illa ratio diſcriminis, quod admittitur inter cædem priuata & publica authoritate iuſte factam, & cur irregularitas ex vna conſequatur, non ex altera, quandoquidem vtraque iuſta eſt, & videtur omninò eſſe per accidens ad defectum lenitatis, quod quis priuata authoritate, aut publica occidat, ſi reipſa occidat, atque etiam occidere intendat. Secundò etiam aliquando cædes à publica perſona illata immunis eſt irregularitatis, vt videbis in milite occidente in bello iuſto defenſiuo: quod autem bellum ſit defenſiuum, non facit, vt miles non æquè gerat in illo officium publicum, atque in bello offenſiuo: iudex quoque, accuſator, teſtis, aliíque qui ad rei mortem proximè concurrunt, ſi id faciant vrgente obligatione præcepti, quam ſine peccato violare non poſſunt, aut actionem tum imperatam omittere, vel ſi cogantur graui metu impendentis mali, quod vix aliter vitare queant, non fiunt irregulares, vti iam monuimus,

& iterum conſtabit inferiùs. Publica igitur authoritas non facit, vt homicidium ab illa licitè commiſſum pariat irregularitatem. Tertiò plurimi docent, non vitari irregularitatem, quando aliquis occidit alium in defenſionem bonorum, aut famæ, aut proximi, & non in defenſionem propriæ vitæ, atque etiamſi ſuæ ſaluti fuga aliàve ratione conſulere poſſit, quamuis non ſine probro & aliqua infamia, & tamen probabile eſſe concedunt iidem DD. cædem tunc commiſſam licitam & iuſtam eſſe, ſed non immunem irregularitatis; quod igitur occiſio fiat iuſtè à priuata perſona, non excuſat ab irregularitate ex defectu.

Qvas ob cauſas nolui vti communi illa regula, ſed alias vniuerſaliores tradere placuit, quæ rationem huius vulgaris dicti continent, & quid in communi doctrina veritatis, aut falſitatis inſit, oſtendunt. Quia enim nunquam occiſio, aut mutilatio licitè fit priuata authoritate, niſi coactè & vrgente graui neceſſitate, in quam inuiti adducti ſumus propter obligationem vrgentis præcepti imperantis actionem, quæ ſine peccato relinqui nequit, aut propter euitandum grande malum, quod nobis impendet, & cuius metu premimur. Homicidium iuſtum à priuata perſona factum ſemper eſt neceſſarium & coactum, ac proinde nunquam in eo ita primò & per ſe vindicta intenditur, vt violetur lenitas & manſuetudo; quare nunquam inducit irregularitatem. At verò, quia homicidium ratione ſolius publici officij factum ſemper eſt ſpontaneum, & ſaltem in ſua prima radice omninò liberum ab omni coactione & obligatione, ſiue quia tunc poſſet aliquis abſtinere ab illo ſui officij actu, & alij permittere, qui eodem munere fungitur, ſiue quia ſaltem volens munus illud publicum ſuſcepit, occiſio tunc facta primò & per ſe, ac nullius alterius rei faciendæ, aut obtinendæ occaſione impellente, intendi dicitur, quod cum eximia manſuetudine, quam Eccleſia in ſuis miniſtris exigit, non ſatis cohærere videtur, atque adeò ratione eiuſmodi defectus contrahitur iſta irregularitas, quæ pœnalis non eſt, neque vllam noxam ſupponit; ſi vero aliquando illi, qui authoritate publica licitè occidunt, id faciunt cogente neceſſitate distincta ab obligatione ſui officij, & quæ premit illos ad exercitium, totum homicidium tunc commiſſum erit neceſſarium, & æquè expers irregularitatis, atque ſi fuiſſet factum à priuata perſona, poſſet licitè, & non coactè, & nulla ineuitabili neceſſitate, aut graui metu premente aliquem occidere, reuerà fieret irregularis. Quare tota cauſa huius irregularitatis in homicidio iuſto quacunque authoritate ſuſcipiatur, ſiue publica, ſiue priuata, petenda eſt à neceſſitate, aut coactione, quæ impedit ne violetur lenitas & manſuetudo, cuius proinde defectus nullus eo caſu reperitur.

Consectarivm II.

An iuſtè occidens alium ad ſui rerúmque ſuarum defenſionem, fiat irregularis?

Svppono in his omnibus ſeruari moderamen inculpatæ tutelæ; 9 quid verò ad id requiratur, fuſius trademus tertia parte.

Respondeo, & dico primò. Quoties

ties ad ſui rerúmque ſuarum defenſionem licita & neceſſaria eſt alterius occiſio, nunquam contrahi irregularitatem. Ratio vniuerſalis petenda eſt ex prima noſtra regula, quia hoc homicidium & licitum & neceſſarium eſt, quæ duæ conditiones excuſant, vti oſtendimus, ab omni irregularitate, æquitas quidem actionis excludit irregularitatem homicidij voluntarij, quod peccatum mortale eſt contra quintum Decalogi præceptum: neceſſitas autem impedit directam vindictæ intentionem, & omnem lenitatis defectum; atqui in hac defenſione ſupponimus licitam atque etiam neceſſariam eſſe occiſionem, cogimur enim graue malum cæde eius, qui nobis illud inferre molitur, auertere, neque tenemur, ne illi noceamus tantum diſpendium pati; igitur nulla erit in eo caſu irregularitas.

Dico ſecundò. Quoties ad ſui rerúmque ſuarum tuitionem, licita eſt alterius iniuſtè nos inuadentis cędes, aut mutilatio, toties illam eſſe neceſſariam, ac proinde ſemper licitam alterius occiſionem ad ſui defenſionem eſſe omnis irregularitatis immunem, quæ vltima conſequentia eſt ex priori concluſione & regula vniuerſali, quandoquidem æquitas & neceſſitas cædis excuſant ab omni irregularitate, oſtendendum duntaxat reſtat, omnem occiſionem alterius ad ſui defenſionem, ſi licita & iuſta ſit, eſſe quoque neceſſariam; quod inde probatur, quia nihil poteſt priuato permittere alterius interitum, pręter ineuitabilem neceſſitatem ſubeūdi grandis alicuius mali, quod amoliri non poſſumus, niſi eius, qui illud nobis iniuſtè inferre conatur, interitu, aut mutilatione, & licèt illud malum poſſimus pati, ſi lubeat, & alterius vitæ parcere, ad id tamen non tenemur, aliquando etiam obligamur omninò vitam, fortunas, famam, pudicitiam, & alia bona noſtra tueri, neque illis cedere poſſumus, eſto id fieri non poſſit, niſi morte, ea eiuſmodi bona eripere iniuſtè tentantis, ea enim neceſſitas facit nobis licitam cædem ipſius; nunquam igitur licet priuatæ perſonæ alterum perimere, niſi ratione neceſſitatis, in quam nolens redactus ab ipſo eſt, ad grauiſſimum malum ſibi iniuſtè intentatum amouendum.

Dico tertiò. Nihil diſtinguendum eſſe inter laïcum & Clericum in hoc caſu, ſed vtrumque liberum eſſe omnis irregularitatis, quando coactus neceſſitate ineuitabili ſe ſuáque defendendi, iniuſtum inuaſorem occidit, aut mutilat, quia neuter ipſorum peccat, vt patet, & vterque premitur neceſſitate, quæ facit, vt non intendatur directè, & per ſe, vindicta, atque adeò omnis defectus lenitatis abſtergatur, vti explicuimus. Quare falſum eſt hunc Clericum manere irregularem ſaltem quoad aſcenſum ad ſuperiores Ordines, quamuis in iam ſuſceptis poſſit abſque diſpenſatione miniſtrare, quod docuit gloſſa in cap. de his Clericis 1. diſtinct. 50. atque S. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 7. ad 3. Scot. in 4. diſtinct 25. quæſt. 1. art. 1. Richard. ibid. ead. diſt. art. 5. quæſt. 3 Paludan. quæſt. 4. art. 2. con. 3. Henric. quodlib. 6. quæſt. 10. & in vniuerſum omnes veteres tum Theologi, tum iuris Pontificij interpretes, teſte Comitolo, nam ſaltem de Clerico loquuntur, cùm de eo expreſsè agant antiqua iura, quæ in hanc rem allegant, nempe cap. 1. & 2. de his Clericis, 50. d. fatentúrque P. Nau. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 345. Graff. lib. 2. cap. 65. num. 9. Panorm.

in cap.2. de vita & honeſtat. Clerico. num.2. Quare quæ innouaſſe denuò Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de reſeruat. abrogata hac in parte Clem. ſi furioſus, exiſtimauit Maiol. lib.1. cap.102. num.10. §. vigeſima, & lib.5. cap.48. num.10, & 11. ſed neque nouum ius Tridentin. condidiſſe, neque vetus antiquaſſe, neque in iure naturali quidquam definiuiſſe, aut Clericos noua irregularitate illigaſſe ſapienter videntur contra eandem Maiol. Henriq. lib.14. cap.10. num.2. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 367. Vgolin. cap. 29. de irregular. num.3. Sayr. lib.6. cap. 17. num. 10. aliique recentiores; ſic enim Conc. de homicidio culpabili, interpretati ſunt Cardinales, quorum curę commiſſa eſt ea explicatio in declaratione 1. Octob. an.1587. deinde eodem modo loquitur Trident. de hoc homicidio, atque de caſuali, & in vtroque requirit diſpenſationem: atqui cap. ſuperiori oſtendi homicidium caſuale in eo loco eſſe culpabile, & indirectè voluntarium; igitur & iſtud homicidium factum fuerit cum culpata tutela. Denique, quia ſæpè dubium eſt, an fuerit inculpata tutela; ad cauendum foro externo, & omnem euellendum ſcrupulum conſulit diſpenſationem potius, quàm imperat Concilium, ait enim *quodammodo* illam accipiendam eſſe; vult tamen eam facilè obtineri, & ab Ordinario loci concedi. cap. autem de his Clericis, loqui de homicidio culpabili, facilè ex textu colligitur, & alij aduertunt cum Leſſio lib.2. capite 9. numero 52.

CONSECTARIVM III.

Explicantur ſingulares difficultates ex priori conſectario circa irregularitatem ex occiſione in ſui ſuarúmque rerum defenſionem facta.

EX huius vniuerſalis definitionis certiſſima, vt vides, regula, ſingulares controuerſiæ facillimè, relictis DD. diſſidiis, explicari poſſunt. 10

DIFFICVLTAS I.

De occidente ad vitæ defenſionem.

PRimò enim, qui propriam vitam cum inculpatæ tutelæ moderamine alterius illam iniuſtè eripere ſatagentis interitu ſeruat, non fit irregularis, cùm grauiſſimo metu excuſetur ab omni defectu lenitatis hic occidens, vnde neque eam irregularitatem imponi potuiſſe mihi omninò certum eſt, vt dixi in prima regula. Quare non modò ex Clemen. ſi furioſus, probanda eſt doctrina huius conſectarij, ſed ex ipſo iure naturali; neque enim nouum ius condidit ea conſtitutione Clemens, vti ſapienter aduertit gloſſa verb. idem, allegans Hoſtienſ. qui de more & vſu curiæ teſtatur, ſequiturque Nauarr. cap. 27. num. 255. Henriq. lib 14. cap.10. n.2. litt. L. Molin. diſp.109. n.8 tract.2. Aula 7. part. diſput. 5. ſect. 3 dub.1. Suar. diſp. 46. ſect. 1. n.2. & tract.3. diſp. 72. num. 1 & alij apud Sayr. lib. 6. cap. 17. num.9. contra plures alios ibidem relatos, qui cum maniſeſtiſſima ratione, vti oſtendi, pu- 11

gnant.

gnant, iura enim antiqua, quibus ad hanc irregularitatem adducti ſunt, agunt apertiſſimè de homicidio culpabili, quia aut vitari poterat, neque neceſſarium erat ad ſui defenſionem, quæ aliter obtineri potuiſſet, aut quia in eo non fuit ſeruatum moderamen, quod patet ex pœnis adiectis, vti aduerti ſuperiori conſectario circa cap. de his Clericis. 50. d. atque eadem ratione intelligendum eſſe Trident. loco ſuperiùs explicato, tandem fatetur Comitolus lib. 6. reſponſor. quæſt. 54. poſt Nauarr. cap. 27. n. 211. & Tolet. lib. 1. cap. 74.

DIFFICVLTAS II.

De occidente ad vitandam mutilationem.

12 SECVNDÒ, occidens alium, vt mutilationem ipſe euitet, non eſt irregularis ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, quod docent Couarr. in Clem. tertia part. §. vnico, num. 2. Cardinal. ibid. q. 23. Vgolin. cap. 29. §... & alij cōmuniter apud Sayr. lib. 6. cap. 17. num. 3. atque ex recentioribus Molin. tract. 3. diſp. 72. num. 6. Auila diſp. 5. cit. ſect. 3. dub. 1. Bonac. diſp. 7. q. 4. punct. 6. num. 4. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 346. contra Maiol. lib. 5. cap. 48. num. 7. Villad. tract. de irregular. cap. de percuſſore, & paucos alios. Argumentantur verò Vgolin. Suar. & alij communiter ex eo quòd occiſio, & mors æquiparantur quoad contrahendam irregularitatem; ergo & quoad euitandam, hæc tamen ratio non ſufficit, quia alia poteſt eſſe diſpoſitio iuris circa vnum, quàm circa aliud; deinde hinc tantùm habetur, ſicut mutilatio ſufficit, æquè atque mors ad contrahendam irregularitatem, ita quando quis excuſaretur ab irregularitate ex cæde contrahenda, eadem ratione excuſabitur ab irregularitate ex mutilatione quoque incurrenda: at verò non quæritur hoc loco, an mutilatio faciat irregularem, ſed an cædes ipſa ad vitandam mutilationem id faciat. Ratio igitur eſt ea, quam attulimus in noſtra regula, & in ſuperiori conſectario, quámque Couarr. Vgolin, & alij attigerunt, ſed non ſatis explicarunt, quia cædes iniuſtè nos mutilare conantis, ſi aliter repelli nequeat, licita, & iuſta eſt, vt concedunt omnes, & dicemus alibi, & alioquin cogeremur pati iniuſtam mutilationem, quæ ſæpè cum periculo vitæ coniuncta eſt, immò quæ eſt partialis quædam mors; éſtque idem ius ad ſeruandam integritatem membrorum, & ipſam vitam; atqui eo caſu non eſt licita inuadentis cædes, niſi ratione moralis neceſſitatis, ac coactionis, ex qua à nobis ſuſcipitur, & propter grauioris mali intētati metū, ea porrò neceſſitas, & metus excuſat ab irregularitate, vti diximus.

DIFFICVLTAS III.

De occidente ad vitandum graue vulnus.

TERTIA, qui occidit iniuſtum inuaſorem, vt ſe tueatur à graui vulnere, aut ne turpiter ab illo deformetur, non eſt irregularis, quod ſentiunt docti recētiores allegati à Sayr. lib. 6. cap. 17. num. 4. quibus ipſe adhæſit, atque Salon. 2. 2. q. 64. a. 8. controuerſ. 2. con. 1. Hurtad. diſp. 2. diffic. 11. num. 37. Villalob. tract. 21. diffic. 24. num. 7. tom. 1. Bonac. punct. 6. cit. num. 8. Diana 4. part. tract. 2. reſolut. 6. Suar. diſp. 46. ſect. 2. num. 6. qui affert exemplum eius, qui vel grauem percuſſionem timet, aut ratione vulneris, aut ratione infamiæ, vt ſi alapa, aut vir- 13

ga quis ſit excipiendus, à quibus non abnuit. Soto lib. 5. de iuſtitia. q. 1. a. 8. ſub fin. tenétque Henriq. lib. 14. cap. 10. num. 3. contra Vgolin. cap. 29. §. 2. qui niſi vulnus lethale timeatur, vult contrahi irregularitatem, etiamſi exiſtimet licitam eſſe occiſionem, quando ea neceſſaria eſt ad vitandam verberationem. idem docuit Auila dub. 1. cit. allegans Nauarr. in ſumma Hiſpana. Ratio huius corollarij iam reddita fuit, innocentia enim, & neceſſitas huius occiſionis illam immunem faciunt ab omni culpa, atque etiam lenitatis defectu, & quod inde conſequitur, ab omni irregularitate. Fatentur porrò licitam eſſe cædem iſtam aduerſarij, igitur & neceſſariam eſſe concedant oportet, quandoquidem non ſit licita, niſi ratione neceſſitatis, vt dixi conſectario ſuperiori.

DIFFICVLTAS IV.

De occidente ad defenſionem honoris, & bonorum.

14 QVARTÒ, occidens alium ad iuſtam defenſionem ſui honoris, & famæ, non fit etiam irregularis; quod idem dicendum exiſtimo, quando agitur de ſeruandis bonis fortunæ maioris momenti, quæ ſola illa auferentis morte retineri poſſunt. Magna contentione agitatur hæc controuerſia, ſcinduntúrque ſtudia in contraria DD. vti videbis apud Dian. 4. part. tract. reſolut. 4. Sayr. lib. 6 cap. 17. num. 22. qui illos non ſatis fœliciter conciliare conatur. Et Couarr. in Clem. ſi furioſus 3. part. §. vnic. n. 5. & 6. Mihi noſtra ſententia, quæ magis communis eſt, inter recentiores, nempe Suarez, Kon. Gordon. Tann. Turrian. Præpoſit. Hurtad. Sot. videtur neceſſariò concludi ex dictis, cùm enim fateãtur aduerſarij, eam cædem tunc licitè committi, fateantur quoque oportet neceſſariam eſſe, & cum metu grandis mali coniunctam; ratione enim illius aut neceſſitatis, aut metus licet mihi percutere, atque etiam occidere iniuſtum inuaſorem priuata authoritate, quòd aliàs non liceret; atqui metus & neceſſitas excuſant à defectu manſuetudinis & irregularitate, vti oſtendimus ſæpiùs, neque alia ratione occiſio ad defenſionem propriæ vitæ, aut membri iuſta eſt, quàm quia neceſſitas & metus omittendi bonum inſigne facit, vt potiùs intendatur proprij boni conſeruatio, & periculi depulſio, quàm iſta vindicta; ſi igitur in omnibus iſtis caſibus ſimilis neceſſitas, aut metus, quamuis non adeò grauis, vrgeat, eodem planè modo excuſabit à violatione manſuetudinis Chriſtianæ; eſto non obligemur vitare hæc mala, immò inſignis animi foret ea generoſo quodam conatu amplecti; ſi enim eſſet obligatio vitandi hæc damna, vti aliquando contingere poterit, quamuis non ita frequenter, tunc certum ex cæde ita ineuitabili non contrahi irregularitatem, ne Eccleſia videatur virtutis actus, aut præceptorum impletionem aliqua ratione prohibere, quod tandem Layman fatetur lib. 3. tract. 3. cap. 9. ſub finem.

Obiicitur primò, Clem. ſi furioſus, excuſat tantùm ab irregularitate illum, qui ſuam vitam defendit; quare cùm ſit vniuerſaliſſima iuris regula omnem homicidam voluntarium eſſe irregularem, & ius nouum Clementinæ excipiat tantùm defendentem propriam vitam; reliqui omnes manebunt irregulares, etiamſi non peccent occidendo, quia ad hanc irregularitatem

gularitatem minimè requiritur culpa.

Reſpondetur, in hac Clementina nullum ius nouum ſtatui, vti iam oſtendimus, neque vllam ferri exceptionem à iure vniuerſali, nullibi enim lata eſt vniuerſalis illa regula, omnem voluntarium occiſorem fieri irregularem, immò illa pugnaret cum iure naturali, & iniqua omninò eſſet, vt prima noſtra regula docuit, niſi per voluntarium occiſorem intelligas illum, qui nulla neceſſitate ſiue implendi cuiuſquam periculi, ſiue vitandi impendentis mali alium occidit, neque vnquam iure antiquo fuit irregularis, qui cum inculpata tutela vitæ ſuæ inſidiatorem occidit, quod ex prima & tertia regula, primo & ſecundo conſectatio conſtat: hac igitur Clementina propriam ſalutem defendens, non eximitur irregularitate, quam alioquin incurreret; ergo alij, qui ea Clementina non ſunt comprehenſi, aut excepti, minimè damnari poterunt irregularitatis, declarauit enim tantum Clemens certum ius naturale, neque de aliis, de quibus inter DD. diſputabatur, quidquam libuit definire.

Obiicitur ſecundò cap. final. 13. q. 2. & cap. interfeciſti, de homicidio, ibi enim, *ſi te tuaque liberando furem interfeciſti, non ſis* quidem *irregularis*, conſulitur tamen tibi pœnitentia & Eleemoſyna, immò ſi Clericus eadem fecerit, non deponitur quidem, quamdiu tamen viuit, pœnitentiam agit.

Reſpondetur, hoc caput deſumptum eſſe ex Pœnitentiali Romano, in eóque habetur cap. 24. & citatur etiam à Burchard. lib. 9. cap. 8. quanquam ex Concilio Aurelian. cap. 1. excerpſiſſe illud ſe dicat Iuo part. 13. cap. 46. & Gratian. 13. quæſt. vlt. cap. fin. atque etiam Burchard. lib. 11. cap. 60. hoc verò capite agitur de occiſione, quæ vitari poterat, & quæ fuit omninò culpabilis, alioquin non fuiſſet iniuncta adeò grauis pœnitentia.

Dices, ſecundum caſum, qui ibi ponitur, & in quo interficitur fur ſine *odij meditatione* ad ſui ſuarúmque rerum liberationem, omninò eſſe inculpabilem, & tamen pro illa occiſione Clericum fieri irregularem, vt aduertit gloſſa in cap. interfeciſti, quia dum allegatus fuerit ille Clericus occiſor in ordinem pœnitentium tota vita, certè Altari miniſtrare non potuit. Verùm illo ipſo argumento probatur etiam hanc occiſionem etſi non mediato odio, ſiue ex *odij meditatione* commiſſum, fuiſſe tamen culpabilem, quandoquidem illi impoſita eſt perpetua pœnitentia, & conſequenter irregularitas, quæ pœnitentiæ perpetuæ eſt annexa: non fuit autem culpabilis ea occiſio, eo quòd in bonorum defenſionem facta fuerit, nam ſupponitur etiam facta in defenſionem propriæ vitæ, his verbis, *te tuáque liberando*, vel igitur dicendum non modò eſt non poſſe Clericum tueri ſuam vitam alterius morte abſque irregularitate, ſed neque abſque graui culpa, quam Eccleſia perpetua pœnitentia plectat; vel noxam, quæ in occiſione illius capitis punitur in Clerico tam graui pœnitentia, aliunde petendam eſſe, quàm quod in defenſionem rerum ſuarum non fuerit occidendus latro à Clerico, quandoquidem eodem modo loquitur ſiue Roman. Pœnitentiale, ſiue Concilium Aurelianenſe, de occiſione furis in defenſionem propriæ vitæ, fuit igitur culpa, quia hic homicida poterat aliter ſibi conſulere, aut quia non ſatis cautè inculpatam tutelam ſeruauit

Illa autem verba *te tuáque* liberando, non ſunt intelligenda coniunctiuè, ſed diſiunctiuè, vel alternatiuè, vt Felin. ibid. Caietan. 2.2. quæſt. 64. art. 7. Couarr. in Clem. cit 3. part. §. vnic. num. 6. atque alij omnes interpretati ſunt, quod Barboſa latè refert in collectan. huius capit. ita vt ſenſus ſit, non eſſe te homicidam, ſi te, vel tua liberando, latronem, quem aliter capere, aut impedire non poteras, occidiſti; nam ſi coniunctim capienda eſſent hæc verba, & non licita eſſet occiſio furis, niſi ad ſe & ſua ſimul liberandum, non modò pro defenſione ſuorum bonorum duntaxat, non liceret interficere iniuſtum inuaſorem abſque culpa, aut ſaltem irregularitate, ſed neque ad defenſionem vitæ, niſi illa cum bonorum externorum conſeruatione coniuncta eſſet. Mitto aliam expoſitionem non incommodam horum verborum, quam affert Petr. à Nauar. lib. 2. de reſtitutione. c. 3. num. 406.

Obiicitur tertiò cap. ſuſcipimus, de homicidio, vbi duo Clerici comprehenſos latrones nocturnos vinciunt, & dum vnus ex illis Abbatem conſulit, latronéſque interea vincula diſrumpunt, alter qui eos cuſtodiebat, ipſos occidit, ne ab ipſis interficeretur; qua de cauſa vterque Clericus pronunciatus fuit irregularis, & contra manſuetudinem Eccleſiaſticam feciſſe; ergo non fuerit licitum ſaltem Clericis pro rerum defenſione iniuſtum inuaſorem occidere.

Reſpondetur imprimis hac ratiocinatione probari, neque Clericos in ſui etiam tuitionem interimere aggreſſorem iniuſtum, quia in eo cap. dicitur hunc Clericum interfeciſſe latrones, ne ab illis interficeretur. Secundò non tantùm foret irregularis hic Clericus, ſed etiam peccaſſet ſaltem contra charitatem, id enim probant verba Alexandr. III. quæ adducunt, ait enim *ſatiùs fuiſſe poſt pallium relinquere tunicam*, & temporalium *iacturam pati, quàm pro vilibus ita exardeſcere*; & commiſſima ſententia eſt eo caſu quo res tuas à latrone ſeruare non potes, niſi illas aſportantem occidendo, licitam eſſe ipſius cædem. Quare dicendum eſt cum gloſſa & communiori ſententia apud Couarr. loco cit. & Barboſ. in collectan. cap. ſuſcepimus. fuiſſe culpabilem exceſſum in ea rerum ſuarum defenſione, iam enim res ſuas recuperarant iſti Clerici: inanis autem erat metus Clerici, qui eos in cuſtodia detinebat, ne ab illis occideretur, ſi frangerent vincula, quod illos moliri videbant; quare non potuit ex ea ſuſpicione, aut timore eos præuenire & occidere; denique poterat ipſemet fuga, aut alia etiam ratione conſulere ſuæ ſaluti; quare fuit æſtu quodam iracundiæ abreptus ille Clericus, & vt loquitur Pontifex *acriter exarſit*, neque ſe ſuaque defendit, ſed propria authoritate fures puniuit.

Obiicitur quartò cap. 3. de homicidio, licet occidere furem nocturnū, non verò diurnum, quia de nocte diſpici nequit, an fur venerit ad occidendum, an ad furandum, inde enim colligitur nefas eſſe illum occidere, qui furtum tantùm committit, & non inſidiatur vitæ.

Reſpondetur, hæc verba eſſe Aug. lib. qq. in Exod. quæſt. 54. vbi exponit legem latam cap. 22. Exod. eiuſque rationem reddit, atque huic antiquiſſimæ legi conſenſiſſe leges ſæculares, dicunt enim impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, ſi ſe cum telo defenderit, iam enim plus eſt, quàm fur. ita traditur l. 4. ff. ad l. Aquiliam,

Aquiliam, ſitque illa lex 12. Tabularum, cuius meminit Cicero oratione pro Milone & Quintilian lib 4. Inſtitut. cap 10. Ex his porrò legibus malè argumentantur aduerſarij, niſi velint ſimul oſtendere cum Fortunio apud Couarr. §. vnico. cit. nunquam licere furem occidere pro defenſione rerum ſuarum, tunc enim non modò ex ea occiſione ſequetur irregularitas ex defectu lenitatis, ſed etiam ex homicidio culpabili; neque quidquam diſtinguendum erit inter laicum & Clericum, cùm tamen hanc rerum defenſionem cum raptoris nece licitam eſſe, modò ſupponamus, latéque oſtendit Couarr. loco cit. non ex ſola indulgentia legum, ſed ex iure naturali, quod æquè Clericis ac laicis commune eſt; diſtinguunt tamen leges inter furem diurnum & nocturnum quia plerumque poſſunt repelli fures diurni abſque cæde, niſi quando res ablatas telo & armis defendunt; nocturni verò fures vix arceri ſine periculo poſſunt, niſi ipſi occidantur; ſi enim eadem vis à fure nocturno & diurno inferatur, & à neutro poſſit recuperari res ſublata magni alicuius momenti ſine ipſius cæde, eo quòd illam vi detineat, vtriuſque occiſio licita fuerit, quanquam forum externum præſumat potiùs noxam commiſſam fuiſſe in cæde in furis diurni inermis, quàm nocturni.

Obiicitur quintò cap. ſignificaſti 2. de homicidio. Presbyter eo quòd latronem res Eccleſiæ diripientem foſſorio percuſſiſſet, dicitur irregularis, ſi vulnus lethale fuit. Reſpondetur eam percuſſionem minimè fuiſſe neceſſariam, ſufficiebat enim clamor, quandoquidem ſtatim adfuere parochiani, qui illum cohibuerunt, immò & occiderunt.

Si quæ alia obiiciantur, probabunt potiùs illicitam eſſe eo caſu occiſionem, quàm ſi ſemel concedamus, eam expertem eſſe culpæ, ex ea tamen contrahi irregularitatem, quandoquidem, vt dixi, non eſt licita niſi ratione metus periculi impendentis, qui metus ab omni lege Eccleſiaſtica excuſat.

DIFFICVLTAS V.

De occidente barbam ſibi vellentem.

QVINTÒ ex eodem principio ſol- 15
uitur quæſtio, quam poſuit
Vgolin. cap. 29. §. 2. num. 3. de quodam Sacerdote, qui occidit quendam, à quo arrepta barba trahebatur, & à ſe aliter expedire non poterat. Damnat hunc irregularitatis Vgolin. eo quòd tunc non ageretur de vita. Ego contrarium omninò exiſtimo ex dictis, cùm enim grauiſſimam illa auulſione barbæ pateretur iniuriam, à qua alter deſinere nollet etiam rogatus, potuit illam repellere eius etiam cæde, & metu iniuriæ ferendæ, quo coactus occidit, excuſabatur ab irregularitate.

DIFFICVLTAS VI.

De eo qui clamore ſuo concitans vicinos ad capiendum latronem, cauſa eſt, vt occidatur.

SEXTÒ qui clamat ad latrones, aut
vocat famulos, aut vicinos in au- 16
xilium, imperátque vt capiant latro-

nem,ſi ille interficiatur eo quòd reſiſtat,aut iudici traditus ab eo ſuſpendi iubeatur, non incurrit irregularitatem. ita Vgolin.cap.14.§.1.num.7. Ratio mihi euidens eſt, quia poterat eo caſu furem reſiſtentem, & non reddentem ablata,interficere,poteratque illum capere, atque iudici ipſe tradere; neque placet, quod addit Vgolin. neceſſariam eſſe proteſtationem,cùm enim neceſſitate ſeſe tuendi ſaltem verbis vocarit vicinos,aut familiam, implorarítque etiam iudicis auxilium,nihil peccauit contra manſuetudinem,aut contra legem Eccleſiaſticam.Idem dicendum eſt de illo, qui vocat ſocium ad repellendum iniuſtum inuaſorem, aut qui eam in rem illi ſua dat arma; quia ſi poterat iſte manu ſua interficere;ergo & aliena, vt habet Sayrus lib. 6. cap. 17. num. 14.

DIFFICVLTAS VII.

De occidente inſidantem pudicitiæ.

17 SEPTIMÒ qui occidit eum,à quo eius pudicitia impetitur, quámque aliter tueri nequit, non fit irregularis, quod docere debét ij omnes, quos ſequuti ſumus diffic. 4. & ex noſtra regula neceſſariò atque euidenter colligitur.nam primò aliquando propter periculum conſenſus tenetur ad eam cædem, & tunc obligatio ſeruandi præcepti naturalis ac diuini, liberabit à defectu lenitatis & à præcepto Eccleſiaſtico, vti diximus. Secundò etiamſi non teneatur ad hoc medium vſurpandum,poteſt tamen licitè eo vti, ne damnum pudoris, quod maximè æſtimabile eſt, patiatur,quod non negabunt illi, qui ad tuendam famam & bona fortunæ, id concedebant, maximè cùm perditionem pudicitiæ diſpendium famæ facilè conſequi ſoleat; igitur metu illo graui eximetur ab omni irregularitate.

DIFFICVLTAS VIII.

De occidente ad tuendum proximum.

OCTAVÒ qui proximi innocentis vitam,famam, pudicitiam, 18 aut bona aliter quàm iniuſtè inuadentis nece tueri non poteſt, licitè ipſum occidit,non tantùm quando ad id lege iuſtitiæ, aut charitatis ita obligatur, vt ſine peccato omittere nequeat, ſed etiam quando eiuſmodi præceptum non vrget; cùm enim proximi malum noſtrum reputemus, illum tueri poſſumus, eo modo quo nos,quod verum præſertim eſt,quando iſte nobis propinquus eſt,vt pater, mater, frater, aliique conſanguinei, aut amicus, & tunc immunis erit ab omni irregularitate.Ita Turrian.lib.9. de cenſur.diſp.65.dub.4.Kon.diſp.18. num.88.diſp.2.de irregular.num. 36. Tann.3.p.diſp. 6. quæſt.10.dub.11.n. 210. Villalob. tract.11.tom.1. diffic. 24.num.11.Filliuc. tract. 20.cap.5.n. 159.Couarr.§.vnico.cit.num.5.& alij, quos dabit Sayr.lib.6.cap.17.num.21. quibus adhæſit latè Suarez diſp. 46. ſect.3.contra pleroſque Summiſtas & Canoniſtas, quos cógeſſit idem Sayr. qui idcircò hanc tanquam magis communem in praxi conſulendam dicit, eamque docuit Auila diſp. 5. ſect.3.dub.4.& Layman lib.3. tract.3. cap.9.num.3.Ratio mihi ſolemnis eſt,

quia

quia non poteſt eo caſu reddi licita occiſio, niſi vel quia obligor aliquo præcepto vni potiùs ſuccurrere, quàm alteri, vniúſque vitam tueri alterius morte, aut quia ratione coniunctionis damnum vnius in me deriuatur, & pro meo ducere poſſum; ſi enim omnia paria ſunt, non poſſum vnius vitam alterius æqualis nece ſeruare: aut denique, quia potiores ſunt ſemper partes innocentis, cui me ſocium adiungo in defenſionem aduersùs vim ipſi illatam; immò ſi agatur de vita, non poteſt inuaſus me prohibere à ſe iuuando, cùm non ſit dominus vitæ ſuæ; quare licet illi nullo fuerim peculiari vinculo adſtrictus, poſſum ipſum iuuando aggreſſorem interimere, quod tradunt DD. citati, aliíque paſſim, fuítque ille Ethnico rum ſenſus apud Carbon. lib. de pacificat. inimicorum. cap 23. conſect. vlt. Cùm igitur non fiat vnquam licita iſta occiſio, niſi ratione alicuius vrgentis neceſſitatis, ratione cuius non eſt ſpontanea mihi cædes commiſſa, non violatur per eam manſuetudo, vti ſæpiùs fuit oſtenſum. Vide Bonac. quæſt.4. punct. 6. num.11.

DIFFICVLTAS IX.

De eo, qui inſidias ſibi parantem anteuertit, illúmque occidit.

19 NOnò, qui præuertit aduerſarium eiúſque inſidias, quas non poſſet aliter vitare, quàm ipſum occidendo, non fit irregularis, quod communis opinio docet apud Sayr. lib.6. cap.17. num.13. Suppono itaque licitam eſſe hanc præuentionem, quod fusè alio loco oſtendo, quia reuerà ea præuentio non eſt niſi mera & pura defenſio ab eo, qui iam me inuaſit, cùm iniuſtè me in eo ſtatu conſtituerit, in quo poſſim meæ vitæ, aut bonis conſulere, eiúſque inſidias, aut artes vitare, niſi illius cæde. Quoties igitur ea præuentio licita fuerit, toties immunis erit irregularitatis, æquè atque ipſa defenſio, cùm eadem neceſſitas, idémque mali impendentis metus vtramque excuſet. Vide Vgolin. cap.29. §.8. num.2 & § 9.

DIFFICVLTAS X.

De eo, qui ad inculpatam ſui defenſionem alium occidit ex odio.

DEcimò quæri poteſt, an qui ex odio occidit iniuſtum inuaſorem cum inculpata alioqui tutela, fiat irregularis, quia videtur eo caſu intendi vindicta per ſe, atque adeò violari manſuetudo. 20

DISTINGVENDA eſt directa intentio occidendi aggreſſorem ab odio, & quoad directam quidem intentionem illius occiſionis eam inculpabilem eſſe, eo caſu certum eſt mihi cum Soto lib.5. de iuſtitia. quæſt. 1. art.7. Couarr. in Clem. ſi furioſus. part.3. §. vnic. Molin. tr.3. de Iuſtit. diſp.11. num. 4. Sayr. in Claui lib.7. cap 10. num.19. Petr à Nau. lib.2. de reſtitut. cap 3. num. 339. Valent. 2. 2. diſp.5. quæſt.8. p.4. Leſſ. lib 2. cap.9 n.53. Lopez 1. part. Iuſt. cap. 61. initio. Pluliar. part. 2. lib. 4. cap. 9. Eſtque euidentiſſima ratio, cùm enim occiſio eo caſu ſit honeſta & licita, nihil eſt quod prohibeat illam directè intendi, eligitur quidem vt medium duntaxat ad ſui defenſionem, directè tamen & per ſe, neque enim ratio medij cum directa illius volitione, quamuis in eo

non ſiſtat voluntas; ſed illud ad finem vlteriorem dirigat, quod vnum probant, quæ afferuntur ab aduerſariis, qui dicunt indirectè duntaxat intendendam eſſe eiuſmodi occiſionem, concedimus enim non intendi vt finem vltimum, ſed vt medium per ſe neceſſarium, quod idcircò directè eligimus, & volumus. Quare reiicimus Caietan. Saloni. & Aragon. 2. 2. quæſt. 64. art. 7. quibus in ſpeciem fauere videtur S. Thom. Victor. relect. de homicidio n. 19. Comitol. lib. 4. reſponſor. quæſt. 10. n. 11. Cordub. lib. 1. qq. quæſt. 38. Carbon. lib. de pacificat. inimic. cap 21. conſect. 3. & alios, qui in iſta intentione directa, aut indirecta diſtinguenda ſubtiliores videntur hoc loco. His poſitis

Dico, hunc occidentem cum inculpata tutela, quamuis intendat directè occiſionem illam, neque peccare, vti iam oſtendi, neque fieri irregularem, quia metus & neceſſitas, quæ cogit illum ad aſſumendam occiſionem, illámque directè volendam, tanquam medium vnicum tuendæ ſuæ vitæ, excuſat à violanda manſuetudine, intendere enim directè occiſionem & velle vindictam, quod poſtremum pugnat cum lenitate, diuerſa omninò ſunt, non vindictam, vt ſic, nunquam licet priuato velle, & tamen poteſt, vt docui, occiſionem in aliquo caſu indirectè intendere.

Iam verò quando quis non tantùm ex directa intentione, ſed etiam ex odio iniuſtum inuaſorem occidit, ſeruata inculpata tutela, peccat omninò peccato interno homicidij, non incurrere tamen irregularitatem, ſapienter docent Couarr. § vnic. cit. num. 2. Henriq. lib. 14. cap. 3. §. 4. litt. O. & cap. 10. §. 2. Sayr. lib. 6. c. 17. n. 12. Contra Nauarr. cap. 27. n. 226. qui id exiſtimat in accuſante. Ratio huius conſectarij eſt, quia actio exterior, ob quam tantum incurritur irregularitas, eſt coacta, & proinde non violat lenitatem, eſto inficiatur aliqua contraria lenitati, illa tamen intentio non attenditur, ſed actus duntaxat externus, à quo ſi non abeſt lenitas, non facit irregularem, quicunque ſit tandem animus ipſum exercentis.

Difficultas XI.

De occidente iniuſtum inuaſorem, quem videt eſſe in peccato mortali, in eóque moriturum.

Vndecima iſta difficultas, quæ magni momenti videtur quoad irregularitatem tamen, de qua ſolum diſputatur, ſoluta manet ex dictis, ſi enim eo caſu talis occiſio culpabilis ſit, eo quòd debeamus præferre ſalutem proximi noſtræ corporali, irregularitas profectò ex ea contrahetur, quæ non erit tantùm ex defectu lenitatis, ſed ex delicto homicidij; ſi verò dicamus licitam eſſe eam cædem, eo quòd proximus non ſit in extrema neceſſitate ſalutis, & pereat volens, poterat enim & debebat abſtinere ab iniuſta inuaſione, ſicut aberit ab ea actione ſeſe defendentis omnis culpa, ita aberit omnis irregularitas, non quaſi non poſſit non contrahi irregularitas in hac materia abſque culpa, vt non ſatis ſolide ratiocinatur Couarr. ſed quia, vti conſectario 2. diximus, nunquam occiſio priuata authoritate facta licita eſt, niſi quia neceſſitate, aut ingenti aliquo metu excuſatur; atqui conſtat ex prima regula, neceſſitatem iſtam ac metum abſtergere omnem irregularitatem, 21

atque

atque manſuetudinis defectum, igitur hæc occiſio nullam pariet irregularitatem.

Tota itaque difficultas reſtat circa malitiam, aut bonitatem huius cædis, quę alibi excutienda erit. Moneo denotaſſe hoc loco Gerſon. tract. de Euchar. Auguſtin. de Ancona, quem adducit & latè expendit Abulenſ. quæſt. 109. in cap. 5. Math. & paucos alios relatos à Couarr. in Clem. de homicidio. 3. part. §. vnic. n. 2 ſub fin. exiſtimaſſe nefas eſſe iniuſtum propriæ vitæ inuaſorem occidere, ne in peccato mortali pereat; quibus aduerſatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 7. Caietan. Salonij, Aragonij ibid. ac cæterorum Theologorum communis doctrina, vti videbis apud Sayr. lib. 7. Clauis cap 10. dub 4. Petr. à Nau lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 332. Couarr. loco cit. Vgolin. cap. 2 de irregularit. §. 11. Molin. tract. 3 diſp. 13. cæteroſque recentiores, quia alioquin nunquam liceret, iniuſtum inuaſorem occidere, ſi enim iniuſtus eſt inuaſor, peccat reuera mortaliter, damnandaque forent omnia iuſta bella defenſiua, ſequereturque alia perabſurda incommoda ex ea Gerſonis doctrina, neque enim iudices obſtinatos & impœnitentes reos ſtrangulari iuberent abſque peccato; cùm igitur proximus non eſt in extremo ſuæ ſalutis periculo, quia ab illo, ſi velit, exire poteſt, minimè tenemur, vt eius ſpirituali ſaluti patcatur noſtram corpoream abiicere.

DIFFICVLTAS XII.

De occidente inuaſorem innocentem.

24 DVODECIMO dubitatur, an cùm aliquis inuaditur abſque iniuſtitia ab alio, neque vitam ſuam tueri, niſi ipſius inuadentis, quamuis innocentis nece poteſt, incurrat irregularitatem, v. gr. infans, aut dormiens, aut ebrius, aut phreneticus ſtricto enſe te impetit, & niſi illum præuenias, te omninò confodiet.

RESPONDETVR hanc cædem omni culpa vacare, quod tradunt Corduba lib. 1. quæſt. 38. §. vt ſemel. Petr à Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. n. 347. Sayr. in Claui lib. 7. cap. 10. num. 23. & lib. 6. Theſaur. cap. 17 num. 6. qui alios dabunt, quia reuerà ille, quamuis non peccet, ex iniuſta cauſa me occidere tentat, & me in extremam neceſſitatem tuendæ vitæ redigit, & cùm ego æquè ſim innocens, atque ille, teneor potiùs meam, quàm eius vitam tueri, quandoquidem vtramque ſeruare non poſſum, immò neque meam, niſi alterius diſpendio; atque ita de puero, qui occurrit equiti, fugienti hoſtem, & qui propter anguſtiam pontis, v. gr. nequit ſine præſentiſſimo diſcrimine equum ſiſtere, ſentit Leſſi. lib. 2. cap. 9. num. 52. adducens Cordubam cit. & Caiet. 2 2. quæſt 64. art 2. Cum igitur hanc cædem innocentis inuaſoris ex eadem iuſta neceſſitate quis committat, atque ſi inuaſor iniuſtus eſſet, æquè etiam omnis culpæ & defectus, atque adeò irregularitatis immunis erit.

DIFFICVLTAS XIII.

An qui occidit, quem ad inculpatam tutelam ſatis fuerat vulnerare, fiat irregularis?

DECIMOTERTIÒ diximus hactenus quandónam vitaretur irregularitas ex cæde in ſui defenſionem facta, nunc aſſignandi ſunt ſingula- 3

res aliqui caſus, in quibus defenſio non excuſat ab irregularitate.

PRIMVS eſt, quando aliquis inuadentem ſe occidit, quem ſatis fuerat vulnerare, tunc enim fit irregularis, ſi aduertit ſe excedere moderamen ſeruandum, nam ſi per accidens, & præter intentionem ex illato vulnere intereat, aut quia errante inculpabiliter manu, occidit, quem vulnerare, aut mutilare ad inculpatam ſui defenſionem voluerat, immunis erit ab omni irregularitate. Ita Henriq. lib.14. cap.10. §.3. Philiarch. 1. part. lib. 4. cap.11. §.3. Sayr. lib.6. cap.17. n.11. & alij omnes communiter contra Armill. verb. Irregularitas. num.41. vbi allegat Cardinal. in Clem. ſi furioſus, & Tabien. verb. Irregularitas.2. §.27. ſub fin. qui volunt nullam incurri ex eo exceſſu irregularitatem; verùm cùm ea occiſio ſit eo caſu culpabilis, inducet omninò irregularitatem, non ex ſolo defectu lenitatis, ſed ex homicidij culpa; monet tamen de Graffiis 1. part. lib. 2. cap. 63. n.13. hanc irregularitatem non eſſe ex homicidio voluntario indiſpenſabili, quia, vt probat Panorm. in cap. olim 1. de reſtitut. ſpoliatorum, num. 15. & in cap. ſignificauit. de pœnitent. & remiſſionib. pœna ordinaria non eſt imponenda ei, qui ſe defendendo iuſtum modum exceſſit, aut qui iuſto dolore concitatus occidit, quod poſtremum traditur leg. ſi adulterium. §. Imperatoris. ff. ad legem Iuliam de adulterio. quod idem exiſtimat Suar. diſp.46. ſectio. 1. n.13.

DIFFICVLTAS XIV.

De occidente iniuſtum inuaſorem fugientem.

DECIMOQVARTO, qui iniuſtum inuaſorem poſt inflictũ vulnus, 24
impactum alapam, aliámve iniuriam illatam fugientem inſequitur, & occidit, neque peccat, neque irregularis eſt, nam à peccato excuſant, Nauar. cap. 15. num. 4. ait enim licere fugientem perſequi, quando alioquin magnam honoris iacturam faceret, allegátque Victoria de iure belli 2. p. quæſt.2. num.5. Petr. à Nauar. lib.2. de reſtitut. cap. 3. num.383. Henriq. lib. 14. cap. 10. §. 3. littera T. vbi multos alios allegat, quorum aliquos viderat Petr. à Nauarr. num. 379. aſſentitur Ferdinand. in examine Theolog. prima part. cap. 10. n. 16. Layman lib.3. tract.3. p.3. cap. 3. n.3. probabilem quoque putat Villalob. tom. 2. tract. 12. diffic. 12. num. 3, atque etiamſi ſpeculatiuè loquamur, id verum dicunt Bonac. diſp.2. de contractib. q. vltim. ſect. 1. punct. 10. num. 8. Leſſius lib.2. cap.9. n.80. Reginald. lib.21. num.63. & Filliuc. tract. 29. num.52. Lopez verò 1. part. inſtruct. cap.62. damnare non audet, quamuis licentioſam appellet eam ſententiam, quam idcircò in praxi conſulere nolunt laudati recentiores, Leſſius, Reginald. Layman. Bonac. Filliuc. Verùm quid veritatis ſubſit in vulgari illa diſtinctione opinionis ſpeculatiuè, aut practicè probabilis, docuimus aliàs 1. part. lib. 3. Itaque cùm ratio perſuadeat omnis culpæ expertem eſſe hanc occiſionem fugientis aduerſarij, quoties illa neceſſaria eſt ad tuendum honorem, quem non modò aduerſarius inflicta alapa, aláve

aliáve ratione violauit, ſed etiam violare pergit, vt optimè, & fusè explicuit Petrus à Nauarr. loco citato, eam quoque in praxi tutam exiſtimo contra Toler. lib. 5. cap. 6. num. 16. Bann. & Salon. 2. 2. q. 64. a. 7. Rodriq. tom. 1. cap. 135. num. 11. Turrian. 2. 2. tom. 2. diſp. 27. dub. 3. num. 9. Ioan. de la Cruz in directo. 1. part. præcept. 5. q. 1. dub. 6. Barboſ. in collectan. ad cap. ſuſcepimus, de homicidio. Molin. tr. 3. diſp. 17. num. 8. Soto lib. 5. de iuſtitia, q. 1. a. 8. Si igitur incontinenti iniuſtè inuaſus perſequatur fugientem inuaſorem, ipsúmque repercutiat, atque etiam occidat, idque neceſſarium fuerit ad tuendum honorem, qui ex generoſa illa perſequutione cenſetur aut non amiſſus, aut recuperatus, & alioquin paſſus iniuriam, quam ex comuni hominum ſenſu potuiſſet facile repellere repercutiendo aduerſarium, illumque fugientem ſine mora perſequendo, labe abit infamia, non peccabit, neque proinde contrahet irregularitatē, quæ conſequentia ſæpiùs toto hoc conſectario ex regula generali fuit probata, quia tunc percuſſio, & occiſio omninò neceſſaria eſt, & non pugnat cum manſuetudine; in foro quidem externo punietur qui ita occiderit, ſed pœna extraordinaria, præſumetur potius ex iracundiæ æſtu, quàm ex inculpatæ tutelæ ſtudio occidiſſe, vt Gomez alios allegans probat tom. 3. variarum reſolut. cap. 3. num. 24. Quoad forum internum fuerit prudentis Confeſſarij expendere omnes circunſtantias, & maximè conditionem, ac ſtatum perſonæ iniuriā affectæ publicam iniuriam, aliaque eiuſmodi, vt iudicet, an fuerit in ea repercuſſione, & perſequutione fugientis defenſio potiùs iniuriæ continuæ, quàm antea illatæ vindicatio, neque licentioſa eſt iſta ſententia, vt dicebat Lopez, cùm ex contraria maior licentia naſcatur viros nobiles impunè laceſſendi, & iniuriis afficiendi. Verum de hac tota re iterum alibi fuſiùs.

DIFFICVLTAS XV.

An qui potuit euitare conatum inuadentis fugiendo, ſit irregularis, ſi illum occidat?

DEcimoquintò, circa eum qui ſi 15
voluiſſet ſibi fuga conſulere, poterat non occidere inuadentem, an fiat irregularis. Exiſtimo imprimis reiiciendam eſſe opinionem gloſſæ in Clem. de homicidio, verb. non valens, & in cap. ſuſcepimus. de homicidio. verb. interimere Maiol. lib. 5. c. 48. num. 6. & aliorum, quos adducit, qui volunt eo caſu nunquam licitam eſſe aduerſarij occiſionem.

Deinde aio hærendum eſſe communi diſtinctioni, quam videbis apud Sayr. lib. 6. cap. 17. num. 16. & 17. latè DD. referentes, & apud Suar. diſp. 46. ſect. 1. n. 4. Dian. tract. 2. reſolut. 3. part. 4. aliosque recentiores paſſim, quoties fuga neque ignominioſa, neque periculoſa poſſim vitare neceſſitatem alium occidendi, me illum occidendo peccare, atque fieri irregularē, quia tunc occiſio non eſt neceſſaria neceſſitati ineuitabili, ſed ſpontanea; at verò quando fuga erit ignominioſa, aut periculoſa, non libera à neceſſitate, quandoquidem coniicit me in aliud periculum, ad quod vitandum poſſum illum, qui me per iniuſtitiam in ipſum coniecit, occidere, vti diximus; manet igitur ineuitabilis neceſſitas, quæ & culpæ omnis, & irregularitatis immunem præſtabit hanc occiſionem; quia verò nobili

nobili viro, aut militi cenſetur fuga ignominioſa, non autem plebeio, idcircò nobilem non teneri fugere, atque ne dedecus illud incurrat, inuadentem ſe poſſe, conſentiunt omnes, qui honorem defendi poſſe alterius nece fatentur; plebeius verò, qui abſque dedecore fugere poteſt ictum inuadentis, fugiendo potiùs declinare, quàm repercutiendo, & occidendo repellere tenebitur, niſi aliunde tamen periculoſa foret, ea fuga, quia licèt non vertatur probro, incidet in famulos ſe inuadentis, à quibus malè accipietur, aut cùm iam ipſe vulneratus ſit, ex copia ſanguinis, quam fudit, aut ex metu concitatiore deficiet, aut vulnus exacerbabit, aut quapiam alia de cauſa ſtare in loco, & gradu poterit, atque aggreſſorem ſuum; quanquam cùm vox ita ſit compos ſui inuaſus in illo conflictu, vt prudenter deſpicere poſſit, an fugere poſſit, aut debeat, & tantùm cogitet de iniuria repellenda, vix in ea omittenda fuga exiſtimâřim grauiter vnquam peccari; quare cùm ſemper eadem vrgeat neceſſitas, quia non ſatis apparet ineuitabilis, ſemper euadet irregularitatem.

Hinc præterea colliges, quid ſentiendum ſit de Clericis, quorum aliam longè eſſe conditionem, quàm laïcorum, hoc volunt paſſim DD. ego, vbi eadem erit neceſſitas & æquè ineuitabilis, pares omninò facio tum in culpa committenda, tum in contrahenda irregularitate, vti oſtendi in prima regula 3. part. & quia ius naturale vim altera vi repellendi ipſis æquè commune eſt, quia tamen, vbi datur fugæ locus, vix probroſa eſt Clericis, fit vt frequentiùs teneantur potiùs fugere, quàm iniuſtum inuaſorem occidere; quare ſi tunc occidant, non ſeruant moderamen inculpatæ tutelæ, neque excuſantur neceſſitate, quæ euitabilis eſt; ſi tamen aliquando contingeret eiuſmodi fugam eſſe periculoſam, aut etiam infamem, vel ipſi, vel toti ſtatui Eccleſiaſtico, vel Religioni, quia v. gr. deprehenſus in aliquo facinore occulto, ſi tunc fugiat crimen ſuum, prodet cum maxima bonorum omnium offenſione, & dedecore totius Ordinis Eccleſiaſtici, aut Religionis, tenebitur non fugere, & niſi aliter conſulere poſſit ſuæ vitæ, aut famæ conſulere, occidere iniuſtum aggreſſorem, quod docuit Viuald. tract. de irregul. num 221. neque abnuit Sayr. loco citato: quando autem fuga periculoſa eſt Clerico, ea omiſſa, nullo irregularitatis metu interficere poſſe ſe inuadentem Felin. Panorm. Couarr. Ioan. de Lignano, aliíque adducti à Sayro meritò docent; idque adeò certum exiſtimauit Henriq vt dixerit lib. 14. cap. 10. § 4. litt. N. Clericum celebrantem iniuſtè inuaſum poſſe dimiſſa celebratione ſe defendere, hoſtémque occidere, atque incontinenti ad altare redire, inchoatam Miſſæ celebrationem perficere, eo quòd neque peccarit, neque irregularitatem contraxerit.

Consectarium IV.

An, qui ſua culpa ſe coniecit in neceſſitatem occidendi alium, vt propriam vitam tueatur, ſit irregularis?

Ratio dubitandi eſt, quia in hoc caſu, occiſio videtur ſpontanea, & non neceſſaria, quandoquidem à volente ſuſcepta eſt; ceſſat igitur ratio excuſans ab irregularitate, ſumenda enim eſt tota rixa per modum vnius 26

actionis

actionis moralis, & occaſio, quam iniuſtè primus dedit huic rixæ, eſt circunſtantia occiſionis conſequentis, vnde etiam videtur culpabilis tota ea defenſio; quandoquidem eſt potiùs quædam aggreſſio, ille enim, quem tu primus affeciſti iniuria, dum te iniuriantem inuadit, repellit iniuriam, & ſeipſum defendit; quare ſi ipſum occidas, non te defendis contra iniuſtum inuaſorem. Aliunde tamen culpa, per quam aliquis ſponte ſeſe coniecerit in neceſſitatem tuendi ſuam vitam alterius ſe inuadentis cæde, non facit, vt amiſerit ius naturale vim vi repellendi; quare ſi ſeruet moderamen inculpatæ tutelæ, reuerà nihil peccabit, excuſabitúrque neceſſitate vrgenti, quamuis imprudenter, nec ſine crimine ea ſeipſe impediuerit; ſatis enim eſt, ſi modò illam excutere nequeat, neque enim propterea inuadens acquiſiuit ius, eum, qui culpa ſua in eas anguſtias deuenit, occidendi priuata ſua authoritate: adde Clem. ſi furioſus, abſolutè dicere eum, qui aliter ſuam vitam defendere nequit, quàm alterius occiſione, non incurrere irregularitatem, neque diſtinguit inter eum, qui ſua culpa, & eum, qui caſu aliáve ratione inculpabili in eam neceſſitatem fuerit redactus; neque igitur nos debemus diſtinguere, aut conſtitutionem abſolutam, & vniuerſalē reſtringere; quare Tabien. verb. irregularitas 2. n. 30. concludit, nunquam incurri irregularitatem, *ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè quis occidat, quando aliter non poteſt propriam mortem euadere, & ad hoc ſufficit, ſic eſſe ſcriptam per ius nouum.* Propter hanc rationem dubitandi in contrarias ſententias iuêre DD. vt in ſingularibus difficultatibus explicandis ſtatim apparebit. Ego ex noſtris regulis ſic rem totam paucis definio.

Dico primò, ſi licita eſt eo caſu occiſio propter neceſſitatem ineuitabilem ſeſe tuendi, quamuis illi neceſſitati cauſa culpabiliter data fuerit, non incurritur irregularitas, quia nunquam priuata authoritate aliquis iuſtè occidit alium, niſi vrgente legitima neceſſitate, vt oſtendi in ſecundo conſectario; atqui legitima neceſſitas, quæ excuſat priuatam occiſionem à culpa, abſtergit eam ab omni irregularitatis nota, vti conſtat ex prima regula; ſi igitur iuſtè poteſt aliquis in illis anguſtiis occidere alium, non eſt irregularis; quare tota difficultas verſari debet in inquirenda æquitate, aut iniquitate huiuſiuſmodi cædis, contra Molin. loco citando, qui quanquam totam hanc defenſionem, & occiſionem licitam exiſtimet, damnat tamen irregularitatis.

Dico ſecundò, ſi ille qui dedit primam cauſam rixæ, cuius modò de ſua vita periclitatur, ad eamque ſeruandam cogitur alterum occidere, præuidere potuerit, ac debuerit, hoc homicidium futurum, quia vel opus quod ſuſcepit, & crimen quod primò admiſit, periculoſum erat, atque ex ſua natura eò tendebat, vt illi neceſſitatem occidendi alium imponeret, aut quia ex variis circunſtantiis, & modo quo ſe in eo gerebat, prudenter iudicare debebat, ac poterat infœlicem illum euentum, reuerà peccat non tãtùm in primo illo crimine committendo, ſed etiam in illa ſua defenſione occidendo, non quia priùs vacauit rei illicitæ, vt aliqui parum appoſitè ratiocinantur hoc loco cum Molin. diſp. 72. ſed quia illud homicidium non eſt merè caſuale, aut neceſſariū, ſed indirectè voluntarium, & in ſua cauſa præuiſum, ac volitum, atque etiam ſponte ſuſceptum, quandoqui-

dem id, cum quo videbat eſſe connexum, ſponte & ſceleratè aggreſſus eſt. ita Suarez diſp.46.ſect.1.num.12. Layman.lib.3. tract.3. part.3. cap. 10. num. 1.& tandem Sayr.lib.6.cap.17. num. 20. contra Leſſi. qui lib. 2. cap. 9.num. 107. exiſtimat hanc peccare tantùm contra charitatem, quatenus ſeſe conſtituit in neceſſitate inferendi damnum proximo, à quo ex charitate debuerat abſtinere; verùm quidquid ſit de peccato contra charitatem, dum illam, de qua agimus, neceſſitatem nocendi proximo ſponte amplectitur, quando deinde reipſa damnum infert, peccat omninò contra iuſtitiam, culpabilis enim eſt ea damnificatio proximi, neque excuſatur voluntaria illa neceſſitate, in qua præuiſa & volita fuit, vt dixi. neque qui agnoſcunt in hac defenſione irregularitatem, alia ratione ducuntur, quàm quod totum illud homicidium fuerit voluntarium, illi qui eius occiſionem volens & ſciens dedit.

Dico tertiò. Quando non potuit, neque debuit præuideri neceſſitas occidendi alium, ſequutura eſt iniuria quam illi quiſpiam infert, aut ex occaſione rixæ quam dat, & tamen inuitus in eas anguſtias deuenit, vt aut ipſi pereundum omninò ſit, aut alter à quo inuaditur, ſit reuerà iniuſtus aggreſſor, an potiùs defenſor, qui iniuriam duntaxat inferentem repellat, ſeſéque tueatur; ſi enim iſte ſit inuaſor, legitimè occiditur: ſi verò duntaxat ab irrogante iniuriam ſeſe defendit, ſceleratè, ab illo occiditur, qui proinde reus erit irregularitatis ex homicidio ſaltem indirectè voluntario. Ratio huius dicti manifeſtiſſima eſt, ſi enim iſte homicida non inuaditur iniuſtè, non poteſt ſe iuſtè defendere, & ſi iniuriam facit, repelli poteſt; debet igitur deſiſtere ab iniuria, alioquin iuſtè impetitur, & proinde iniuſtè ſe defendit; quare vel fugâ ſibi conſulere, vel veniam deprecari, vel ſatisfactionem offerre tenetur; qui, v. gr. pergit verbis iniurioſis alium laceſſere, à quo deinde ſtricto gladio petitur, ſi illum ipſe repercutiat, vt eius ictus exeat, non poteſt dici ſe defendere, & iniuriam, quam nullam patitur, ſed potiùs infert, propulſare. Quando verò qui dedit cauſam contentioni, agit tamen partes defenſoris, tunc etiamſi peccauerit in ponenda illa cauſa, à qua excitata fuit contentio, quæ ad pugnam vſque exarſit, inculpatè tamen ſe tuetur, & ſi nequeat aliter ſe indemnem ſeruare, quàm aduerſarium, cum quo rixatur, & à quo inuaditur occidendo, non peccat, quia neceſſitate id facit, & non ſponte, vtitúrque iure naturali ſeſe tuendi, quod prior culpa nequaquam ipſi abſtulit, neque alteri dedit ius ipſum inuadendi, aut occidendi, neque aliud probant recentiores, qui à culpa & ab irregularitate excuſant ita ſe defendentem, quamuis ſua culpa coniectus fuerit in eam ſeſe defendendi neceſſitatem, & ſanè tota iſta neceſſitas & occiſio caſualis eſt, comparata cum priori culpa & iniuria, cùm in ipſa neque volita, neque præuiſa fuerit, ſed eam omninò per accidens ſubſequatur; atque ita verum eſt quod dicebat Tabien. Clem. ſi furioſus, *non ponderare iuſtitiam, aut peccatum ſe defendentis, ſed quod aliter mortem vitare non poterat*; quia quamdiu erit vera & propria defenſio, legitima erat, quamuis remota occiſio quæ ad eam compulit, culpabilis fuerit, atque ita dici poſſit radicaliter iniuſta ea defenſio, proximè tamen iuſta eſt, vtpote contra iniuſtum inuaſorem ſuſcepta.

Dico quartò ex variis circunſtantiis

tiis ex natura facinoris & iniuriæ primò illatæ, ex qua ſequuta eſt pugna, atque ex toto proceſſu rixæ arbitrari debemus, an qui primus dedit occaſionem huic pugnæ, & nunc prætextu defenſionis & neceſſitatis tuendæ vitæ, occidit illum ipſum, quem iniuria affecerat, & à quo inuadi ſe queritur, reuerà defenſorem agat; an verò ille, qui priori iniuria laceſſitus fuerat, illam duntaxat propulſet, an vlciſcatur, & ſua priuata authoritate, quod ipſi non licet punire ſatagat; quare prudentis iudicio res tota definienda erit, quanquam in foro externo iniuria primùm pulſatus, ſi continuò aggrediatur aduerſarium, præſumetur ſeſe tueri, & illatam iniuriam repellere. Quando igitur occiſio rixæ fuit tantùm remota, aut leuior, quàm vt ad atrocem pugnam excitare debeat, aut iam ab aliquot diebus, aut horis, iniuria quamuis facta fuit, aut licet modò fuerit illata, qui tamen intulit ſe paratum ad illam diluendam oſtendit, aut veniam poſtulat, aut fugit, quem temerariò irritauit, aut eiuſmodi eſt, vt pugna non poſſit reparari, tunc qui paſſus eſt iniuriam, illam non repellit, ſed vlciſcitur, iniuſtéque inuadit alium, qui ſi nequeat aliter ſe tueri, occidere ipſum licitè poterit, quia etiamſi inuaſor atrocem paſſus fuerit iniuriam, tamen non acquiſiuit ius alium occidendi, quod tamen facere molitur.

Quoties autem vna tantùm eſt actio moralis rixæ, quam aliquis culpabiliter incepit, ac defenſio tunc, qui cauſam dedit rixæ, aggreditur alium, non autem ſe defendit; quod idem dicendum eſt, ſi poſt factam iniuriam de ea ſe iactat, aut eius reparationem negat, aut alium quaſi imbellem, & qui probrum ſibi impactum ferre cogatur, contemnat, cùm his aliíſque modis reuerà alium prouocet & aggrediatur, ſi ab illo impetitur, iuſtè impetitur, & ipſe non agit defenſorem; quare licèt cogatur illum occidere, vt ſe tueatur, ſcelerate illum occidit, quia non vtitur iure naturali defenſionis, vt patet, & quia poteſt ex illa neceſſitate exire, ſi nimirum pro illata iniuria ſatisfacturum ſe ſpondeat, tunc enim ſi alter ipſum perſequi pergat, iam iniuſtè facit, niſi prudenter ſuſpicetur fictam eſſe hanc ſatisfactionis ſponſionem, & ſe potiùs deludi, nouámque pati iniuriam, quàm veterem abſtergi; atque hæc de implicatiſſima difficultate in vniuerſum dicta ſufficiant, ex iis enim facilè fuerit ſingulares ea in re difficultates explicare.

Consectarivm V.

Explicantur ſingulæ difficultates ex priori conſectario deductæ.

27 NE eam per ſingulas difficultates, quę plurima poſtularent, quę alibi fuſiùs diſputanda erunt, paucas duntaxat, quæ frequentiùs excitari ſolent, hoc loco adducant.

Difficvltas I.

De adultero, qui, vt ſe tueatur contra maritum eius, quam corrupit, illum occidit.

28 QVÆSTIO duntaxat eſt de adultero in flagranti delicto deprehenſo; ſi enim alibi impeteretur à marito, cui fecit iniuriam, iniuſtè omninò impeteretur, neque enim ma-

 titus

titus acquiſiuit ius puniendi adulterum ſua propria authoritate. De illo igitur, qui deprehenſus in ſuo flagitio maritum occidit ne ipſe occidatur, quæritur an ſit irregularis, ita enim affirmant Molin. tract. 3. diſp. 72. num. 5. Nauarr. cap. 15. num. 7. & cap. 27. num. 238. allegans Antonin. 3. part. tit. 5. cap. 8. §. 1. Vgolin. cap. 29. de irregular. §. 3. num. 4. Maiol. lib. 5. cap. 48. num. 7. Sylu. v. homicidium. 3. quæſt. 4 Gutierr. lib. 2. qq. canonic. c. 6. num. 43. Villalob. tom. 1. tract. 21. diffic. 24. n. 4. ex quibus tamen Molin. Nauarr. Vgolin. & alij plerique fatentur, defenſionem quidem eſſe licitam, quia tamen, tum ea, tum occiſio ſequuntur ex opere illicito atque periculoſo, attenta maritorum procliuitate, aliiſque circumſtantiis, idcircò homicidium inde conſequutum etiamſi caſuale omninò inducet irregularitatem; verùm hæc doctrina reiecta fuit quæſt. 2. oſtendimúſque homicidium omninò caſuale, quia neque præuiſum, neque volitum vllo modo fuit, neque in ſe, neque in ſua cauſa, nunquam facere irregularem; quare rectè dixit Sylu. tunc in hoc caſu contrahi irregularitatem, quando illicita eſt defenſio, idcircò Maiol. hanc adulteri defenſionem iniuſtam eſſe dixit. Alij magno conſenſu negant irregularitatem, quos enumerat Sayr. lib. 6. c. 17. num. 19. quibus accedunt Leſſ. lib. 2. cap. 9. num. 106. Auila 7. part. diſp. 5. ſect. 3. dub. 3. Gordon. lib. 7. q. 18 n. 72. Turriann. diffic. 10. num. 36. diſp. 2. de irregular.

Mihi perſtandum eſt in diſtinctione allata, ſi enim adulter potuit & debuit præuidere hoc periculum ex variis circunſtantiis, atque eam ob cauſam armatus venerit, reuerà reus eſt homicidij, idque voluit duntaxat Nauarr. ſi verò hoc periculum non potuit, neque debuit ſuſpicari ſed caſu omninò deprehenſus eſt, atque inuaſus à marito, aut conſanguineis mariti, vel vxoris, neque poteſt fuga, ad quam tunc ex Suar. & Kon. diſp. 18. dub. 9. ſub fin. etiam cum aliquo ſuo decore, obligaretur, poterit ſe defendere, quia iniuſtè occiditur, vti oſtendit Molin. diſp. 15. tract. 3. neque ex doctrina à nobis ſæpiùs poſita incurret irregularitatem, ſi tamen deprehenſus hic adulter vel verbis, vel etiam actionibus irritet maritũ adulteræ, aut ipſum contemnat, aut ipſum præueniat, aut alio modo ſe gerat, quo videatur factam ipſi iniuriam non modò probare, ſed ſua procacitate adhuc continuare iniuſtè ab offenſo marito inuaditur, & ipſe illicitè ſe defendit, illúmque occidit, quod non negat Petr. à Nauarr. lib. 2. de reſtitutione cap. 3 num 262. quia verò vix ab adulterio, ſicuti ſapienter expendit Nauarr. ſolet abeſſe periculum alicuius cædis, quod etiam adulteri præuident, vnde & ferè armati incedunt, maximè quando maritus domi præſens eſt, & vir alioquin generoſus ſæpiſſimè etiam in cædibus occaſione adulterij commiſſis ab adultero contrahitur irregularitas.

DIFFICVLTAS II.

De reo iniuſtè damnato, & miniſtros iuſtitiæ, aut iudicem interficiente.

RESPONDETVR hunc reum iniuſtè damnatum, & iudicem ac miniſtros, vt ſuæ vitæ conſuleret, interficientem, tunc tantùm non eſſe irregularem, quando illos iuſtè occidit, id verò non facit, niſi quando illi conſcij eius innocentiæ, illum nihilominùs 29.

lominùs damnarunt, aut morte ple-ctere ſatagunt, & ſint, vt loquantur, formaliter iniuſti, ſiue iniuſtè agunt aduersùs hunc reum, tam ſi ſolùm materialem quandam iniuſtitiã committant, non peccant aduersùs hunc innocentem, neque eum illicitè vexant; quare non poteſt etiam ipſe licitè illos occidere, vbi enim nulla eſt iniuſtitia illicita, non poteſt eſſe licita propulſatio, vt dixit Molin. diſp.15.cit.num.3. & Petr.à Nauarr. l. cit. quod alibi confirmabimus fuſiùs; quæ autem diximus hoc loco de reo ſe defendente aduersùs miniſtros iuſtitiæ, idem dicendum eſt de iis, qui illum, ne capiatur, aut ducatur in carcerem, aut puniatur, tuentur, & deinde, vt ſeipſos defendant, coguntur aliquem occidere, ſi enim iuſta fuit prima illa rei defenſio, licet illis periculum, quod ob illam incurrunt, vitare cæde alicuius ex miniſtris publicis eo modo quo fas eſſe diximus ipſi reo ſeſe tueri.

Difficvltas III.

De fure ſe defendente.

30 Hvnc furem, qui non poteſt aliter euadere mortem, quàm illum, qui illam inferre parat, interficiendo minimè peccare, dixit Molin. tract.3.diſp.15. num. 2. quod tamen intelligendum eſt de illo, qui à furando deſiſtere vult, atque ablata reſtituere, damnaque illata reparare, id enim ſi ſignificetur, iniuſtè interficitur; quare ſe tueri poterit, neque ex noſtra doctrina erit irregularis.

Difficvltas IV.

De eo qui verbis, aut alio modo laceſſiuit alium, quem deinde non poteſt ſe inuadentem repellere niſi ipſum occidendo.

Mihi omninò videtur iſte, qui contumelioſis verbis, aut ſimili 31 aliqua iniuria alterum impetiuit, atque ita rixam ſua culpa excitauit, ob quam inuaditur, niſi deſiſtat, & ſe paratum ad ſatisfactionem oſtendat, aggreſſoris vices, non defenſoris agere, non tantùm in foro externo, ſed etiam in foro interno; atque adeò iuſtè omninò ab illo, quem offendere pergit, impugnari; quare, vt dicebat Petr.à Nauarr. & Sylu. locis citatis, illicita eſt omninò eius defenſio, maximè cùm dixerimus conſect.3.diſtio. 14. poſſe aliquem inſequi illum, qui poſt impactam alapam & iniuriam aliam irrogatam fugit atque fugientem, niſi ſatisfacere ſe paratum oſtendat, occidere: ergo id potiori iure licebit, ſi ſua culpa iniurius fuit, & altercationi locum dedit, pergat te offendere; cur enim eam vim ac iniuriam non propulſabis? quod ſi in his & ſimilibus caſibus concedimus, hunc inchoantem contentionem ſua temeritate & procacia iuſtè impeti ab eo, quem laceſſiuit, ipſe non habet ius ſe defendendi niſi ab iniuria ita deſtiterit, vt alter iam ampliùs dici nequeat propulſare iniuriam, ſed illam vlciſci, tunc enim quamuis iſte initio peccatit, iniuſtè inuaditur, & licitè ſe defendit, atque ſi aliter euadere nequeat, inuadentem occidit, nullo irregularitatis metu ex dictis: ſi autem iniuſtè occidat, erit irregularis ex delicto homicidij caſualis.

DIFFICVLTAS V.

De milite pugnante in bello iniuſto, & aduerſùs ſe inſequentem defendente.

PONIMVS Alcibiadem pugnare in bello, quod iniuſtum eſſe nouit, atque ea de cauſa peccare; ſed quærimus, an dum in conflictu fugit, poſſit hoſtem ſe inſequentem & iuſtè pugnãtem ne ab illo confodiatur, occidere iure naturali defenſionis, an verò peccet in ea cæde, & contrahat irregularitatem.

Diſtinguendum eſt, an hic miles, qui iniuſtè pugnat, nouerit belli iniuſtitiam, ante certamen, an verò in ipſo conflictu, in hoc enim poſteriori euentu ſapienter dixit Soto lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. art. 7. hunc poſſe ſe aduerſùs inſequentem tueri, quia nondum commiſit quidpiam dignum morte, neque niſi materialem iniuriam intulit, quod ipſum verius erit ſi etiam adhuc laboret probabili & inculpabili ignorantia belli, vti ferè laborant milites, quorum non eſt belli cauſas expendere, ſed Principum; qui illud indicunt. At verò difficultas eſt in priori euentu, dum videlicet miles conſcius erat iuſtitiæ belli, quãdo confligere cœpit, cùm enim bellum ſit actus iuſtitiæ, vt alibi docebimus, non magis videtur hic miles noſſe inſurgere in alium iuſtè ipſum inſequentem, quàm reus in iuſtitiæ miniſtros; aliunde tamen videtur aliquod hac in re eſſe diſcrimen inter miniſtros iuſtitiæ, & milites iuſtè pugnantes, nam quamuis Princeps eiuſque milites poſſint cogere hoſtes ad compenſanda damna, & reparandas iniurias ſibi illatas, non habent tamen aduerſùs eos ſuperiorem quandum poteſtatem, vti iudex in reos, & quamuis teneatur tum Princeps, tum eius ſubditi ac milites iniuſtè pugnantes ad damna reparanda eo modo, quo dicitur alibi, non tenentur tamen ſinguli milites mortem pati, neque carent iure naturali ſe defendendi, quando iam deſiſtunt à pugna, & parati ſunt ſatisfacere pro ſua parte; quare in vtramque partem anceps eſt Molin. diſp. 15. cit. Irregularem tamen dixit Auila 7. part. diſput. 6. ſect. 3. dub. 1. con. 2. allegans Syluest. verb. homicidium. 3. quæſt. 4.

MIHI videtur hunc militem, qui iniuſtè pugnauit, & modò terga vertit, ſi paratum ſe oſtendat ad reparandam iniuriam pro ſua parte, v. gr. velit deinceps mereri ſub caſtris hoſtium, & nihilominus impetatur poſſe ſe defendere etiam cum alterius interitu. ita Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. dub. 12. num. 93. quia non mihi videtur priuatus miles ad aliud obligari poſſe; an verò miles iuſtè pugnans, & hunc fugiẽtem occidens, quamuis paratum ad ſatisfactionem, peccet, dubitari poterit, ſi enim fugiens licitè defendit, illicitè impugnatur, vti ſæpiùs ſumus argumentati, alioquin dabitur bellum vtrimque iuſtum; verùm quidquid ſit de hac conſequentia, de qua dicemus alibi fuſiùs, neutrum hoc loco peccare exiſtimarim, quia vterque ducitur optima ratione, fugiens quidem dum ſe defendit, & inſequens etiam, qui ſapienter exiſtimat, ſe ſui Principis iuſtè pugnantis partes agere, & eius iniurias iure vlciſci; atque ita vterque occidere ex opinione probabili ſui iuris, & tunc tantùm eſt bellum vtrinque iuſtum formaliter, quod ſæpiùs contingere certiſſimum eſt; neuter igitur eo caſu fuerit irregularis, vt ampliùs etiam conſtabit ex proximo conſectario.

Consectarivm VII.

Quandónam milites pugnantes contrahant irregularitatem?

35 Respondeo milites niſi alia neceſſitate, quàm ea, quæ ipſis incumbit ex proprio munere, & ex Sacramento militari, quo ſe obſtrinxerunt, excuſentur, fieri irregulares, quoties propria manu occidunt, aut mutilant; ſi verò cogantur alia quapiam neceſſitate defenſionis legitimę, quæ etiam extra bellum priuata authoritate mutilantes, aut occidentes immunes omnis & culpæ & irregularitatis præſtaret, neque peccabunt, neque fient irregulares in bello interficientes, aut mutilantes.

Hæc vniuerſalis propoſitio manifeſtò ſequitur ex regulis à nobis poſitis, in quibus oſtendimus neceſſitatem, atque legitimam defenſionem excuſare à culpa & irregularitate priuatam perſonam, multo enim potiore iure excuſabit perſonam publica authoritate interficientem. Quod argumentum firmum omninò mihi videtur; quando verò non vrgentur milites vlla extrinſeca neceſſitate, ſed potiùs officij publici, quod gerunt, etiamſi non peccent occidendo in bello iuſto, cùm tamen directè intendant vindictam, æquè fient irregulares ex defectu manſuetudinis, atque iudex, qui pro ſuo munere prædonem ſuſpendi iubet, nam etiam bellum eſt actus iuſtitiæ; verùm hæc omnia faciliùs intelligentur ex ſingularibus difficultatibus, quas ſubiicio.

Difficvltas I.

De militantibus in bello iniuſto.

Certvm eſt eos omnes, qui in 34 bello iuſto mutilant, aut occidunt, & qui illis ſiue phyſicè, ſiue moraliter cooperantur, eſſe irregulares ex homicidij delicto, niſi ignorantia excuſentur; quod vltimum addo, quia irregularitas ex delicto poſtulat culpam mortalem, vt aliàs diximus, quòd ſi hoc loco ſublata culpa propter probabilem ignorantiam admittas irregularitatem ex defectu lenitatis, eodem modo ea tunc contrahitur, quo in bello iuſto, in quo nulla neceſſitas excuſat, vt dicam inferiùs.

Ratio porrò huius concluſionis eſt perſpicua, hi enim rei ſunt homicidij iniuſti ac voluntarij, vt patet, cuius pœnæ extenduntur ad mandantes, conſulentes & cooperantes, vti fuit oſtenſum quæſt. 1. quinam autem intelligantur hoc loco nomine cooperantium, explicandum amplius eſt.

Difficvltas II.

An omnes, qui mutilant in bello iniuſto, ſint irregulares ſequuto aliquo homicidio?

Respondeo primò, mihi videri 35 admodum probabile, quod exiſtimauit Kon. diſp. 18. num. 98. eos tantùm eſſe irregulares, qui moraliter dici poſſunt iuuaſſe occidentes, aut mutilantes, quales ſunt tantùm aliqui circunſtantes, non autem totus exercitus per latam planitiem diffuſus, quia non ſatis intelligitur quomodo multa millia fuerint huic cædi cooperata; quando verò ex parte iniuſtè pugnantium aliqui cæduntur, ij tantùm

tùm ex commilitonibus erant irregulares, qui fuerint cauſa, cur hic & nunc pugnârint, atque adeò ab hoſtibus occiſi fuerint; confirmatúrque hæc ſententia Koninch ex eo quòd non videantur ſinguli milites teneri ad reparandum damnum, quod à toto exercitu in iniuſta vrbis exciſione illatum fuit, vti Paludan. num. 40. diſtinct.15. quæſt 2. num 30. docuit, cui adhæſit Leſſi. lib. 2. cap.14. n 37. quia, inquit, ſinguli milites non iuuaturit iniquam expugnationem, niſi faciendo partem ſuam, non autem procurando, vt alij ſuam in illo damno facerent, & ſicut totus exercitus eſt cauſa totius damni, ita ſinguli ſuæ tantùm partis, niſi alia ratione alios iuuerint; quod autem ſingulis conſtantibus ingentem exercitum, fieri non potuit reſpectu ſingulorum aliorum, vt patet; atque ea ratio æquè valet in irregularitate atque in obligatione ad reſtitutionem damni, eùm vtraque oriatur ex cooperatione ad damnum & mortem inferendam; communis verò DD. opinio, quæ contraria eſt, non ducitur alia ratione, quàm quòd omnes coniunctis animis & viribus pugnantes ſint vna cauſa moralis damni & iniuſtitiæ cædis, quam cauſæ vnitatem nos negamus inter tot millia militum, dicimúſque non aliter facere vnam cauſam, quàm vnitate Ordinis, eodem modo quo conſtant vnum exercitum, & quo in toto collectiuo ſingulæ partes illud faciunt.

Hinc fit ſecundò. Si diuiſo in plures partes exercitu vna pars occidat aliam, quæ nihil planè confert ad eam occiſionem, etiamſi ad inſidias ſubſtiterit, non fieri irregularem. Ita Vgolin. cap.13.§.1. num.3. & Bonac. diſp 7. quæſt.4. punct.5. num.3. quia iſta pars nullo modo iuuit aliam.

Tertiò, dux iniuſti belli tot incurrit irregularitates, quot in illo fiunt homicidia, quia ipſorum omnium cauſa principalis eſt, & in omnibus militibus pugnat, quandoquidem illi ſuo imperio & auſpiciis pugnant, vnde etiam totius damni cauſa exiſtit.

Quartò, qui ſeruant militantium ſarcinas in bello iniuſto, non fiunt irregulares, ex Kon. & Villadiego alios citante, tract. de irregular. cap. 6. num. 16. apud Auilam, qui contrariam ſequutus eſt diſp.6. ſect. 3. dub.2. cum Nauarr. num.224. cap.27. Vgolin. §.1. cit. num.2. Villalob. tract.21. diffic.29. num.1. & communi. Ratio noſtra eſt, quia iſti non niſi remotè admodum cooperantur militibus pugnantibus & occidentibus, vt diximus aliàs de vendentibus arma.

Quintò, qui conducunt milites ad bellum iniuſtum, ſunt rei cædium, quas illi deinde admittunt, atque ea de cauſa irregulares, ſicut & qui in prælio nauali nauem gubernant.

Sextò, qui alio quàm pugnandi animo ad bellum iniuſtum proficiſcuntur, ſed ad componendam pacem, aut iuuandos milites in ſpiritualibus non fiunt irregulares propter cædes ibi commiſſas, immò verò ſi ad propriæ vitæ defenſionem neceſſe deinde ſit illos pugnare, neque fiunt irregulares, ſi quempiam occidant, quia legitima defenſione vtuntur. ita Auila ex communi diſput. 6. ſect.3. dub.1. Idem mihi omninò dicendum videtur de iis, qui obſonia deferunt ad exercitum, neque enim magis cooperantur his homicidiis, quàm qui ſeruant ſarcinas.

Septimò, qui cooperantur proximè ad homicidia hoſtiū in bello iniuſto, ſunt irregulares ex delicto homicidij voluntarij; reſpectu verò cædium ſuorum commilitonum contrahunt tantùm

tùm

tùm irregularitatem homicidij caſualis, quia præter intentionem ipſorum occiduntur commilitones, quos ſuis ipſi armis tegunt, & cum proprio etiam vitæ periculo defendunt, quod duplicis irregularitatis diſcrimen diligenter eſt obſeruandum propter diſpenſationem.

Octauò, quod dicunt communiter omnes DD. quos dabit Sayr. lib. 6. cap. 19. num. 7 Clericum, qui intereſt bello iniuſto, etiamſi nihil noceat aduerſarius, ſi tamen in eo committantur aliquæ cædes, fieri irregularem, eo quod vacet rei illicitæ. Eodem modo explicandum eſt, quo de laicis, nimirum ſi ſufficienter fauore, auxilio, conſilio, hortatione, aliave ratione coopetentur ad iſta homicidia, ſecluſa enim illa ſufficienti cooperatione nulla admitti poteſt irregularitas, cùm nullibi ſtatuta reperiatur; quod autem Clericus vacet rei ſibi tunc illicitæ, atque adeò peccet, & nihil prorſus efficiat, niſi ex ea actione illicita ſequutum fuerit homicidium, tunc autem æquè laicus, atque Clericus contraheret irregularitatem ratione homicidij voluntarij, aut caſualis, vti late ſuo loco fuit oſtenſum; Clerici autem, de quibus agitur cap. ſicut dignum. §. vlt. de homicidio, cooperati fuerant iniquiſſimæ neci, cui armati adſtiterant, vti etiam aliàs monuimus.

DIFFICVLTAS III.

An qui mutilant in bello iniuſto, fiant irregulares, nullo ſequuto homicidio.

36 RESPONDEO, neque laïcos, neque Clericos fieri irregulares ratione homicidij, niſi illud reipſa commiſſum fuerit, quamuis in bello iniquo mutilarint, quod probatur in vniuerſum ex regula generali tum iſto, tum ſuperiori libro tradita, neque cenſuram, neque irregularitatem vllam incurri propter aliquem actum, niſi illo completo. Deinde ſigillatim oſtenditur nam quod attinet ad laïcos, nullibi ſtatuitur in iure irregularitas iniuſtè pugnantibus, ſi nullæ cædes committantur, aut mutilationes: malè autem Maiol. lib. 5. c. 49. num. 5 excepit Duces & militum Præfectos, quos ratione ſui muneris facit irregulares, ſi bellum iniuſtum ſit, etiamſi nullus fuerit occiſus, quod probat ex cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi, & ex cap. ſi quis 51. diſt. ſed malè, vt dixi, cùm in iis locis nihil tale dicatur, nam cap. ſententiam, habetur duntaxat, ne vllus Clericus præponatur *ruptariis, aut baliſtariis, aut eiuſmodi viris ſanguinum*: vnde nihil, quod ad laicos Duces, colligi poteſt; deinde Clericis, qui id muneris aſſumpſerint, non imponitur vlla aut pœna, aut irregularitas, vti legenti patet. cap. verò, ſi quis, agit de omnibus militibus baptizatis, & non de ſolis Ducibus, eſtque can. 8. Concilij Toletani. *Si quis poſt Baptiſmum mutilauerit, & chlamydem, aut cingulum ſumpſerit, ad necandos fideles, etiamſi grauia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.* quæ verba, vt vides, cùm vniuerſalia ſint, & nihil diſtinguant, facerent omnes omninò milites irregulares, ſaltem, qui aduersùs fideles ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè pugnant, quod falſiſſimum eſſe conſtat; imò cùm in antiquis exemplaribus non habeantur ea verba, *ad necandos fideles*, vt ex caſtigatiſſima Garſiæ Loayſæ editione conſtat, quamuis noſtra

vulgata, quam etiam Caranza retinuit, ita legat; in omni prorſus bello ſiue iuſto, ſiue iniuſto, ſiue aduerſum fideles, ſiue infideles, incurritur iſta irregularitas. Ne igitur dicamus PP. Toletanos ab vniuerſalis Eccleſiæ ſenſu diſcedere, aliter ſunt exponendi, vt ſapienter ibidem monuit gloſſa, verb. *militauerit*, & imprimis vt ſola militia non faciat irregularem, neque impediat promotionem, *niſi ſæua exercuerint*, id eſt, quempiam occiderint, alioquin enim cingulum militare non impedire promotionem ad Clerum, oſtendit Gregor. lib. 7. ep. 11. menſe Decembri, Indictione 1 probans legem Mauritij Auguſti de non facilè admittendis ad Eccleſiaſticum habitum, aut Monaſteria militiæ & publicis rationibus obligatos, quam ſanctionem ita ſanctiſſimus Pontifex temperat, vt viri militares non facilè ſuſcipiantur, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita, & iuxta normam regularem in ſuo habitu, antequam monachicum ſuſcipiant, probentur. Secundò *illa verba etiamſi grauia non admiſerit*, ſiue, vt legit Loayſa *grauiora*, non ſignificant milites etiam non ſequuta vlla cæde excludendos à clericatu, vti Maiol. explicare videtur, ſed vt vidit Suar diſp. 47. ſect. 5. num 6. licet milites alia ſcelera non commiſerint, quàm quòd in bello occiderint, atque etiam ne in illa quidem occiſione propter iuſtitiam belli peccauerint, nihilominus fore irregulares, nimirum ex defectu lenitatis, vti dicemus difficultate ſequenti; hic autem defectus non contingit niſi aliqua occiſio, aut mutilatio ſequuta fuerit. Denique non ita excluditur iſte miles à Diaconij dignitate per vltima verba canonis, vt ad alios inferiores Ordines admittendus ſit, quaſi iſta irregularitas ſit tantum partialis, ſed quia ſoluto diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorê, plures iam fuerant admiſſi in Clerum, quibus ex quadam diſpenſatione Concilium permitit in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, vetat autem ad vlteriores promoueri, qua lege ſatis indicat, eos, qui ad Clerum non fuerint admiſſi, non eſſe admittendos, quandoquidem illos vniuerſalis Eccleſiæ regula iam reiiciebat.

Dices, Innoc. I. epiſt. ad Victricium Rothomagen. cap. 2. negare eos, qui poſt remiſſionem peccatorum cingulo militiæ ſæcularis accincti fuerint, ad Clerum admittendos eſſe. Ep. etiam 4. ad Felicem Nucenanum cap. 3. inter laicos qui ordinari perhibentur, numerat, *ſi quis fidelis militauerit*, & denique in ep. 24. ad Synodum Toletan. cap. 2. & 4. repetit.

Reſpondetur, hæc omnia intelligenda eſſe de iis, qui in bello occiderant, aut mutilauerant, atque, vt loquitur ipſemet Innoc. ep. 24. cit. cap. *qui ſæua*, ſiue, vt legit Loayſa, *ſeuera neceſſario præcepta ſunt exequuti*, Ex quibus etiam colligas ſententiam Canonis Toletani, PP. enim nihil definierunt, niſi ex mente Pontificis ad eos ſcribentis, & damnantis *ordinationes, quas praua conſuetudinis vitio Hiſpaniæ, Epiſcopos celebrare coegerat.*

Iam verò quod attinet ad Clericos Maiol. loco cit. exiſtimat illos irregulares eo ipſo, quod arma ſumpſerint in bello iniuſto, licèt nulla cædes commiſſa in eo ſit, & probat ex cap. Clerici 23. q. 8. quod deſumitur ex Conc. Toletan. IV. c. 44. Iubet enim Synodus Clericos, qui in ſeditione arma ſumpſerint, deponi, & in Monaſterium pœnitentiæ cauſa detrudi, & in Conc. Meldenſi cap. 37. Clerici armati incedentes, aut arma

militaria

militaria ſumentes, eadem depoſitionis pœna plectuntur; & denique primis quatuor capitibus illius quæſt. 8. probat Gratian. ex Innoc. Ioan. VIII. Ambroſ. & Triburienſi Concilio Clericum non poſſe militare. Verùm reſpondetur cum Suar. diſp. 47. ſect. 5. num. 4. in Concil. Toletano, & Meldenſi non agi de irregularitate, aliáve pœna ipſo facto incurrrenda, ſed de depoſitione, aut ſuſpenſione, quæ per ſententiam iudicis erat imponenda. Alia verò loca probant tantùm Clericis non licere militare, quod nos quoque fatemur modo explicando, ſed non inde fit, quoties militarint, ſi nullum fuerit ſequutum homicidium, eos fieri irregulares, vt ſine cauſa contendebat Maiol.

DIFFICVLTAS IV.

Quinam fiant irregulares in bello iuſto aggreſſiuo, ſequuto aliquo homicidio?

37 RESPONDEO eos, qui in bello iuſto aggreſſiuo extra propriæ vitæ neceſſariam defenſionem propria manu occidunt, aut mutilant, fieri irregulares; cæteros verò omnes, qui quocunque modo illi bello cooperantur, ſiue Clerici, ſiue laici ſint, manere omnis irregularitatis expertes, quæ omnia ſigillatim oſtendenda ſunt ex dictis, ex quibus probata manent.

Dixi primò, qui propria manu occidunt in bello aggreſſiuo, licèt iuſto, fieri irregulares ex defectu lenitatis, quod probatur ex cap. petitio, de homicidio, iubet enim Pontifex abſtinere ab altaris miniſterio Sacerdotem, qui pugnarat contra Sarracenos ſi remorderetur conſcientia occiſionis à ſe factæ. Deinde cùm à militibus aliquando contrahatur hæc irregularitas, certè maximè dum ipſi ſua manu mutilabunt, aut occident, præterquam quòd cùm in bello aggreſſiuo reperiatur, veluti exequutio iuſtæ ſententiæ, qui ſuis manibus exequentur, æquè erunt irregulares atque in iudicio; quanquam hic argumentandi modus oſtendat tantùm congruum fuiſſe imponi hanc irregularitatem, non autem reuerà fuiſſe impoſitam ad id enim requiritur expreſſus textus, vti ſæpiùs monuimus: manifeſtè autem ſupponitur in citato cap. petitio, iſta irregularitas.

Dixi ſecundò, ab hac vniuerſali regula excipiendos eſſe illos, qui in eiuſmodi bello cogūtur ad propriæ vitæ defenſionem, & qui hoſtem, à quo alioquin in cōflictu confodiendi ſunt, occidunt, hi enim minimè fiunt irregulares. ita Molin. tract. 2. diſp. 68. de Clerico exiſtente in naui, & cuius vita periclitatur, niſi cum aliis pugnet. Carol. de Graffis tract. de effectib. Cleric. effectu 28. num. 18. vbi allegat Turrecremat. in cap. 1. 23. quæſt. 8. Auila diſp. 6. ſect. 5. dub. 1. qui etiam laudat Sylu. conſentit Diana tract. 2. 4. part. reſolut. 29. quia nulla ratio eſt, propter quam iſte aſſiſtens, iuſto bello priuetur iure naturali defendendi propriam vitam, & cur æquè non excuſatur eo caſu neceſſitate ineuitabili ſeſe tuendi ab omni defectu lenitatis, atque in cæteris omnibus ſimilis neceſſitatis caſibus excuſatur. Neque id cæteri negant, niſi quando iſti proceſſerant ad bellum animo pugnandi; tunc enim ſi occidant, etiam in defenſionē propriæ vitæ, irregulares eſſe dicant, Maiol. lib. 5. cap. 4. num. 4 Henriq. lib. 14. cap. 13. num. 1. Suar. diſp. 47. ſect. 5. & alij relati à Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. p. 5. n. 2. vbi idem ſentit, quia iſte expoſuit ſe periculo homicidij

micidij, quod proinde non eſt omnimodè neceſſarium, idque verum erit maximè in Clericis, qui illicitè faciunt, dum propria manu in bello aggreſſiuo, quamuis alioquin iuſto, pugnant. Verùm iam ſæpius monui inutilem eſſe hanc diſtinctionem rei licitæ, aut illicitæ, ex qua ſequitur homicidium, vt illud iuſtum, aut iniquum dicatur, cauſet, aut non cauſet irregularitatem; ſiue igitur peccauerit Clericus, ſiue non peccauerit, dum ſuſcepit aliquod opus, in quo præuidere poterat periculum incidendi in neceſſitatem, qua cogeretur, aut perire, aut vitam ſuam alterius capite ſeruare, vbi tamen reipſa in illam ineuitabilem neceſſitatem deuenit, habet reuerà ius naturale ſe tuendi, & neceſſariò non ſponte occidit, vt conſtat ex conſectar. 5. diffic 3. 4. & 5.

Dixi tertiò neminem aliam quomodocunque concurrunt ad bellum iuſtum, fieri irregularem propter homicidia quæ ab aliis committuntur: quod fatentur omnes, & euidenter colligitur ex cap. petitio, atque ex quibuſdam aliis iuribus inferiùs allegandis. Itaque neque duces, neq. e conſiliarij, neque ibi cines, neque qui bellum ſuadent, aut milites hortantur, vt ſuo fungantur munere, vrbem capiant, hoſtes proterant, qui miniſtrant illis arma, aliaque ſimilia faciunt, modò ipſi ſua manu non occidant, aut mutilent, etiamſi pugnent, aut vulnerent, non fiant irregulares, quod ſapienter omninò ſtatuit Eccleſia, ne innumera hominum multitudo tam facilè illaquearetur irregularitate in præſtando opere licito, & quia non videtur ab aliis omnibus violari manſuetudo Chriſtiana, aut ſacra.

Dixi quartò nihil hoc loco diſtinguendum eſſe inter laicos, & Clericos omnes enim ſi propria manu mutilent, aut occidant, ſunt irregulares in hoc bello: nulli autem ſunt, ſi à mutilationibus & cædibus ipſi abſtineant, neque etiam quidquam facit, quod Clerici tunc bello aſſiſtentes ſint in Sacris, vt benè aduertit Auila ſect. 3. cit. dub. 2. poſt Nauarr. & alios, quia cap. petitio, loquitur de Sacerdote, quem tamen non damnat irregularitatis, niſi illum conſcientia alicuius à ſe occiſi mordeat; neque in his videtur vllus ambigendi locus relinqui.

DIFFICVLTAS V.

Quid liceat Clericis in bello iuſto aggreſſiuo abſque irregularitatis metu?

HÆc difficultas facilè explicabitur ex ſuperiori.

Poſſunt igitur primò Clerici ſuadere bellum iuſtum, & ad illud ſuſcipiendum hortari Principem & D. Thom. 2. 2. quæſt. 40. artic. 2. ad tertium. Molina diſput. 18. num. 5. tract. 2.

Secundò vocare Principem in defenſionem ſuæ Eccleſiæ, illumque ad bellum incitare, atque ad omnia, quæ neceſſaria erunt, præſtanda, hortari licebit Epiſcopo, quod factum ab Hadriano, Paulo I Leone IV. aliiſque ſummis Pontificibus, qui ſæpius Francos impulerunt aduersùs Saracenos, Longobardos, alióſque Romanæ Eccleſiæ hoſtes, ſatis conſtat, & cap. igitur, atque aliquot ſequentibus 23. quæſt. 8. refertur, & ex bellis à Chriſtianis ad Palæſtinæ liberationem geſtis nemo dubitat; neque tantum id bono iure fieri poteſt à ſummis Pontificibus, quorum eſt leges Eccleſiaſticas

ſticas figere,& refigere, ſed ab inferioribus quoque Epiſcopis, & aliis, qui curam alicuius Eccleſiæ gerunt, idem præſtari poſſe docet exemplum Maximiliani Vagienſis Epiſcopi,qui, vt ait Auguſtin.ep.50.ad Bonifacium, petiit ab Imperatore Chriſtiano contra hoſtes Eccleſiæ non tam vlciſcendi ſui cauſa, quàm tueñdæ Eccleſiæ ſibi creditæ, quod ſi prætermiſiſſet, non eius fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia meritò culpanda; quod iterum inferiùs confirmabitur.

Tertiò Clerici,qui dominium temporale habent, poſſunt indicere bellum,& Ducem, qui loco ſui imperet, exercitui præficere; quod colligunt DD.ex cap.Epiſcopus, ne Clerici,vel Monachi in 6. vbi dicitur Clericos, quibus cauſas ſanguinis agitare non licet, poſſe tamen ac debere illas, quando iuriſdictionem temporalem obtinent, metu irregularitatis ceſſante aliis delegare; atqui eadem ratio valet in gerendo bello per alium,vti Molin. loco cit.& alij communiter argumentãtur:male autem Maiol.lib. 5.cap.48.§.1 & cap.49. num.4.atque illum ſequutus Menoch.tract. de arbitrio, in additione ad caſum 231. num. 7. dixerunt hunc Clericum pugnantem aliena manu fieri irregularem, ſi in eo prælio, quod ab eius ducibus geritur, fiant homicidia,cùm nuliibi ea irregularitas reperiatur in iure,& neque ratio eam ſuadeat,neque DD.agnoſcant.

Quartò poſſunt Clerici ex pia aliqua cauſa bello iuſto intereſſe, vt ſpiritualiter iuuent, aut quia ita poſtulat bonum commune & Eccleſiæ, quod S.Thom.affirmat 2.2.quæſt.40. artic. 2. ad 2. vbi tamen videtur poſtulare conſenſum ſuperiorum ad hanc præſentiam.Sed Molin.diſp.108. cit. num. 5. ait ſufficere conſenſum præſumptum,cuiuſmodi eſt, quando inde nullum detrimentum patiuntur propriæ Eccleſiæ, quod maximè verum eſt,vbi conſuetudo viget vt bellis aſſiſtant Epiſcopi, vt in Hiſpaniis inquit. Et denique cap. ex multa,de voto. §. de Clericis permittitur Clericis in bello contra Saracenos intereſſe.

Dices Nicolaum I. epiſtola 27.ad Ludouic & Carolum Regis Francorum, quæ incipit, Credimus ex Dei dono, & refertur cap. reprehenſibile, 23.quæſt. 4. quæritur Epiſcopos regni Caroli non veniſſe ad Romanam Synodum, eo quòd cogerentur contra piratas maritimos diu noctúque inuigilare, reſpondétque Pontifex militum Chriſti & Epiſcoporum eſſe vacare orationibus.

Reſpondetur cum gloſſa redargui Epiſcopos,qui citati à Pontifice Romanæ Synodo noluerant intereſſe prætextu belli, quod gerebant, qui etiam Epiſcopi, cùm non haberent regalia, abſque vlla cauſa præliis intereant, neglecto Pontificis imperio & citatione ad Synodum, & fortaſſis iſti etiam cum graui ſuarum Eccleſiarum damno bello intererant. Denique queritur Nicolaus ita impeditos,aut detentos fuiſſe Epiſcopos à Rege, atque ipſemet fatebatur bellicis negotiis occupatos, *cùm ſaltem binos vnius, aut duarum metropoleos Legatos omnium vices agentes dirigere debuiſſet*.Eodem modo explicandum eſt, quod obiicitur ex Gelaſio Epiſtola ad Elpidium,quem negat Rauennam ad Comitatum Imperatoris potuiſſe proficiſci, inconſulto Pontifice, minaturque pœnam depoſitionis, nam vocatus fuerat Elpidius Romam, nec ſine Pontificis contemptu & nullo Eccleſiæ com pendio,

dio, ſed potiùs damno in aula verſabatur, neque nomine comitatus intelligenda tantùm eſt expeditio militaris, ſed curia Imperatoris ex veteri loquẽdi formula; immò cùm Gelaſius dicat *canones euidenter præcipere nullum Pontificum, niſi Romano antè viſo, & conſulto, ad comitatum debere contendere.* Sapienter intellexit gloſſa in cap. quo auſu 13. quæſt. 8. de iis Epiſcopis, qui contempto iudice Eccleſiaſtico, & maximè à Pontifice vocari pergebant ad ſæcularia tribunalia & ad Imperatorem; quo eodem ſenſu Conc. Antioch. cap 11. ſeuerè prohibet excommunicationis & depoſitionis pœna intentata, ne quis ſub Eccleſiaſtica regula conſtitutus abſque conſilio Epiſcoporum prouinciæ, & præſertim Metropolitani litteris Imperatorem adeat; nempe vt ad ipſum querimoniam deferat, vt optimè vidit Iuo parte 6. cap. 268 & gloſſa in cap. ſi quis Epiſcopus 23. quæſt. 8. & patet ex ipſomet textu, & ratione quam reddit Synodus ſui decreti. *Qui*, inquit, *venerandi Principis auribus moleſtiam tentauit inferre*, & conſentaneè huic conſtitutioni ſimile quid excidit, rogante magno Oſio Synodus Sardicenſ. can. 11. ne quis Epiſcopus non vocatus litteris Imperatoris ad ipſum pergeret, niſi fortaſſis vt pauperum, aut reorum, qui ad Eccleſiam confugerant, cauſas apud Imperatorem agerent, quanquam eas etiam pias cauſas non ab Epiſcopis, ſed à Diaconis tractari ſanciuit ſequenti can. 8. rationem ibidem reddit Oſius Synodi Præſes, quia importunitas, frequentia, & iniuſtæ preces quorundam effecerant, ne certe iam tantam gratiam, & agendi dicendique libertatem τὸ σ[illegible] χά-ριν [illegible] haberent apud Imperatorem, quantum ipſorum dignitas poſtularet; ne igitur vileſceret Sacerdotum dignitas apud aulicos, noluit Synodus Epiſcopos adire palatia, niſi accerſitos Imperatoriis litteris. Ait itaque Balſam. in ſcholiis huius canon. 7. Sardic. Antiochenam & Sardicenſem Synodum minimè inter ſe diſſidere, ita vt tum Epiſcopi, tum Clerici duabus de cauſis ad Imperatorem proficiſci poſſint, nempe vel ex ſynodali deliberatione, vt concedebat canon 11. Antiochenus, vel accerſiti ab Imperatore, vt edixit Sardic. can. 7. ita vt neque peccet Imperator, ſi eos vocat, neque Epiſcopi ſi vocanti Imperatori pareant; quod tamen ex mente Synodi intelligendum eſt, quando pia aliqua cauſa ita poſtulat, vnde ſequenti can. 9. tradit modum, quo piæ preces debeant ab Epiſcopis ad Imperatorem dirigi; debet enim Epiſcopus docere de tota re Metropolitanum, qui per ſuum famulum, & canonicas litteras poſtulationem, & rem totam mittet ad Epiſcopum, qui tunc circa Imperatorem verſabitur. Qui verò Romam adierint, non poterunt ſine Romani Pontificis conſenſu quidquam cum Imperatore agere, aut illum adire; atque hic fortaſſis eſt canon, quem allegabat Gelaſius ſuperiùs relatus in epiſt. ad Elpidium. Denique can. 21. iubet Epiſcopos, qui ſũt in trãſitu, & veluti canali cõſtituti. ἐκ ταῖς παρόδοις ἤτοι καναχίω καθεστώτων διηκόντων, vt tranſeuntes rogent, quô proficiſcantur, & cumquòd ſi ad Imperatorem pergant, inquirant, an ab illo vocatus ſit, an à Synodo, aut Metropolitano litteras acceperit, ſi enim his omnibus careat, neque litteris pacificis ſubſcribat, neque cum eo communicet; quia, inquit Balſam. in ſcholiis, eſt iam à canone depoſitus; hanc tamen tranſeuntibus Epiſcopis inquiſitionem non exiſtimat idem

Balſam.

Balſam.cóceſsũ fuiſſe ab iſto canone, niſi Metropolitano, aut Patriarchæ, qui habent ius aliquod in tráſeuntes, ita vt ſi Epiſcopus Examilij per Heracleam contendat Conſtantinopolim, cauſas ſui itineris cogatur aperire Heracleano Epiſcopo eius Metropolitano, ad quod minimè tenebitur Theſſalonicéſis Prouinciæ Epiſcopus, qui per eandem Heracleam tranſiret, eo quòd ipſimet canones iubeant incompetentes Antiſtites à προσφόρυς ἀρχιερεῖς abſtinere à cauſis aliorum Epiſcoporum εἰς ὑποθέσεις ἀλλοτρίων ἐπισκόπων. Verùm dicendum eſt hunc caſum excipi, nam ſupponit canon, Epiſcopum proficiſcentem ad comitatum, iam ſeruaſſe conditiones præſcriptas canon. 7. & in Concil. Africano, ac proinde iam egiſſe cum ſuo Metropolitano; quare quando concedit Epiſcopis, ad quos in via diuerteret, inquirere cauſam itineris, videtur de quibuſcunque Epiſcopis, ſiue ſint Metropolitani, ſiue non, ſiue eiuſdem, ſine diuerſæ prouinciæ, loqui, neque ea inquiſitio eſt iuridica, & quæ poſtulet iuriſdictionem in eum, de quo inquiritur, ſed communis, ne Epiſcopus communicet cum eo, qui iam à canone excommunicatus fuit, & depoſitus, vt dicebat Balſamon.

Vt igitur redeamus eò, vnde digreſſi ſumus, non benè obiicebatur epiſtola Gelaſij, vt probaretur non licere Clericis intereſſe caſtris ex pia aliqua cauſa, cùm Gelaſius loquatur iuxta veteres canones, quos allegat, & de commoratione in alia Imperatoria, vti oſtendimus.

Fatemur quidem, quamuis nullam incurrant irregularitatem Clerici, dum adſunt iuſtis prælijs, etiam nulla neceſſitate cogente, aut rationabili cauſa inuitati, poſſe tamen peccare & plerumque plus prodeſſe, ſi in ſuis Eccleſiis remaneant, quàm ſi ad bellũ proficiſcantur. Quare in Synodo Wormatienſi nomine totius regni à Carolo Magno proſtulatur, ne patriarum Epiſcopus ad bella pergere, *niſi, inquiunt, duo, aut tres bene docti, electione, vel cæterorum ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam*, addunt etiam plures intentos fuiſſe eiuſmodi Epiſcoporum cuſtodia, quàm prœlio. Vide lib. 6. Capitul. cap. 285. & 286.

Quintò poſſunt Clerici abſque irregularitatis metu hortari milites in bello iuſto, vt ſtrenuè pugnent, hoſtem aggrediantur, patriam & fidem tueantur, & aut occumbant, aut vincant. ita Nauarr. cap. 27. num. 216. Henriquez lib. 14 cap. 13. num. 1. & cap. 16. num. 4. Couar. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. num. 2. Sayrus, qui alios dabit, lib. 6. cap. 19. num. 6. Carolus de Graffis effectu 28. Clerico n. 1. Molin. tract. 2. diſp. 108. num. 5. Suarez diſp. 47. ſect. 6. num. 8. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. p. 4 num. 7. & alij, quia neque peccant contra iuſtitiam, cùm ad rem iuſtam & honeſtam horrentur, neque contra legem Eccleſiaſticam, cùm nulla vllibi extet, neque etiam ſunt cauſa proxima homicidij, cùm ad illud non hortentur, niſi remotè & per accidens; hortantur enim duntaxat ad pugnandum, neque homicidium poteſt dici eſſe volũtarium.

Quare ſapienter addidit Suarez etiamſi Clericus peccaret in communi illa exhortatione, non fore tamen irregularem propter homicidium inde conſequutum, ad quod non niſi per accidens concurrit, neque ad vitandam eiuſmodi occaſionem, atque irregularitatem ex ipſa conſequuturam, prohibuit Eccleſia ne bellis interſint, ſed quia id minimè deceat

deceat ipſorum ſtatũ: neque vnquam Clericis Eccleſia vetuit intereſſe bello, aut alios hortari ad illud ne fiant homicidia, & ſanguis effundatur, alioquin omnia bella prohibere deberet, ſed ne ab ijs Clericis fundatur ſanguis, committanturque cædes.

Dices, cap. quod in dubiis, de pœnis, Innocent. III. iubere deponi Sacerdotes qui gubernant naues ad pugnam, & qui confligunt, atque qui alios incitant ad pugnam. Reſpondetur imprimis cum gloſſa ibid. verb. incitant. Philiarch. lib. 4. cap. 11. §. 5. & aliis Pontificem loqui de bello iniuſto, vnde ait eos omnes, quos ibi enumerat, enormiter peccare, cùm tamen iam dixerimus Clericos poſſe incitare ad bellum ſuſcipiendum, ex pluribus capitulis 23. quæſt. 8. Secundò ſi caperemus ea verba in amplißima illa ſignificatione, eo quòd nullo adiecto reſtringi videantur, incurrerentur hæ omnes pœnæ, atque adeò, vti contendunt aduerſarij, irregularitas etiam nullo ſubſequuto homicidio, quia de eo non loquitur Pontifex, ſed duntaxat de conflictu, & incitatione ad ipſum, cùm tamen conſtet ex vniuerſalibus regulis nunquam homicidij irregularitatem, niſi ipſo ſequuto, contrahi, non eſſet hic tantum irregularitas ex defectu lenitatis, ſed ex delicto homicidij, quando Pontifex dixit, hos omnes enormiter peccare, quod peccatum aliud fingi nequit quàm homicidij ad quod illa nauium militarium gubernatio, conflictus, & ad illum incitatio diriguntur, & à quo ſuam omnem malitiam trahunt. Quartò, exponenda ſunt ea verba de Clericis, qui actiones illas cum aliquibus circumſtantiis peccaminoſis exercent, qui ex canonico rigore puniendi ſunt, ſed non ibi propterea imponitur irregularitas.

Sextò, non fiunt irregulares Clerici, ſi in bello iuſto hortentur milites non modò ad pugnam in vniuerſum, ſed etiam ad perrumpendos hoſtium cuneos, ipſos occidendo, vt ſibi aduerſantium cæde viam faciant ad muros, aut ad ſe venientem, & iam confodientem hoſtem interficiant. hæc cõcluſio videtur ſingularis, quia DD. omnes ſuperius allati illam exhortationem ad pugnam, quam licitam Clericis eſſe dicunt, volunt eſſe generalem tantùm ad vincendum, aut ſtrenuè pugnandum, negantque debere eſſe particularem ad occidendum, aut confligendum cum aliquo, quem ſigillatim deſignet. Verum cùm ex 1. part. huius operis nobis conſtet DD. conſenſum non facere ius, quoties maxime illud expreſſum requiritur, ſicuti requiritur ad inuehendam aliquam irregularitatem, non debemus, neque poſſumus hanc irregularitatem abſque vllo expreſſo iuris textu admittere, nullum autem eiuſmodi eſt.

Nam cap. quod in dubiis, de pœnis, iam fuit expoſitũ, & non magis loquitur de exhortatione particulari ad occidendos hoſtes, aut ſingularem aliquem, quàm generali ad pugnandum, aut occidendum. Quare aut vi illius textus neutra ex illis exhortationibus inducit irregularitatem, aut vtraque illam inuehit: cap. autem petitio, de homicidio, illum duntaxat, quem cõſcientia remordet commiſſæ cædis in prælio, iubet abſtinere à miniſterio altaris; vnde diximus in vniuerſum, nullum alium, quàm ſua manu occidentem, aut mutilantem fieri irregularem, quocunque modo cooperetur ad illud homicidiũ iuſtum. Cur igitur, qui ad illud hortabitur

tabitur, fiet irregularis: & ſanè leuis eſt, aut futilis potiùs iſta diſtinctio ducis hortantis milites iam in procinctu ad ſtrenuè conflígendum cum hoſte, aut ad impetum faciendum in aicem, ad ſubruendos machinis muros, ad incendendas igniariis globis ædes, aliáque præſtanda, & hortantis ad occidendum hoſtes, cùm iſta ad quæ hortatur dux milites, nulla ratione, niſi edita hoſtium ſtrage, & internecione fieri queant, quod porrò aliquem deſignet dux, in quem totam aciem incumbere velit, vtpote partis contrariæ ducem, aut turmæ alicui, quæ omnium moleſtiſſima eſt, præfectum, aut quod aliquem, qui ſe deuouit ad caput alicuius, in quo belli cardo vertitur, perdendum deſtinet, aut quod alius quiſpiam hortetur militem vt aduerſarium, cum quo confligit, occidat, non videtur magis pugnare cum manſuetudine, quàm illa cohortatio generalis; in omnibus enim iſtis incitantur tantùm milites, qui ſunt publici miniſtri ad exequendam vindictam, quod inquit Hurtad. diſp. 2. num. 44 non eſt cooperari vt miniſtrum publicum, neque illicitè cooperari vt perſonam priuatam; & quamuis daremus in his reperiri cooperationem ad occiſionem iuſtam, diximus tamen ſæpiùs cooperatores non eſſe irregulares, ſed eos tantùm, qui ſua manu interimũt. Vnde etiam ſua manu pugnent, ſi tamen ipſi non interficiant, non ſunt irregulares, vti iam diximus inferiùs; atqui ea cooperatio, & auxilium magis influit in cædem à cõmilitone factam, quàm exhortatio, vt patet; cur igitur iſta potiùs faciet irregularem ſine vllo expreſſo iure: neque eſt quòd quis contendat in ea incitatione ad cædem violari manſuetudinem, nam & ego contendam in exhortatione generali ad pugnam æquè committi aliquid contra eandem manſuetudinem, præterquam quòd non omnis defectus lenitatis ſemper inuehit irregularitatem, ſed in caſibus tantùm à iure expreſſis, nam & in ipſa pugna magis violabitur lenitas, quàm in ſola perſuaſione, vt iam monui. Denique laici, qui ita ad pugnam, aut cædem hortando concurrerent, non fierent irregulares; ergo neque Clerici cùm inter ipſos nihil in hac re diſtinguẽdum eſſe docuerimus difficultate 4. Quare Hurtad. loco citato, non meminit huius exceptionis, ſed abſolutè aſſerit, non incurri irregularitatẽ ab eo, qui hortatur milites ad pugnã, & Molin. diſp. 110. tract. 2. con. 2. vniuerſim pronuntiat nunquam Clericos fieri irregulares, licèt pugnent in bello iuſto, modò non interficiant ſua manu; ergo licèt exhortentur ad occidendũ, non erunt irregulares.

Ex quibus colliges multo minus fieri irregularem Clericum, qui alios impellit, vt pro fide, aut pro Eccleſia moriatur, aut pro patria tuenda; quamuis reuerà ſequatur deinde mors, conſulit enim tantũ actũ virtutis, neque facit aliquid cõtra mãſuetudinẽ, nihil planè eſt in iure vnde colligatur eiuſmodi irregularitas. itáque DD. paſſim ſentiũt apud Sayr lib. 6. c. 19. n. 9. & 10.

Septimò non peccant Clerici, qui dum aſſiſtunt bello iuſto, arma apud ſe habent, aut etiam gerunt; vt vrgente periculo ſe defendant, non autem vt ipſi pugnent, & aggrediantur hoſtem, & quamuis illo animo armati incederent, & peccarent, non tamen fierent irregulares.

Non placet multa hoc loco de delatione armorum prohibita Clericis diſputare. Vide Carol. de Graffis effectu 20. clericali; certum eſt non prohiberi arma Clericis, niſi qua-

tenus illorum vſus eſt ipſis vetitus; quare cùm pugnare nequeant, niſi ad ſui defenſionem, ſi eiuſmodi arma tantùm deferant animo ſe defendendi propter periculum, quod incurrere timent, reuerà non peccant ſecluſo ſcandalo, vt ait Henriq. lib. 14. cap. 13. §. 7. quia eo caſu pugnare poſſent. itáque quoties DD. & Eccleſia caſtigant Clericos armatos, loquuntur de iis, qui milites agunt, & armati incedunt more militari ad pugnandum, tunc enim reuerà peccant contra prohibitionem Eccleſiaſticam; cuius plures rationes redduntur à Doctoribus, præcipua eſt, quòd ſtatum miniſtrorum Chriſti, & pietatem Eccleſiæ minimè deceat ea geſtatio armorum, atque eorũ vſus, cùm alia Chriſti, alia ſæculi ſint caſtra, neque, vt egregij animi Martyr Thomas Cantuarienſis aiebat, Eccleſia ſit cuſtodiēda more caſtrorũ.

Dixi nihilominus ex hac iniqua geſtatione armorum non contrahi irregularitatē à Clerico in bello, ſi illis neminem ipſe mutilet, aut occidat, quod facilè oſtenditur ex eo quòd Clericus etiam pugnans in bello iuſto, & non occidens, non fiat irregularis, vt oſtendā ſtatim, & iam ſæpiùs monui; atqui multo minus eſt arma geſtare duntaxat, quàm illis vti, & pugnare, vt patet; præterea laici qui ſtant armati, dum prælium committitur, vt incutiant terrorem hoſtibus, non fiunt irregulares, vt ait Vgolin. cap. 12. §. 2. num. 9. ergo neque Clerici, cùm ex diffic. 3. nullum ſit admittendum diſcrimen in hac parte inter Clericos, & laicos.

Octauò, Clericus præbens arma militi in bello iuſto, vt illis pugnet, non eſt irregularis, quamuis miles armis ſibi ab eo Clerico datis aliquem occidat, aut mutilet. Eſt primò contra Angel. verb. irregularitas 1. num. 15. qui probabilius putat eſſe irregularem eiuſmodi Clericũ, etiamſi dederit arma illi militi ad ſe defendendum, & allegat Hoſtienſ. itáque etiam tenuit Antonin. 3. p. tit. 29. c. 2. §. vlt. Aſtenſ. 2. p. lib. 6. tit. 14. a. 8. quæſt. 24. Sylu. verb. homicidium 3. quæſt. 6. verb. quintum, vbi etiam alios refert. Summa Confeſſor. lib. 2. tit. 1. quæſt. 51. atque etiam Tabien. verb. irregularitas 3. §. 21. con. 14. ſi in ipſo conflictu præbeātur iſta arma qui omnes ex eo reiiciuntur, quia miles ille in ſui defenſionem occidens non fit irregularis, vt diximus; ergo neque qui illum ad eam occiſionem iuuabit, ſiue arma miniſtrando, ſiue alio quodam modo. Secundò reiicio Nauarr. cap. 27. num. 215. & 216. cui Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 4. & reliqui deinceps DD. communiter adhæſerunt, teſte Sayro cap. 19. cit. num. 11. Clericum, qui dat hæc arma militi vt occidat, aut in aliquem illis vtatur, eſſe irregularem, etiam in bello iuſto. Verùm iam ſuperiùs monui hanc intentionem virtualem occidendi, dum quis perſuadetur pugnare, aut inſtruitur armis ad pugnandum, tam ſufficientem eſſe, vt quis dicatur cauſa occiſionis ſequutæ, quàm ſi expreſsè intendiſſet occiſionem, aut illam in particulari ſuaſiſſet, vt apparet in eo, qui in bello iniuſto idem faceret, reuerà enim reus foret homicidij, foretque irregularis. Vidit hoc argumentum Nauarr. neque ſatis fœliciter eo ſe expediuit. Deinde non video cur hanc cauſam irregularitatis aſtringant ad Clericum, cùm ex nullo textu id colligant; præterea licet hortari ad cædendum in bello illũ ipſum hoſtem, cum quo quis congreditur abſque metu irregularitatis, vt dixi paulo antè. Denique in omnibus eſt tantùm cooperatio ad iuſtam cædem ab

ab eo milite factam, dixi autem ſolam cauſam principalem cædis in bello iuſto contrahere irregularitatem, non verò reliquos omnes, licèt pugnent; cur igitur Clericus, qui in hoc caſu eſt tantùm cauſa coadiuuans, fiet irregularis?

Nonò Clerici, qui in iuſto bello curam habent annonæ, rerum militarium ac cæterorum omnium negotiorum bellicorum, non incurrant irregularitatem; quare ipſemet Speculator in tit de diſpẽſationib. §. iuxta, ait, ſe in bello quod Martin. IV. geſſit aduersùs ciuitates Romandiolę, bellica omnia tractaſſe, neq; propterea incurriſſe irregularitatẽ, quia nullibi ea irregularitas imponitur; & ſanè Eccleſiam poſſe bellica tractare, atque etiam bellum indicere ad res ſuas repetendas, malè viſus eſt negare Petrus Damiani, atque ea de cauſa Leonem IX. duriùs accepiſſe lib. 4. ep. 9. ad Oldericum Epiſcop. Firman. ſed ſanctiſſimum Pontificem aduersùs Petri Damiani obiurgationes, tuetur alius quoque Cardinal. Baron. an. Chriſti 1053. Neque iure Petrus negat id ab antiquioribus Pontificibus factum, nam ipſemet Gregorius I.? quem ibi laudabat Petrus lib: 7. indictione 2. ep. 2. & 5. poſt initas inter Imperatorem & Agilulphum Longobardum inducias iuſſit Epiſcopos ciuitatum Romanarum cuſtodiæ inuigilare, & à murorum excubiis Clericos immunes eſſe noluit. Cùm verò an. 603. Arnulphus Longobardus Spoleti Dux, Romam expugnare cogitaret, monuit Imperatoris Duces in Italia conſtitutos, vt prædas in Longobardia agerent, & ita à cœptis Arnulphum reuocarent lib. 12. Regiſtri indict. 7. ep. 21. 22. & 23. Conſtantium quoque Tribunum ad cuſtodiam Neapolis miſit, ibid. ep 24. Gregor. II. Cumanum Caſtrum vi à Longobardis recepit ope Neapolitanorum an. 715. indictione 13. Benedict. VIII. Saracenos Eccleſiæ littora inuadentes comparata valida claſſe ad internecionem deleuit, ipſorum Rege fuga lapſo, & Regina capta, & ob audaciam capite minuta, cùmque ea de cauſa frendens Saracenus ſaccum caſtaneis plenum Pontifici miſiſſet, minitans ſe tot milites in Italiam proxima æſtate ducturum; eidem rem. ſit Pontifex marſupium milio plenum, reſpondítque tot ſe loricatos milites in Italia reperturum, ita ex Ditmaro lib. 7. refert Baron. an. 1016 Gregor. VI. viatum graſſatores armis coërcuit, & plures Eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones recuperauit, teſte Guilielmo Malmesbur. lib. 2. cap. 13. Leo IX. Sanctorum albo adſcriptus exercitum aduersùs Northmannos in Sicilia mouit an. 1053. quamuis infœlici pugna, cùm ipſemet Pontifex in eorum manus deuenerit. Nicola. II. Tuſculanorum Comitum, à quibus infanda paſſa fuerat Romana Eccleſia, munitiones ope Northmannorum, quos ſecum ex Apulia duxerat, diſiuit, & eos antiquam Dominam agnoſcere coëgit. Apud Baron. anno Chriſti 1059. n. 9. Gregor. VII. Robertum Viſcardum Northmannorum Principem, Ducem Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ, Romanæ Eccleſiæ rebellem armis ad officium compulit, vt teſtatur Leo Oſtenſ lib. 3. cap. 44. atque ad expeditionem Orientalem contra Saracenos claſſicum cecinit lib. 1. ep. 49 & lib. 2. ep. 37. Honor. II. aduersùs Rogerium Comitem Siciliæ rebellantem mouit an. 1127. quod etiam iterum ope Lotharij Imperatoris præſtitit Innoc. VI. an. 1137. & deinde an. 1139. duxit ipſemet Innocent. copias aduersùs eundem Rogerium, cúmque ad radi-

ces Caſſini montis vnà cum copiis ſubſtitiſſet apud S. Germanum, ibique per legatos de pace ageretur, ſtructis à Rogerij filio inſidiis captus eſt, & ad ipſum Rogerium inermis ductus, cui etiam titulum Regis Siciliæ, quem malè acceperat ab Anacleto Pſeudo-Pontifice, concedere compulſus fuit, quibus alia ſimilia dabunt Annales Eccleſiaſtici, vt videas bellica tractari poſſe à Clericis, vbi pietas, aut æquitas & regni ſalus, cæteræque legitimæ cauſæ id poſtulant, & quamuis aliquo caſu fortaſſis non vrgeret cauſa adeò legitima, vt his negotiis occuparetur Clericus, modò tamen iuſtum ſit bellum, nullam incurret irregularitatem.

Decimò Clerici poſſunt præfici duces exercitus in bello iuſto, & modò ipſi ſua manu non occidant, non incurrent irregularitatem, etiamſi in eo prælio, aut exercitu committantur homicidia. Probatur, quia iam docui diffic.4 cum Vgolin. cap.12.§.2.& aliis paſſim, neque duces, qui inſtruūt acies, aliáque munia obeunt, neque qui ad prælium impellunt, fieri irregulares, neque vllam eſſe peculiarem rationem Clericorum.

Obiiciunt aliqui cap. quod in dubiis, de pœnis, vbi gubernatores militarium nauium deponi iubentur à Sacerdotij gradu. Ratio eſſe videtur, quia, vt ait Suarez diſp. 47. ſect. 6.n. 10. gubernatio nauis in conflictu maritimo eſt veluti cauſa vniuerſalis influens cum omnibus militibus, ſeu applicans cauſas proximas, gubernatur enim nauis ad ſingulos ictus, prout neceſſarium videtur, vt ſuum effectum ſortiantur. Rectè tamen Maiol.lib.45.cap. 49. num. 3. cenſet vnà cum Speculatore, quem allegat, ex hac gubernatione nauis, cum intentione generali pugnandi non incurri irregularitatem, quia licèt ſit cauſa vniuerſalis, vt exponebat Suarez; non tamen eſt cauſa proxima, quod requiritur ad hanc irregularitatem, deinde diximus in eo cap. ſermonem eſſe de bello iniuſto, & quamuis ex eo textu oſtenderetur actiones, quæ ibi enumerantur, prohiberi Clericis, inde tamen non colligeretur irregularitas, quia alia pœna per iudicem imponenda ibi decernitur.

Obiicies ſecundò, cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi, prohibetur ne Clericus ruptariis, aut rotariis, aut baliſtariis præficiatur; ergo non poſſunt fieri duces in bello, quam conſequentiam colligunt Panor. ibidem, Villalob. tom. 2. diffic.8 tract 5. Reſpōdetur ibi nullam imponi pœnam; quare licèt peccarent vi huius textus Clerici, qui præficerentur exercitui, non idcircò tamen forent irregulares. Secundò potuit prohiberi præfectura quorundam munerum bellicorum Clericis, & non aliorum; quare inde malè colligitur eos non poſſe præfici toti exercitui. Tertiò quia hi baliſtarij & rotarij per ſeipſos pugnant, cùm ipſimet machinas admoueant, ipſorumque duces illi operi intendant, atque etiam machinas bellicas aptent, ſeu dirigant, id prohibetur Clericis, quia, vt ſtatim dicam, nequeunt ſua manu pugnare.

Vndecimò, Clerici non poſſunt licitè in bello iuſto propria manu pugnare. ita omnes, quos dabit Carol. de Graſſis effectu 28 clericatus, qui etiam ad Clericos in minoribus conſtitutos id extendit, quod negat Sayrus lib.6.cap 19.num.1. Molina verò diſp. 108. num. 14 beneficiatos Clericos eodem loco numerat, quo in Sacris conſtitutos vult peccare ſi hac in re delinquant propter grauiſſimas pœnas, quæ imponuntur huic

noxæ

noxæ, priuantur enim ſuorum Ordinum exercitio, & deponi poſſunt ab officio, & in Monaſterium detrudi. cap. quicunque Clericus, & cap. Clerici, & cap. quo auſu 23. quæſt. 8. Verum hæc capitula, quorum primum ex Triburi. alterũ ex Toletan 4. Concilio deſumpta ſunt, loquuntur de bello iniuſto, vti fuit expoſitum, cap. autem, quo auſu, fuit etiam explicatu n. Itaque grauitas huius culpæ ſumenda eſt ex indecentia ſtatus, propter quam Eccleſia id ſemper prohibuit, & paſſim PP. contra Clericos militantes exagitant tota ea quæſt. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 32. Bern. lib. 4 ad Eugen. Salonium & Sagittarium, Epiſcopos fratres armatos lorica & galea in prælijs aduersùs Longobardorum irruptiones, plurimos ſua manu interfeciſſe queritur Turon. lib. 4. cap. 37. & lib 5. cap. 20. tuncque primum ea monſtra viſa eſſe in Gallia, quæ tamen infœlici ſobole poſterioribus ſæculis ſuccreuerant; vnde illæ querelæ in Concilio Wormatienſi Magno Carolo factæ, quas nuper retulimus, & decretum Moguntinæ Synodi eodem Carolo imperante coactæ cap. 17. de abiiciendis armis ab Epiſcopis, ſed non ſunt ſucciſa infœlicia germina, nam diſſipata ciuilibus factionibus Gallia, & domeſticis odiis Caroli familia Epiſcopi & Abbates armati paſſim ad bella proceſſere bellicæ fortitudinis gloriã inſano quodam ambitu aucupantes, quod pluribus queritur Baron. an. Chriſti 888. Conſequentibus deinde ætatibus recruduit hoc malum dimicantibus inter ſe Francis & Anglis; quare cùm Epiſcopus Bellouacenſis armatus in prælio captus fuiſſet ab Anglis, & pro eius liberatione laboraret Celeſtinus III. Rex Angliæ miſſa lorica Epiſcopi ad Pontificem, *Vide*, inquit, *an tunica ſit filij tui, an non?* cui reſpondit, *Non plius meus eſt, vel Eccleſiæ: ad Regis igitur voluntatem redimatur, quia potiùs Martis, quam Chriſti miles redimitur*, vt Matthæus Pariſ. Rogeri. & alij eius æui ſcriptores referunt. In Hiſpaniis verò vſque adeò inſanierunt hac in parte Epiſcopi, vt nonnunquam in Arabes pro Arabibus pugnarent, Principibus enim Zeluma & Almachadio ciuili prælio decertantibus omnes ad vnum Epiſcopos, qui pro Zeluma ſtabant, cæſos fuiſſe commemorat Mariana lib. 8. rerum Hiſpanic. an. 1010. Quamuis igitur fas ſit Epiſcopis & Clericis bellica tractare, dum boni communis ratio id poſtulat, non tamen ſua manu pugnare permittitur, neque enim id fieri poteſt ſine dedecore & offenſione; quare Ioannes XII. Sedis Apoſtolicæ inuaſor adoleſcens aliquando repertus armatus equitaſſe, ad Synodum delatus eſt, ex Luitprand. lib. 6. cap. 7.

Ex quibus vides, an iure naturali, an verò tantùm Eccleſiaſtico pugna ſit prohibita Clericis, nam licet ex aliis, quæ hactenus circa bellica diximus licere Clericis facilè colligatur, nullam ex iure naturali, aut diuino factam eſſe huius rei prohibitionem Clericis, quod inde quoque probatur, quòd Pontifex aliquando diſpenſet cum Clericis, vt ſtatim dicam: tamen hæc prohibitio Eccleſiæ conſentanea admodum eſt dignitati & ſtatui Clericorum; vnde & in iure naturali fundari dicitur à Bann. Molin. & aliis. Neque ferè aliud voluit Valent tom. 3. diſp. 3. quæſt. 16. punct. 4. cum ait iure naturæ prohibitum eſſe Clericis ordinariè pugnare; id enim eſſet omninò indecens.

Quod verò attinet ad eos Clericos, quibus prohibetur pugnare,

certum eſt, vt ex Molin. referebam, in ſacris conſtitutos peccare mortaliter; in minoribus autem, ſi non gaudeant priuilegio fori, nihil peccant, conſuetudine iam diuturna id illis concedente, immò & alios æquè minoribus tantùm inſtructos nihil hac in parte delinquere, quamuis priuilegio fori & Canonis fruantur, docent Couarr. in Clem. ſi furioſus. 2. part. §. 3. num 2. & Valent. tom. 3. d ſp. 3. quæſt. 16. part. 4. & ſanè ipſemet Molin. diſp. 108. tr. 2. Mald. 2 2. quæſt. 40. art. 2. Becan. 2. 2. quæſt. 25. num. 9. cap... tantùm noxæ venialis damnabant, omnes tamen videtur Clericos beneficiatos excipere, quos etiam aliqui grauioris noxæ, vt referebam initio, accuſant, ſed illos excuſat Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 12. ſub fin. quando eorum beneficia non obligant ad reſidentiam, & nihil muneris, ad quod tenentur, ab ipſis omittitur, & bellum contra fidei hoſtes maximè inſtitutum eſt; & in Germania permittatur Canonicis nondum Capitularibus, id eſt, nondum reditus capitulares habentibus ad bellum, ſi lubuerit, proficiſci, ſi tamen aliquem propria manu occidant, aut mutilent tenentur reſignare beneficium, aut diſpenſationem ſuper irregularitate, obtinere; an verò hic Germaniæ vſus probandus ſit, aliorum exquire iudicium.

Duodecimò, quamuis Clerici peccent grauiter pugnando propria manu contra prohibitionem Eccleſiaſticam, non fiunt tamen irregulares, ſi ipſi nullum occidant, aut mutilent, quamuis aliquos percutiant, aut vulnerent. Ex cap. petitio, de homicidio. vbi Panormit. & deinde Nau. cap 27. num. 216. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. n. 2. Molin. tract. 2. diſp. 110. con. 2. & alij paſſim id docent. Neque alia huius legis Eccleſiaſticę ratio quærenda eſt, quàm quia non fuit viſum rationi cōſentaneum, omnes qui in bello iuſto ad cædem concurrunt, irretiri irregularitate, vti ſuperiùs fuit obſeruatum; itaque ij ſoli, qui occidunt, aut mutilant, ab altaris miniſterio remouentur.

Vltimò denique, ſi Pontifex diſpenſaret cum aliquo Clerico, vt pugnaret propria manu, quod fieri poſſe, atque aliquando factum eſſe affirmant DD. relati à Carolo de Graſſis effectu. 28. Clericat. num. 10. nullam incurreret irregularitatem, quamuis occideret, aut mutilaret, vt ibidem dicitur num. 8. Molin. diſp. 110. n. 3. Couarr. §. 3. cit. num. 2. Felin in cap. petitio. de homicidio. Panormit. in cap. 2. de vita & honeſtate Clericor. num. 5. Tabiena verb. Irregularitas. 3. §. 21. con. 2. Philiarch. lib. 4 de officio Sacerdot. cap. 11. §. 6. Henriq. lib. 14. cap. 11. §. 4. Sayr lib. 6. cap 19. n. 14. Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 4. n. 12. recentiores adducens contra Anton. tertia parte tit. 29. cap. 2. § vltim. vbi allegat Ioann. de Lignano, Syluest. verb. homicidium 3. quæſt. 6. cum Archidiacono, quem ſequi ſe dicit, & Maiol lib. 5. cap. 49. num. 5. Hi enim omnes volunt Clericos pugnantes de licentia Pontificis, fieri nihilominùs irregulares, ſi aliquem mutilarint, eo quod ea licentia ſit tantùm ad ſe defendendum, non autem ad occidendum; verùm cùm ſuperior diſpenſat ab aliqua lege, cenſetur quoque eadem opera laxare omnes pœnas, quæ propter illius non obſeruationem impoſitæ ſunt, & qui habet diſpenſationem ad duo beneficia, quorum ſingula poſtulant reſidentiam, conſequenter diſpenſatur à reſidentia, ad quam ſingula ipſum obſtringebant; cui venderet Papa beneficium non eſſet obnoxius

noxius pœnis ſimoniæ, quia ab illis exemiſſet ipſum Pontifex ſimoniacè ipſi conferendo beneficium.

DIFFICVLTAS VI.

An in bello iuſto defenſiuo incurratur irregularitas?

39 RESPONDEO, nullam incurri irregularitatem ab eo, qui in bello iuſto defenſiuo pro ſalute Reipubl. occidit, aut mutilat. Ita ferè omnes, præſertim recentiores, quia hæc occiſio neceſſaria eſt, & non ſpontanea, atque vrgente graui metu ſuſcepta, vel quæ aliquando omitti non potuit abſque peccato, quando vel alioquin periclitatur Reſpublica, aut caput Principis, faciúntque huc ea omnia, quæ diximus circa cædem ad defenſionem ſui, vel proximi inculpatè factam priuata authoritate, ex qua negabamus contrahi irregularitatem; æquè enim valent ea omnia in defenſione, quæ fit authoritate publica; neque dicas milites voluntariè ſuſcipere id onus tegendi Rempubl. ſuis armis, nam, vt nihil dicam ſæpiùs contingere eum rerum ſtatum, vt quiſque obligetur iure naturali ruenti patriæ ſuccurrere, etiamſi nondum in eas anguſtias res deuenerint, ſufficit quòd ratione neceſſitatis & periculi, in quo verſatur publica res, liceat bellum defenſiuum gerere, etiamſi quilibet in particulari potuerit ſe à militia retrahere, nam etiam licebit iniuriam atque mortem ab iniquo inuaſore pati, atque permittere damnum proximi innocentis; & tamen ſi in iis caſibus iniquum inuaſorem occidam, non fio irregularis; ergo neque fiam, ſi patriam tuendo eodem modo hoſtes interimam.

DIFFICVLTAS VLTIMA.

Quid liceat Clericis in bello iuſto defenſiuo abſque metu irregularitatis?

RESPONDEO, imprimis ipſis om- 40
nia illa licere, quæ in bello iuſto aggreſſiuo permiſſa fuiſſe dicebamus diffic. 5.

Secundò, poterunt Clerici etiam propria manu pugnare in bello defenſiuo, quando neceſſitas ita poſtulabit, quia illis non pugnantibus periclitatur patria, aut victoria, quæ limitatio eſt de mente Molinæ, Becani, Layman, & aliorum omnium DD. eiúſque ratio euidentiſſima eſt, iuſtitia enim belli non facit, vt Clericis pugnare licitum ſit, alioquin in bello etiam offenſiuo iuſto id ipſis fas eſſet; ergo ſola neceſſitas dabit id ius, vti fatentur omnes DD. Illa porrò neceſſitas ſumi debet reſpectu ipſorum Clericorum, ita vt non modò ſit neceſſarium Principem, Religionem & Patriam tueri aduersùs hoſtes, ſed ad eam etiam defenſionem oportere ipſos etiam Clericos pugnare, quia illis non pugnantibus, & alia tantùm munia bellica præſtantibus, atque milites ope ſua iuuantibus, inutilis erit defenſio, niſi ſua manu ipſi Clerici decertent, alioquin enim non poſſunt obiicere iſti Clerici neceſſitatem pugnandi, quia reuerà nulla eſt, quandoquidem poteſt aliter defendi Reſpublica. Vnde videas infrequentem admodum eſſe hunc neceſſitatis caſum, atque adeò grauiter ordinariè peccare Clericos, qui in bello licèt defenſiuo, congrediuntur cum hoſte, cùm vix occurrat grauis ea neceſſitas, maximè ipſo ſtatim belli initio, & contenti debeant eſſe Clerici aliis muniis bellicis, quæ dum obeunt,

obeunt, leuant labore Laicos, vt integri ſint ad conflictum.

Tertiò, Clerici illicitè pugnantes in bello iuſto defenſiuo extra caſum neceſſitatis ſuperiùs explicatum, fiunt irregulares, ſi aliquem occidant, aut mutilent: at verò ſi vrgente neceſſitate pugnent & occidant, aut mutilent, nullam incurrent irregularitatem; atque hac diſtinctione componimus diſſidentes ſententias, qui enim affirmant à Clericis in defenſionem patriæ pugnantibus; quamuis non peccent contrahi irregularitatem cum Caiet. 2. 2. quæſt. 40. art. 2. & Nauar. cap. 27. num. 215. loqui debent de caſu illo, in quo non vrgentur neceſſitate ad pugnandum. Alij verò qui negant hanc irregularitatem, volunt eos neceſſitate æquè excuſari, atque excuſantur dum propriam vitam, aut fortunas & famam, aut etiam parentes & amicum innocentem in priuata pugna defendunt, ita Couarr. in Clemen. ſi furioſus 3. part. §. vnico n. 5. & 2. part. §. 3. quo loco Panorm. & Ananiam adducit. Henriquez lib. 14. cap 11 §. 2. & cap 12. § 9 ſub fin. & cap. 13. §. 1. Sayr. lib. 6. cap. 19. n. 5. Qui omnes docent minime fieri irregularem Clericum pugnantem pro defenſione patriæ, vrgente præcepto, quia aduertunt, quòd niſi ipſe pugnet, vrbs capietur, aut patria euertetur, aut delebitur exercitus. Ratio ſæpiùs reddita eſt, quia tunc non intenditur vindicta primò & per ſe, ſed defenſio, & cùm iure naturali ad id tunc quilibet obligetur, vrgeátque grauis mali metus probabilis omnem non modò culpam, ſed etiam lenitatis defectum excludit eiuſmodi neceſſitas, vti prima regula fuit explicatum, at verò ceſſante eiuſmodi periculo pugnare non licet Clerico, quamuis, inquit Sayr. neceſſarium id eſſet ad victoriam de inimicis reportandam niſi parta illa victoria ſperetur pax & bonum vniuerſalis Eccleſiæ, & fidei Catholicæ; quare contrahetur irregularitas ex eiuſmodi occiſione, illam enim ſola neceſſitas, quæ modò nulla exiſtit, impediebat, atque hoc caſu vera eſt ſententia Caietani & Nauarri, contra quos ego addiderim non modò hos Clericos occidentes & mutilantes fieri irregulares, ſed etiam grauiter peccare, quòd ſua pugnent manu & occidant, non quidem contra iuſtitiam, quia ponimus bellum eſſe iuſtum, aut contra charitatem, quia potiùs illa pugnam ſuaderet in defenſionem patriæ, ſed contra ſanctionem Eccleſiaſticam prohibentem Clericos pugnare, à qua prohibitione ſola neceſſitas obligationis implendi præceptum aliquod naturale, tunc vrgentis, aut auertendi grauiſſimi mali impendentis, quod alia ratione vitare non licet, eximit, quæ neceſſitas nulla eſt, quoties Clericis non pugnantibus patria & Reſpublica conatus aduerſariorum facilè perfringet.

CONSECTARIVM VII.

Quandónam contrahatur irregularitas ex iudicio ſequuta rei morte, aut mutilatione?

RESPONDEO omnes qui directè & proximè concurrunt ad occiſionem, vel mutilationem rei in cauſa criminali, fieri irregulares ex defectu lenitatis, niſi vrgenti neceſſitate excuſentur, & ſimul proteſtentur ſe non vindictam, ſed ſuam defenſionem, aut rei emendationem intendere.

Hæc propoſitio ita vniuerſalis nullibi

nullibi traditur in iure, ex iis tamen, quæ ſparſim in illo dicentur de variis perſonis, quæ ad *ſententiam ſanguinis*, vt loquuntur, hoc eſt, ad rei alicuius condemnationem concurrunt, ſequuta eius morte, vel mutilatione facilè colligi poterit, & ex hactenus explicatis ferè probata manet.

Et quidem dari eiuſmodi aliquam irregularitatem, quæ ex iuſta rei damnatione, & occiſione contrahatur, omnes æquè conſentiunt, & ex textibus inferiùs allegandis circa iudices, teſtes, & accuſatores alióſque ſimilrs conſtabit, quę irregularitas cùm non ſupponat actionem culpabilem, ſed iuſtam potiùs, non poterit eſſe ex delicto, ſed ex defectu lenitatis.

Deinde non ſatis eſſe ad contrahendam hanc irregularitatem, quòd reus plectarur aliqua pœna, damnetur, v. gr. ad triremes, niſi vel occidatur, vel mutiletur, idcircò aſſerimus, quia hæc irregularitas non contrahitur, niſi modo, quo aliæ, quæ ex homicidio proueniunt, vti monuimus initio huius capitis, cum eo tantùm differant, quòd vna poſtulet delictum, & non altera; ex iiſdem tamen actionibus materialibus oriátur: at verò iam pridē nobis conſtat ſolam mutilationē, & occiſionē ſufficere ad irregularitatem ex homicidio, alioquin etiamſi quis alterum deformet, percutiat, vulneret, atque debilitet, non erit tamē irregularis, quod contra Nauarr. & alios ſuo loco fuit oſtēſum; quare iudex, qui damnabit ad plagas, & flagella reum, non erit irregularis, vt dicam inferiùs.

Volo autem actualem occiſionem, aut mutilationem poſitam fuiſſe ad hanc irregularitatem, quæ non incurritur niſi ſequuto effectu, neque enim ſatis fuerit iudicem damnaſſe reum capite ſi re verà caſus non fuerit, eò quòd vel abſens eſſet, vel quapiam alia ratione mortem vitarit, contra Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 2. qui ex ſola ſententia condemnatoria iudicem fieri irregularem voluit, cui ita adhæſit Maiol. lib. 2. cap. 6. n. 3. vt dixerit ſolum officium iudicis in criminalibus efficere irregularem, etiamſi nulla ſentētia ſanguinis pronuntiata fuerit, quamuis tunc ab Epiſcopo diſpenſari poſſit, citátque vetuſtiſſimum interpretem Canonum Hugonem, relatum, & probatum hac in parte à Speculator. tit. de diſpenſationib. § iuxta. affert præterea Maiol. Summ. Confeſſor. q. 23. de homicidio, hoc eſt, tit. 1. lib. 2. idem quoque tenuit Ploni. tract. de irregulat. 7. regula, & Alphonſ. Aluarez in ſuo Theſauro cap. 38. 7. regula. Contraria tamen ſententia, quā ſequimur, eſt Hoſtienſ. in cap ſignificaſti 2. de homicidio, & aliorum communiter, cùm nullibi ea irregularitas in iure reperiatur, & nullæ aliæ irregularitates, aut etiam cēſuræ contrahantur, niſi ſequuto effectu, præterquam in caſibus à iure expreſſis, & denique nullibi habeatur apud Epiſcopos eſſe ordinariam poteſtatem diſpenſandi ab irregularitate ex defectu lenitatis; quare aut hoc caſu non contrahetur iſta irregularitas, aut non erit diſpenſabilis ab Epiſcopo, ſed à ſolo Pontifice, vt dicā cap. vlt. quod autem affert Maiol. de Franciſco Remolino, qui etiam annitente Alexandro IV. non potuit inter auditores Rotæ allegi, eo quòd criminalium iudex fuiſſet, nihil probat, quia non fuerat contentus Remolinus ſola dignitate, aut nomine iudicis, ſed illius officium ſæpiùs exercuerat. Plura alia quæ ex gloſſa, & quibuſdam malè intellectis iuribus fruſtrà afferuntur,

fuſiùs expendit Vgolin. cap. 5. §. 4. & 5. Notandum tamen eſt gloſſam in cap. periculosè, de pœnit. diſtinct. 1. dicentem Clericum, qui voluit homicidium facere, & non fecit, eſſe irregularem, corruptam eſſe, quia in vetuſtiori Codice an. 1514. Venetiis impreſſo, contrarium omninò legitur, quod pridem obſeruauit Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. initio num. 5. & ex illo Vgolin. cap. 5. §. 4.

Dixi præterea ſolam cauſam proximam & directam occiſionis aut mutilationis in iudicio iuſto fore irregularem, id enim in vniuerſali propoſitione & regula fuit ſatis ſtabilitum, vbi ad cauſam etiam principalem actionis, ex qua ſequitur defectus lenitatis, id reſtrinximus. Itaque non qui iuuat teſtem, aut accuſatorem, ſed qui teſtificatur & accuſat, fiet irregularis, quandoquidem ius, quod imponit irregularitatem cooperantibus occiſioni, aut mutilationi, loquitur de irregularitate ex delicto & cooperatione ad homicidium peccaminoſum, vti probauimus ex ipſis verbis legis & pœna appoſita.

Denique neceſſitatem excuſare ab hac irregularitate, eo quòd ſit vitandum graue aliquod malum, aut quia obligatio alicuius præcepti naturalis tunc indiſpenſabiliter vrget, conſtat ex eadem regula; ſi enim nullus alius eſſet qui poſſet aut iudicare, aut teſtari, & ex dilato rei ſupplicio immineret graue damnum toti Reipubl. aut innocenti, qui tanquam reus ſtatim ſtrangulandus eſt; ſi verò aperiam veritatem, Titius ipſe qui falsò accuſauerat, damnabitur pœna tationis, & ipſemet ſuſpenderetur, non fit irregularis, ſi accuſem Titium, vt innocentem periculo eximam; quod in aliis quoque contingit, vti exponam in ſingularibus caſibus, quos per aliquot difficultates ſigillatim ſubiiciam perſpicuitatis cauſa, vbi etiam de proteſtatione, quæ eſt altera cauſa excuſans ab irregularitate, diſſeram.

Difficvltas I.

An iudex damnans reum ſequuta eius morte fiat irregularis?

Respondetvr, hunc iudicem fieri irregularem, quod tamen mihi videtur duntaxat validè probari ex cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, in 6. vbi Bonifac. VIII. ait Clericos iuriſdictionem temporalem habentes cauſas ſanguinis ſuo balliuo, aut alij cuiuſcunque delegare poſſe abſque irregularitatis metu. Inde enim apertè colligitur, hos Clericos non poſſe abſque irregularitatis metu eiuſmodi ſententiam ſanguinis exercere; alia verò iura, quæ communiter adduci ſolent, videntur mihi parùm efficacia, nam malè affertur primò cap Clericis, ne Clerici, vel Monachi, vbi Alexand. III. iubet Clericum, qui iudicium ſanguinis exercuerit, eo quòd illis à Conc. Toleran. prohibitum fuerit ab officio, & beneficio deponi, & honore ac loco priuari. quo loco, vt obſeruauit Suar. diſp. 47. ſect. 1. non prohibetur harum cauſarum ſanguinis tractatio niſi Clericis in ſacris cõſtitutis, quod habẽt ipſa verba reſcripti; *deinde Clericos, qui ſecùs faxint iubet Pontifex honore, & loco priuari.* Quæ verba cùm contineant pœnã imponẽdam à iudice, non ſignificant irregularitatem, quæ ſemper imponitur à iure, nunquam ab homine, vti dictum fuit cap. 1. quæſt. 2. 42

Affertur ſecundò cap. ſententiæ ſanguinis, tit. ne Clerici, vel Monachi,

chi, vbi Clericis prohibetur, ne dictent, aut ſcribant, aut profetant ſententiam ſanguinis, aut aliud faciant, quod ad vindictam ſanguinis profetatur. Inde porrò non colligitur irregularitas. Nam primò de ſolis Clericis agitur, quibus ita agere vetat Pontifex; non dicit verò laicos, qui aliquid eiuſmodi geſſerint, non poſſe admitti in Clerum: deinde nullam pœnam irregularitatis aliámve infligit ipſis etiam Clericis, ſed eos per cenſuram Eccleſiaſticam comprimi vult; quid igitur iſta faciunt ad irregularitatem ferendam.

Afferuntur tertiò aliquot capita ex diſt. 51. nimirum cap. 1. Verùm Innocent. I. ep. 24. ad Synodum Toletanum, vnde deſumptum eſt illud caput, agit de Curialium irregularitate, quæ longè diuerſa eſt ab ea, quam modò tractamus ex defectu lenitatis, quam idcircò ex hoc textu malè omninò Canoniſtæ quidam colligere conantur. Qua eadem ratione explicandum eſt cap. 2. eiuſd. diſtinct. ex eod. Innocent. ep. 4. ad Felicem Nucetinum, & cap. 3. ex epiſt. 2. ad Victric. Rothomagenſ. nam in iis omnibus locis Innocent. de Curialium irregularitate diſputat.

Affertur quartò Concil. Toletan. IV. cap. 30. relatum à Gratian. cap. ſæpè Principes 23. quæſt. 8. & Conc. Toletan. XI. cap. 6. vnde eſt cap. his à quibus 23. quæſt. 8. Verùm his omnibus locis Toletani PP. prohibent ſeueriſſimis legibus, ne Clerici ſententias capitales ferant, alioquin reos effuſi ſanguinis apud Chriſtum haberi volunt, & à gradu deponi in IV. Synodo. In Synodo verò XI. adiiciunt depoſitioni pœnam perpetui carceris, & in fine tantùm viaticum concedunt. Vbi vides, quod iam monuimus, de ſolis Clericis, qui hæc officia gerunt, agit, nulláque fit mentio irregularitatis vllibi, ſed pœnæ alterius ab Eccleſia ſuam legem violantibus imponendæ.

Quintò, cap. ex litteris, de exceſſib. Prælatorum. Albigunenſis Epiſcopus, quòd præſtitiſſet ſuam authoritatem furis ſuſpendio, & probationi ferri candentis, atque illi ſuam præſentiam corporalem exhibuiſſet, iudicatur indignus altaris miniſterio; quare ipſi conſulit Pontifex, vt Epiſcopatui cedat, quod niſi faciat, amoueri vult. Quam indignitatem circa altaris miniſterium de irregularitate explicat ibid gloſſa final. Viuian. in Rationali iuris Pontificij, Panormit. atque paſſim alij omnes.

Verùm aliud longè eſt, hunc Epiſcopum incuriſſe irregularitatem, quod fateor cum communi ſententia; aliud verò id colligi ex verbis Pontificis, qui videtur pœnam imponere, ſuſpenſionem nimirum, non autem irregularitatem; deinde cùm Pontifex nihil aliud adiiciat, præterquam eum eſſe indignum altaris miniſterio, eò quòd grauiter deliquerit, cedere iubeat Epiſcopatui; inde confici nequit iudices laicos ab omni Ordinum ſuſceptione reiiciendos eſſe, quoties dederint authoritatem rei homicidio.

Denique affertur cap. in Archiepiſcopatu, de raptoribus; verùm ibi Alexand. III. permittit tantùm Panormitano Archiepiſcopo, vt ex commiſſione Regis Siculi inquirat de Saracenis, qui pueros, & mulieres Chriſtianas rapiebant, eóſque pœna pecuniaria mulctet, atque flagris punire iubeat; modò ne in vindictã ſanguinis tranſeatur. Quomodo tamen inde colligant aduerſarij, Clericos, qui cauſas ſanguinis tractarint fore irregulares, idque ad laicos quoque extendant,

non apparet; opus enim fuit Archiepiſcopo licentia Pontificis, ne peccaret contra legem Eccleſiaſticam cognoſcendo cauſas criminales ad vindictam ſanguinis procedendo; neque nos diffitemur hæc iudicum munia prohibita eſſe Clericis, ſed contendimus in hoc textu, minimè mentionem fieri irregularitatis.

Maneat igitur hãc irregularitatẽ ex defectu lenitatis contractam à cognitoribus cauſarum criminaliũ ſequuta rei cæde, aut mutilatione, non aliter probari, quàm ex conſtitutione Bonifacij VIII. in cit. cap. final. ne Clerici, vel Monachi, vbi non tam condit ius nouum, quàm declarat antiquum, quod non vult non extendi ad eos, qui delegant ſuam iuriſdictionem iudici, poterat enim eſſe dubitatio, an ſicut non poterant per ſe ferre ſententiam ſanguinis abſque irregularitatis metu, ita neque id poſſent per iudices à ſe delegatos, quod poſtremum licitum eſſe reſpondet Bonifac. qui omninò ſupponit iam in Eccleſia receptã eſſe hanc irregularitatem, atque ita intellecta eſſe vetuſtiora iura, quæ Clericis prohibent agitare cauſas ſanguinis; non fuit tamen ſemper in vſu ea irregularitas, quandoquidem Innocent. I. epiſt. 3. ac Exuperium Tholoſan. cap. 3. & 5. ait de iudicibus nihil dum eſſe definitum, vnde non malè colligit Maiol. lib. 2. cap. 6. num. 1. necdum eo tẽpore eiuſmodi officium prohibitum fuiſſe Clericis, quod intelligendum eſſe exiſtimo de prohibitione facta, præcisè propter ſententiam ſanguinis, nam ex eod. Innocent. epiſt. 24. ad Synod. Toletan. Curiales omnes fuiſſe ſemotos à Clero, non propter defectum lenitatis, ſed ne retraherentur ab Imperatore ad ea negotia, quæ ſimul cum ſacris tractare non ſine aliquo dedecore cogerentur. In Concil. quidem Antiſſiodorenſ. an. 6. 10. can. 33. & 34. vetatur Diaconis, & Sacerdotibus adeſſe reorum torturæ, aut iudicio. *Non licèt Preſbytero, vel Diacono ad Trepalium, vbi rei torquentur, ſtare non licet Preſbytero in iudicio illo ſedere, vnde homo ad mortem tradatur.* Huic tamen ſuæ prohibitioni nullam adnectunt pœnam PP. & multò minus irregularitatem, & ſoli Sacerdoti adeſſe iudicio capitali negant, Diaconum autem non excludunt, quem tamen reorum ſupplicia ſpectare nolunt. Itaque crediderim tantùm circa tempora Concilij Toletani IV. fuiſſe pœnam appoſitam huic legi Eccleſiaſticæ iam in pleriſque Eccleſiis vſu receptæ, atque poſteros eas pœnas de irregularitate fuiſſe interpretatos ſaltem aliquot annis ante Bonifac. VIII. qui, vt dixi, in ſua conſtitutione id ſupponit tanquam ius certum.

Ex his porrò videas, quàm falsò aliqui exiſtimarint apud Molin. diſp. 8. tract. 3. iure diuino poſitiuo inhibitum eſſe Clericis cauſam ſanguinis exercere, cùm, vti oſtendi, ne quidem antiquiſſimum fuerit hoc ius in Eccleſia, & quidem in tota veteri lege nunquam vetuit DEVS, ne aut Sacerdotes ſanguinem effunderent, aut qui illud effudiſſent in ſacerdotium allegerentur, cùm & Moyſes, & Samuel, & Phynees, & Leuitæ id cum laude fecerint; & præterea alia ſit ratio effuſionis ſanguinis in pugna priuata, aut publica, alia verò in iudicio, de quo tantummodo diſputamus. Quòd autem Dauid non fuerit permiſſus ædificare templum, quia plurimum ſanguinem effudiſſet, nihil planè conficit in hanc rem, quæcunque tandem fuerit cauſa huiuſce prohibitionis, ex qua ſi quid ad noſtrum Sacerdotium transferre liceret, potiùs colligendum

colligendum eſſet, irregularitatem ex homicidio voluntario in bello aliá ve ratione, delineatam aliqua ratione in veteri lege fuiſſe, vnde tamen non ſatis efficaciter colligitur eam ex homicidio inhabilitatem iure diuino inductum fuiſſe. Æquè verò inſulſum eſt, quod ex Paulo 1. ad Timoth. 3. adducunt, vbi Epiſcopum non percuſſorem eſſe debere monet, nam ibi non præſcribit irregularitates Paulus, alioquin Epiſcopus violentus, & non irreprehenſibilis, eſſet irregularis, docet itaque Paulus mores, quibus præditum eſſe decet eum, qui in Epiſcopũ allegitur, ne videlicet ſeuerior ſit in caſtigando, vti latè exponit Barboſa 1 part. de Officio Epiſcopi tit. 2. gloſſa 12.

DIFFICVLTAS II.

An iudex, qui ſcribit, vel dictat ſententiam capitis, quam alius pronuntiat, fiat irregularis ſequuta rei morte?

43 BONIFACIVS VIII. indulget Epiſcopis, vt ſententiam etiam definitiuam per alium recitare poſſint, cap. fin. de ſentent. & re iudic. quod etiam aliis perſonis illuſtribus conceſſum eſſe ibidem ſupponitur ex l. hac lege. C. de ſentent. ex breuic. recitan. alioquin enim ſententia definitiua, poſtquam ſcripta fuerit ab ipſo iudice ex ſcripto recitari debet, alioquin nec nomen ſententiæ meretur, neque ab illa appellare neceſſe eſt, vt dicitur eodem cap. fin. & l. ſtatutis. C. de ſentent. & breuic. recit. cuius legis cauſas alibi exquiremus.

Quærimus igitur, an eo caſu, in quo iudex propter ſuam illuſtrem dignitatem poterit ſententiam per alium recitare, fiat irregularis, quando ex ea rei mors, aut mutilatio ſequitur. Reſpondetur cum Vgolin. c. 5. §. 1. hunc iudicem irregularem eſſe, nam reuerà ipſemet damnat reum, non autem præco, qui ſententiam à iudice ſcriptam, vel dictatam pronuntiat. Itaque nihil omninò eſt quod excuſet hunc iudicem ab irregularitate: deinde, quia etiamſi non ſcriberet, aut dictaret ſententiam iſtam iudex, tanquam iudex, ſed vt Aſſeſſor, aut Iuriſperitus, aut publicus ſcriba; eſſet tamen irregularis, quia cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi, prohibent Clericis ſententiam ſanguinis ſcribere, dictare & proferre, aut aliud exercere quod ad vindictam ſanguinis tendat; & quamuis ibi non imponatur irregularitas, vti aduertimus ſuperiùs, nihilominus ex Bonifac. VIII. cap. fin. eod. tit. explicante vetera iura, ratio eiuſmodi prohibitionis eſt irregularitas; cùm igitur quis dictabit, aut ſcribet eiuſmodi ſententiam, aut quid exercebit, quod ad vindictam ſanguinis tendit, hoc eſt, cooperabitur illi vindictæ, fiet irregularis, non iam ex vi illius capitis *ſententiam*, quàm ex recepto Eccleſiæ ſenſu ita eiuſmodi prohibitionem explicantis, teſte Bonifacio VIII. ſæpiùs adducto; atque adeò in caſu à nobis propoſito irregularitatem agnoſcunt Innocent. & Panormit. in c. ſententiam, Plouius reg. 5. & alij paſſim.

DIFFICVLTAS III.

An iudex qui iuſſit in anguſtũ carcerem compingi reum, fiat irregularis, ſequuta rei illius morte?

CONTINGIT ſæpiſſime reos ex carceris fœtidi, anguſti & tetri incommodis enecari, maxime ſi victu 44

 tenui

tenui vix ægrè ſuſtentantur. Quare non immeritò quæritur, an iudex, cuius imperiis reus in carcerē actus, vbi ſolo pane doloris & aqua anguſtiæ alitur, ex cap. nouimus, de verb. obligationib. in eo moritur, fiat irregularis?

Reſpondetur hunc iudicem irregularem fore, quoties ex victus imperata diminutione, aut carceris incommodis breui morietur, ita vt illi carceri, aut victui mors tribui iure poſſit tanquam cauſæ proximæ, quod ſentiunt DD. communiter apud Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. n. 7. & Sayrus lib. 6. cap. 18. num. 23. nam reuerà æquè concurrit iudex ad rei mortem, atque ſi illum morte damnaſſet, neque licet illi, aut victum ita reo diminuere, vt fame pereat, aut eo carcere includere, ex cuius fœtore extinguatur, niſi dicat ſe eum eo mortis genere damnare, quo caſu reuerà irregularitatem incurri nemo negaret.

Colligitur autem reum extinctum ex qualitate carceris, aut alimentorum ſubtractione, primò quando breui poſt eam ſententiam periit, tempus porrò illud decem diebus definiunt Cardinal. in Clem. 1. de pœnit. & remiſſion. quæſt. 7. Dias in pract. crimin. canon cap. 129. & Panorm. in cap. presbyterum. de homicidio. Syluest. v. homicidium. 3. quæſt. 7. extendit ad ſex, vel octo menſes, alij reſtringunt ad pauciores, mihi videtur cum Sayro loco cit. expendendas eſſe varias circunſtantias à viro prudente, cuius arbitrio res tota definietur.

Secundò ſi carcer fuit extraordinarius, verendum erit, ne eius malignitate perierit reus, ſi enim ſit carcer communis, non erit locus huic dubio, & quamuis reuera illius ſitum aliáve incommoda ferre non potuerit reus, non tenebatur tamen iudex illi meliorem prouidere; quare iudex qui ad illum compegit, non fuerit cauſa niſi remota, aut per accidens mortis rei, neque incurret irregularitatem, quamuis ſit iudex Eccleſiaſticus.

Tertiò quando pœna impoſita & victus ratio, ſiue alimentorum ſubtractio canonica eſt, quia aut à lege Eccleſiaſtica, aut ex ſtatuto Religioſi alicuius Ordinis definita eſt, non incurritur irregularitas à iudice, aut à Prælato, qui eam ex præſcripto legis inflixit, vt annotarunt Tabiena v. irregularitas 2. §. octauo. Maiol. lib. 5. c. 48. §. 3. num. 12. Vgolin. cap. 5. num. 2. §. 6. Henriq. lib. 14. c. 5. num. 4. Ratio mihi perſpicua videtur; cùm enim canones nullam imponant pœnam ſanguinis, ſine quæ directè & per ſe tendat ad rei mortem, qui ſequitur hac in parte canones, nihil facit, vnde dicatur intendere vindictam, aut ſanguinem, atque adeò pugnare cum manſuetudine, quam iidem canones in ſacris miniſtris poſtulant. Quare nullam inde irregularitatem contrahere poteſt; hinc elicit Vgolin. §. 6. cit. num. 3. cum Anchatan. in Clem. primum, de pœnitent. num. 9. Prælatum fore irregularem, quoties Clericos claudet cauea, ſeu *gabbia*, alióve ſimili loco, in quo veriſimile eſt, eos breui interituros.

Inquiſitores tamen, qui hæreticos muro includunt, non fiunt irregulares, quia neque tam arctus eſt carcer, neque tam parcus victus, vt viuere non poſſint, quamuis non ſine moleſtia & incommodis, quæ in pœnam infliguntur. ita ibid. Vgolin.

Diffi

DIFFICVLTAS IV.

An iudex damnans reum ad triremes, qui ex eo, quòd malè habitus ſit, citiùs moriatur, fiat irregularis?

45 RESPONDETVR hunc iudicem niſi præceperit reum malè haberi à triremium Præfecto aliiſque, vt citiùs moreretur, non fieri irregularẽ. ita Vgolin c. 5. §. 7. Ratio verò perſpicua eſt, quia ex nullo capite colligi poterit iſta irregularitas, nõ quidem ex damnatione ad triremes, quia neque ad mortem, neque ad mutilationem ipſum propterea damnat, alterum tamen neceſſe eſſe ad contrahendam iſtam irregularitatem, diximus initio huius conſectarij; quare neque ſi damnaretur ad torturam abſque mutilatione incurreretur irregularitas, quod etiam obſeruauit Nauarr. conſil. 9. de pœnit. num. 4. neque ſi ad metallum, aut in inſulam aliquam deportaretur, non etiam fiet irregularis iudex iſte ratione mortis acceleratæ, id enim eius opera minimè factum fuit, ſed aliorum, qui ſua ſponte, non iudicis mandato. reum vexarunt, neque vllum aliud caput ſupereſt, ex quo illi tribuatur rei interitus: ſi autem vexationem illam duriorem iuſſiſſet, iam in eius mortem ſua authoritate proximè concurriſſet; quod ſi ex labore conſueto remigibus obierit, cùm illa pœna ſit canonica, atque etiam communis, cauſa mortis per ſe, & non niſi per accidens iudici tribui poterit, ac proinde abſque irregularitate.

DIFFICVLTAS V.

An Clericus iuriſdictione temporali pollens fiat irregularis, ſi cauſam ſanguinis cognoſcendam alicui committat, indeque rei mors contingat?

RESPONDETVR imprimis hunc Clericum poſſe generalem poteſtatem cognoſcendi cauſas criminales alicui committere, cum, v. gr. creare iudicem quæſtionum capitalium, illique mandare vt diligenter ſuo fungatur munere, atque leges ſeruet in ſontes, neque propterea fiet irregularis ſi iudex ille aliquem deinde morte puniat. ita cap. fin. ne Clerici vel Monach. in 6. & gloſſa in cap. Clericis, v. iudicem, eod. tit. atque omnes DD. quia alioquin iuriſdictio temporalis eſſet inutiles Clerico, aut illam abiicere deberet; deinde quia tunc non incurrit niſi admodum remotè ad rei mortem, neque quidquam facit, vnde dicatur lædi manſuetudo Chriſtiana & Eccleſiaſtica, ipſe enim nihil exercet quod per ſe tendat ad vindictam ſanguinis, vt dicitur in cap. Clericis, citato. 46

Secundò poterit hic Clericus cauſam ſpecialem circa crimen particulare à Titio commiſſum committere iudici laico à ſe eam in rem electo, vt de eo ſecundùm legum ſcita pronunciet, neque ſequuta rei cæde fiet irregularis, contra Henriq. lib. 14. cap. 3. num. 4. ſequimur autem gloſſ. in cap. fin. ne Clerici, vel Monach. in 6. v ſuper hoc. Ancharan. ibid. num. 1. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. 5. num. 8. Vgolin. cap. 5. §. 8. n. 3. Saytus lib. 6. cap. 18. num. 16 & 17.

atque recentiores, quos dabit Bonac. diſp. 7. quæſt. 4 punct. 1. num. 29. quibus acceſſit Hurtad. diffic 11. diſp 2. num. 42. Layman lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 7. num 4. Molin. tract. 3. diſp. 8. num. 2. Auila diſp. 5 ſect. 2. dub. 4. Suar. diſp. 47. ſect. 1. num. 6. & ſanè cap. fin. citat. id diſertè definiuit, quandoquidem ait, *homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in ſua iuriſdictione commiſſo baliuo ſuo, aut alij cuicunque iniungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens iuſtitiæ debitum exequatur*, vbi vides agi de homicidio, aut quocunque ſcelere commiſſo, cuius ſpecialem cognitionem demandat iudici Clericus.

Tertiò non poterit tamen iubere, vt damnet morte, aut dicere illum eſſe morte dignum, aut mutilatione, alioquin fieret irregularis, quod vnum voluit Nauar. conſil. 16. de homicidio malè ab Henriq. pro ſua ſententia adductus, atque hanc exceptionem reliqui omnes adhibent, neque ſine cauſa dixit Bonifac. in cap. fin. cit. iniungi poſſe à Clerico iudici, vt veritatem inquirat ſuper maleficio, & iuſtitiæ debitum exequatur, quæ verba ſunt vniuerſaliſſima, neque reum mutilatione, aut morte puniendum dicunt, & ſane iam iſte Clericus pronuntiaret ſententiam, ſi mandaret iudici, vt curaret mutilari reum, aut ſuſpendi. Quare rectè cenſuit Nauarr. conſil. cit. quendam vice legatum irregularem, qui mandauit Commiſſario, vt ſequenti die ſummo manè exequeretur ſententiam pridiè latam; ita etiam eum, qui iubet reum ad ſe adduci, ſiue viuum, ſiue mortuum, ſi in ea captura mactetur, irregularem facit Vgolin. §. 8. cit. num. 18. & Maiol lib. 5. cap. 48. §. 2. num. 8. Princeps, qui præſcripſit alicuius caput, aut qui præmium poſuit illi, qui proſcripti caput, aut membrum aliud attulerit, ſequuto enim effectu fiet irregularis. Conſultus autem Princeps Eccleſiaſticus à ſuis miniſtris, quid faciendum ſit circa quoſdam reos, reſpondere poteſt, vt ſeruent leges, inquirant à Iuriſconſultis, caueant ne quid aduersùs Rempubl. committant, fungantur ſuo officio; quòd ſi vrgeatur, dicat, ſe nihil aliud reſpondere poſſe; quamuis enim ex ea reſponſione manifeſtò colligant miniſtri reum dignum eſſe extremo ſupplicio ex mente Prælati, qui alioquin negaſſet puniendum, non idcircò tamen fiet irregularis quamuis iudex ita explorato Prælati animo maximè moueatur ad ferendam ſententiam capitalem, quia reuerà Prælatus ſua illa reſponſione non eſt directè & per ſe cauſa mortis rei, neque illum damnat, ſed totam cauſam relinquit iudici laïco definiendam.

Quartò, poterit Prælatus abſque irregularitatis nota ſententiam à iudice, quem delegauerat prolatam temperare, atque iubere, vt mitiore pœna, quàm quæ decreta fuerat, puniatur, v. gr. ne viuicomburio, ſed laqueo, aut ſecuri pereat, quia, vti aduertit Layman num. 4. cit. Prælatus non eſt cauſa mortis, aut ſupplicij, cuius partem aliquam imminuit, neque in ea ſe crudelem ſe, ſed potiùs mitem exhibet.

Quintò, quamuis iudex delegatus à Clerico iniuſtè damnet reum, ex eius tamen morte Clericus delegans non fiet irregularis. ita gloſſa. in cap. fin. ne Clerici vel Monach. in 6. verb. iuſtitia mediante, quam Ancharan. & alij DD. ibid. ſequuntur. Ratio perſpicua eſt, neque enim culpa mandatarij, dum excedit fines mandati, obeſſe debet mandanti, ex l. diligenter. ff. mandati. at verò Prælatus iuſ-

ſerat

ſerat iudici, vt iuſtitiæ debitum exequeretur; quare ſi iniuſtitiam commiſit, eius vnius crimen eſt, non Prælati mandantis; neque dicas cap. fin. de homicidio in 6. illum, qui iuſſerat alium verberari, ſequuta eius morte fieri irregularem, quia illicitum quid mandauerat, & debuerat cogitare homicidium euenire poſſe, vt ibidem dicitur.

Cur igitur, inquies, Bonifacius in cap. fin. cit. ne Clerici, dixit hunc Prælatum delegantem iuriſdictionem non fieri irregularem, etiamſi balliuus *contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit iuſtitia mediante*, niſi vt doceret fieri irregularem, ſi iuſtitia à iudice delegato violata fuerit.

Respondeo, Pontificem idcircò eam particulam *iuſtitia mediante*, addidiſſe, quia de eo maximè caſu poterat eſſe controuerſia; quando enim iudex delegatus iniuſtè damnat reum, eius mors tribui nequit deleganti; quare neque occaſione illius *fiet irregularis*, nam, vt iam diximus, mandans non tenetur mandato, vbi mandatarius fines mandati fuit egreſſus; at verò quando iudex ſeruata iuſtitia ex delegatione ſibi commiſſa iudicauit, videtur Clericus delegans, qui illum mouit ad iudicandum ex legum præſcripto, cauſa eſſe ſupplicij conſequuti; quare dubitari poterat, an tunc foret irregularis.

Sextò, reiiciendus eſt Ioan. Andr. qui in cap. fin. ne Clerici, vel Monach. in 6. negat Prælatum, de quo agimus, poſſe committere Clerico, vt vice ſua eligat iudicem, qui cauſam criminalem cognoſcat, eo quòd cap. fin. agat tantùm de Clericis habentibus iuriſdictionem, quam exercere coguntur; quare ſuas vices alteri committere debent. Hic autem Clericus non cogitur hanc vicem ſuſcipere, quare etiamſi Prælatus abſit, neque ſcire poſſit, quiſnam muneri iudicandi idoneus futurus ſit, illius electionem credere laico, non Clerico debebit. quæ omnia reiicienda eſſe dico, quia cùm Clericus iſte eligat iudicem criminalium cauſarum, non magis ad reorum ſupplicia concurrit, quàm ipſe Prælatus, qui iuriſdictionem ipſam delegat, & cuius deinde authoritate iudex ſententiam pronuntiat.

Poterit Epiſcopus facere veniam iudici laico exhumandi cadaueris hominis occiſi, vt poſſit informationem de delicto in genere facere, quia tunc nón concurrit ad mortem occiſoris, ſi inde ſequatur, niſi remotè admodum, cùm reuera nihil hic Epiſcopus operetur, ſed tantùm permittat exhumari corpus, & capi informationes. ita Aloyſ. Ricci. in praxi, reſolutione 453.

Denique non modò de omnibus Clericis iuriſdictionem aliquam temporalem habentibus, ſiue perpetuam, ſiue ad tempus, ſed de laicis quoque dominis, hæc conſtitutio Pontificia intelligenda eſt, nam loquitur de quocunque Epiſcopo, ſiue Prælato, ſiue Clerico; ergo omnes Clericos complectitur, & quia non diſtinguit, an iure Eccleſiæ, vel patrimonij, vel quacunque alia ratione iuriſdictionem temporalem obtineat, & an perpetuam, an temporariam tantùm, idcircò omnes comprehendit, quia diſpoſitio generaliter loquens, generaliter intelligi debet, cap. ſi Romanorum. 19. diſtinct. & l. 1. §. generaliter. ff. de legatis præſtandis.

Quod autem dico laicos quoque eximi irregularitate, quoties ſuam iuriſdictionem modo explicato aliis committunt, Ioann. Andr. Vgolin. & Suar. locis cit. atque alij fatentur,

quia eodem modo concurrunt, aut non concurrunt ad rei mortem per hanc delegationem Clerici ac laici; quare eodem modo contrahent, aut vitabunt irregularitatem.

DIFFICVLTAS VI.

An Clericus poſsit abſque irregularitate ferre legem, qua puniat morte certa quædam crimina?

47 RESPONDEO, quamuis ex hac lege capitali aliqui rei deinde interficiantur, authorem tamen legis minimè fieri irregularem, quod DD. colligunt ex cap. delatori. 5. quæſt. 6. & Vgolin. cap. 9. §. 2. num. 2. referens veteres, atque etiam Sayr. lib. 6. c. 18. num. 18. Henriq. lib. 14. cap. 12. n. 6. Auila diſp. 5. ſect. 2. dub. 5. quia reuerà tunc iſte legiſlator eſt tantùm cauſa remota huius cædis in particulari; quandoquidem ipſa lex tantùm cauſa vniuerſalis eſt, & non animaduertit in certam perſonam, vt dixit Tabien. verb. Irregularitas. 2. §. 4. ſubfin.

DIFFICVLTAS VII.

An iudices Eccleſiaſtici, qui aliquem tradunt iudici ſæculari puniendum, fiant irregulares ſequuta eius morte?

48 RESPONDEO, nullum eſſe in hoc toto proceſſu periculum irregularitatis. ita Medina in ſumm. lib. 1. cap. 11. §. 10. Couarr. in Clem. ſi furioſus. 2. part. §. 5. num. 6. Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 5. litt. O. Auila diſp. 5. ſect. 2. dub. 2. Sayr. lib. 6. c. 18. num. 15. Layman lib. 3. tract. 3. 3. part. cap. 7. num. 4.

RATIO eſt, quia hi iudices neque ſententiam mortis pronuntiant, neque exequuntur, ſed vbi functi ſunt ſuo officio, reum è ſuo foro abiiciunt; quare tradunt alteri foro, ad quod reuerà ſpectat, maximè quando præceſſit degradatio verbalis & actualis, tunc enim Eccleſia priuat Clericum priuilegio clericali, & excludit à ſua iuriſdictione: non dat autem directè iudici ſæculari iuriſdictionem in illum, vt obſeruat Suar. diſp. 47. ſect. 1. num. 11. Quare ſi deinde iudex laïcus in illum animaduertit, eius mors non debet imputari iudici eccleſiaſtico, qui neque propterea incurret irregularitatem, cùm ablatio priuilegij clericalis non tendat per ſe ad ſententiam ſanguinis. Deinde, quia verè & ex animo intercedit Clericus apud iudicem laicum, vt mitiùs cum eiuſmodi reo agat; ſed de ea proteſtatione iterum inferiùs fusè diſputabo, & verùm neceſſaria ſit Inquiſitoribus fidei, quandoquidem illi ex peculiari priuilegio poſſunt hæc omnia præter exequutionem ſententiæ ſanguinis per ſeipſos; cùm igitur hi iudices ad mortem rei non concurrant niſi remotè, nullam notam irregularitatis timere debent.

DIFFICVLTAS VIII.

Quomodo Clericus conſultus de crimine capitali vitabit irregularitatem?

RESpondetur primò, quoties in vniuerſum conſulitur aliquis, quam pœnam mereatur tale crimen, reſpondétque ex legum præſcripto, mereri mortem non contrahet irregularitatem, quia ſua illa reſponſione non influit directè & proximè in alicuius 49

aliculus particularis necem, ſed per accidens tantùm ad illam ſe habet, aperit enim quid leges contineant: non exequitur autem pœnam à lege poſitam; quare quamuis edat tractatus, quibus iudices ad cauſas criminales pertractandas inſtruat, & in concione hortetur iudices ad caſtigandos ſontes, aut etiam author ſit Principi, vt legem capitalem ſanciat, non ſit irregularis, ex Speculat. Archidiac. Hoſtienſ. Anton. quos ſequitur Sylu. v. homicidium 5. q. 7. Maiol. lib. 2. cap. 9. num. 9. & 10. Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 6. Sayr. lib. 6. cap. 18. num. 25. Vgolin. cap. 9. §. 2. num. 2. 5. & 6. quandoquidem neque opem, neque auxilium, neque conſilium in caſum iſtum particularem confert Doctor, quem conſuluiſti, alioqui Doctores, qui de variis criminum pœnis voce, aut ſcripto diſputaſſent, fierent irregulares; ſi eorum diſcipuli, aut lectores deinde iudices fierent, atque ex ipſorum doctrina aliquos damnarent.

Secundò, quando quis interrogatur de aliquo reo particulari, an ſit minuendus capite, aut ſtrangulandus, non debet id aſſerere, neque etiam dicere, magnum fore periculum, ſi impunitus euadat, vt patet ex cap. ex litteris. de exceſſib. Prælatorum; dicere tamen poterit, vt conſulat leges, illas ſequatur, ſuo fungatur officio, ſeruet fidem, quàm ea in parte debet Reipublicæ, poteſt etiam aperire, quid definiant leges de hoc crimine, homicidio, v. gr. aut furto; hac enim reſponſione, aut alia ſimili nihil per ſe influit mortem rei, cùm tantùm declaret ius & leges. Si autem ſuſpendendum eſſe diceret, aut omninò puniendum, cauſaretque eius mortem, quia nondum iudex certus erat reum vita priuare, reuerà eſſet irregularis, quia aliquid exercuiſſet, quod tenderet ad vindictam ſanguinis, vt loquuntur iura: ſi autem iam animo deſtinarat eam pœnam iudex, qui tamen voluit alterius ſenſum inquirere, cùm non fuerit operatus ex eo conſilio, non incurretur irregularitas ratione illius conſilij: ſecùs autem dicendum eſſet, ſi iudex fluctuantem, & dubium animum ex ea reſpõſione confirmauit. Ita Vgolin. in quibus tamen videndum eſt, quod monet in hanc rem Henriq. & Soto locis inferiùs adducendis, vt influxus, ſiue conſiliarij, ſiue alterius cuiuſcumque cooperantis in illam mortem ſit notabilis & æſtimabilis, nam ſi leuis admodum & exigua ſit eiuſmodi cooperatio, ex illa non ſequetur irregularitas; itaque ſi ſcrupulus potius, quàm dubium euulſus ſit iudici, Doctoris, quem conſuluit, reſponſione, non exiſtimarem hunc Doctorem irregularem; immò ea debet eſſe iſta reſponſio, aliáve cooperatio; vt ratione illius dicatur quis tractare, ſiue agitare cauſas ſanguinis, aut aliquid quod ad vindictam ſanguinis tendat, exercere, id enim requiri ad hanc irregularitatem, omninò ſupponit Bonifac. in citat. cap. fin. ne Clerici, vel Monachi in 6. vt ex ipſius verbis legenti conſtabit.

Tertiò. Hinc porrò videas, quid ſentiendum ſit de communi diſtinctione, nimirum conſultum de crimine, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, an mortem mereatur, poſſe reſponderi mereri abſque nota irregularitatis, quando *tunc non imminet caſus in præſenti, ſi autem tunc immine-*

ret caſus in præſenti, non poſſe reſpondere, niſi in vniuerſum, vt leges & iura inſpiciat, alios conſulat, ſe non poſſe in cauſa ſanguinis quidquam dicere, aliáve ſimilia. Hanc regulam tradidit Panorm. in cap. ex litteris, de exceſſib. Prælator. & refert Tabien. verb. Irregularitas 2. §. 4. ſequuntur enim Hoſtienſ. Archidiacon. Mari. Socin. Speculator, adducti ab Vgolino cap. 9. §. 2. num. 1. in tertia opinione, quibus alios accenſet Sayr. lib. 6. cap. 18. num. 25. Idcircò enim cenſent hi DD. conſultum de præſenti reo irregularem eſſe, ſi reſpondeat illius crimen dignum eſſe morte, quia videtur ea reſponſio influere in mortem deinde conſequutum, quod non contingit, quando non agitur de præſenti aliquo reo & delicto, cuius cauſa tunc in iudicio agitatur. Itaque videndum erit, an reuerà Doctor ſua reſponſione cauſet ita rei mortem, vt dicatur ratione illius cauſam ſanguinis agitare; aut vindictam ſanguinis exercere, ſiue conſulatur de reo præſenti, ſiue de non præſenti, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, quod ferè continget, quando non inducet iudicem ad hanc pœnam inferendam, neque aut præcipiet, aut ita conſulet, vt vi illius conſilij dicendus ſit damnatus reus, quod docet gloſſa in cap. ex litteris, de exceſſib. Prælator. verb. conſuluit. Molin. tract. 3. diſp. 74. & Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 4. Quare tandem exiſtimo id totum relinquendum eſſe prudentis arbitrio, qui expendat, quid ferat reſponſio, & quem influxum in rei mortem ſpectatis omnibus circumſtantiis habuerit.

Difficultas IX.

An Confeſſarius, qui negat abſolutionem iudici nolenti punire reum, vti tenetur, fiat irregularis ſequuta illius rei morte?

Reſpondetur non eſſe irregularem: ita Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 4. litt. R. & cap. 16. num. 4. litt. S. 50
Auila diſp. 5. ſect. 2. dub. 6. concl. 4. referens aliquos Magiſtros. Molin. tract. 3. diſp. 74. n. 18. Kon. diſp. 18. num. 56. Reginald. lib. 30. num. 138. Præpoſit. in 3. part. q. 5. de irregul. num. 110. Sayr. cap. 18. cit. num. 26. Bonac. diſp. 7. q. 4. punct. 1. num. 32. Layman loco cit. Suar. diſp. 41. ſect. 1. num. 8. Quare hîc Confeſſarius negare poterit abſolutionem iudici, niſi proponat ſe facturum id ad quod tenetur, aut puniturum reum ſecundùm leges, probant DD. allati, quia iſte Confeſſarius non influit niſi remotè, & per accidens in rei mortem, neque enim dicit iudici: Interfice reum, aut iube illum ſuſpendi; verùm quamuis fatear Confeſſarium non iubere diſertis verbis mortem rei, eam tamen reuerà cauſat ſuo conſilio, aut negatione abſolutionis, primus enim iudicem qui omninò decreuit, non punire reum, quem tamen leges capite damnant, idque totum aperit Confeſſario, qui monet, immo & vrget iudicem, vt legem exequatur, hoc eſt, capite minuat reum, & niſi ſpondeat ſe id facturum, negat abſolutionem ſacramentalem. Quare iudex tandem perſuaſus, recipit ſe puniturum reum pœna condigna, quod deinde præſtat, licèt inuitus, & tantùm vt mandatis confeſſarij pareat: in eo caſu non

non video quomodo cōſilium Confeſſarij non influat per ſe directè & proximè in mortem rei, etiamſi non dixerit iudici expreſſis verbis, vt interficeret, aut damnaret reum; neque enim tam attendenda ſunt verba, quàm illis ſubiecta ſententia, alioquin ludimus, & ludimur in re admodum ſeria.

Ratio igitur noſtri conſectarij petenda eſt ex regulis poſitis initio quæſtionis, nimirum nunquam incurri irregularitatem ex homicidio ſequuto ex actione, quam quis ſine peccato omittere non potuit, alioquin Eccleſia induceret ad peccandum metu incurrendæ irregularitatis; atqui Confeſſarius non poteſt omittere hoc conſilium, aut etiam imperium erga iudicem pœnitentem, peccabit enim ſi det abſolutionem perſeueranti in peccato mortali, & ſi non moneat ipſum, ne peccare pergat, & omninò exequatur id ad quod tenetur, aut deponat in ea cauſa iudicis perſonam, aliamve rationem ineat, qua fiat immunis culpæ; quare etiamſi hæc monitio, aut etiam iuſſio, vel minæ Confeſſarij cauſa ſint ſupplicij extremi, quo efficietur reus, qui per iniuſtitiam iudicis, pœnas alioquin euaſiſſet, non erit irregularis Confeſſarius, qui nonniſi neceſſitate ineuitabili eius morti cooperatus eſt, ac proinde non intendit vindictam ſanguinis, neque contra manſuetudinem peccauit, ſed officio, quod ſine peccato mittere nequibat, functus eſt.

Difficvltas X.

An Confeſſarius qui conſulit reo iuridicè interrogato fateri crimen, fiat irregularis pereunte reo?

Reſpondetur negando irregularitatem contrahi ab eo Confeſſario, quoties imperat criminis confeſſionem, ad quam tenebatur reus, cum Auila ſect. 2. cit. dub. 7. & aliis Magiſtris apud ipſum. Henriq. lib. 14. cap. 16. num. 4. litt. B. Sayr. n. 26. cap. citati. Diana reſolut. 99. tract. 2. 4. part. Laym. & Bonac. loc. adductis. & Vgolin. cap. 16. num. 12. cum aliqua tamen limitatione, nimirùm ſi reus teneatur fateri crimen. Probant hoc conſectarium DD. quia Confeſſarius tunc concurrit tantùm ex parte patientis mortem, non autem illam inferentis; quæ probatio nulla eſt, nam ſi quis conſuleret alteri, vt iniret viam infeſtam prædonibus, aut hoſtium inſidiis, & præuidiſſet eius cædem ſequuturam, fieret irregularis, & tamen non concurreret niſi ex parte inconſultò obiicientis ſe periculo. Probant ſecundò, quia mors ſequuta eſt per accidens, & præter intentionem Confeſſarij, qui vacabat rei licitæ, verùm cùm eſſet moraliter, & infallibiliter connexa mors pœnitentis cum actione Confeſſarij, qui eam præuidere potuit, ac debuit, non eſt omninò per accidens, ſed indirectè volita: quod autem vacaret rei licitæ, facit tantùm, vt non peccauerit Confeſſarius, non autem vt non incurrerit irregularitatem ex ſolo defectu, niſi dicas, quoties vindicta per ſe non intenditur, non eſſe defectum lenitatis, cùm tamen Boni- 51

fac. VIII in cap. fin. ne Clerici, vel Monachi in 6. requirat aliquid, quòd per ſe tendat ad vindictam ſanguinis, quod reuerà non facit hæc actio, & monitio Confeſſarij; atque ex hoc capite non malè dici poterit vitari irregularitatem in noſtro caſu.

Vera nihilominus ratio eſt eadem, quæ ſuperioris confectarij, quam etiam allegat Vgolin. nam vel reus iuridicè interrogatus tenetur ad mentem iudicis reſpondere, vel non tenetur, ſi primum Confeſſarius obligatur ex ſuo munere vrgere pœnitentem ad hanc confeſſionem, quam ſine nouo peccato nequit omittere, & niſi pareat, Confeſſarius illi negabit abſolutioné, peccaret enim ipſum abſoluendo; quare quamuis ratione illius confeſſionis fictæ à reo imperio Confeſſarij puniatur reus, non fiet irregularis Confeſſarius, qui non potuit omittere quod fecit; & ineuitabili neceſſitate concurrit ad mortem rei, & ſanè, vt argumentatur Vgolin. vix vllus Confeſſarius vellet audire reorum iſtorum confeſſiones metu irregularitatis incurrendæ, quandoquidem vix illam euitare poſſent ſi fungi vellent ſuo munere. Si autem reus non tenebatur fateri crimen, quia neque ſemiplenè probatum erat, neque à competenti iudice interrogabatur, quia ex non improbili ſententia DD. vbi agitur de capite, non tenetur ad iudicis mentem reſpondere quamuis iuridicè interrogetur, peccat Cófeſſarius qui reum non iuridicè interrogatum cogit fateri crimen, & ſi ex ea confeſſione rei mors ſequatur, fit irregularis, non quia peccauit, aut quia vacauit rei illicitæ, vt ait Vgolin. nam præterquam quòd illa diſtinctio rei licitæ, & illicitæ, ex qua ſequatur homicidium, inutilis eſt ad contrahendam irregularitatem, vti pridem docuimus, ſi culpa Confeſſarij attenderetur hoc loco, contraheret irregularitatem ex delicto homicidij, & non tantùm defectu lenitatis. Ratio igitur huius irregularitatis eſt, quia concurrit ad mortem rei abſque vlla neceſſitate, ſiue peccet, ſiue non peccet, non moror. Quare idem dicendum mihi videtur, quoties reus iuridicè interrogatus obſtinatò negat crimen, & Confeſſarius doctus probè ſcit illum ex probabili ſententia non teneri culpam explicare, ſed poſſe ambigua reſponſione, & reſtrictione mentali iudicem quæſitorem deludere; ſi enim illum vrget, & obligat ad fatendum, indéque ſequatur mors, erit irregularis; quia facit id, ad neceſſariò moraliter, ſiue infallibiliter ſequi videt rei morté, ad quam proinde volens proximè, & directè concurrit, quamuis id non intendat directè; neque excuſatur vlla ineuitabili neceſſitate; poterat enim tutò, & abſque conſcientia Religionis ſequi opinionem liberantem reum ab obligatione fatendi criminis, quandoquidem ſciebat illam eſſe probabilem, non cogebatur itaque reum ad eam criminis manifeſtationem cum certo ſui capitis periculo obligare, ſi enim Confeſſarius exiſtimaſſet improbabilem eſſe ſententiam reo fauentem in hac parte, ac proinde ſe omninò obſtringi, vt ſuo fungatur munere, & pœnitentem capacem reddat abſolutionis ſacramentalis, abiecta omni peccandi voluntate, ipſum obligare debet ad fatendum crimen, vitabítque irregularitatem, quia eo caſu non concurrit ad rei mortem, niſi coactus ineuitabili neceſſitate ex illa hypotheſi.

Quòd ſi reus velit fateri crimen, id poterit permittere Confeſſarius, quamuis ſciat ipſum ad id minimè

teneri

teneri, immò & hortari, vt eam manifeſtationem in delicti expiationem faciat, atque etiam, vt morti conſentiat, ſententiámque iam latam acceptet, neque ab ea appellet iniuſtè, nam ſi iuridica appellatione vti velit, non debet illum impedire, ne eius mortem acceleret non ſine irregularitatis nota, vt iidem DD. tradunt.

DIFFICVLTAS XI.

Quandónam accuſator fiat irregularis, & an proteſtatione excuſetur?

52 RESPONDEO, eum omnem, qui in cauſa criminali criminaliter accuſat alium, petendo vindictam, fieri irregularem, ſequuta eius morte, vel mutilatione; ſecùs verò ſi ſatisfactionem duntaxat poſtulet pro iniuria ſibi rebúſque ſuis illata: neceſſaria tamen erit pro foro externo proteſtatio non expetendi vindictam, tum in laïcis, tum in Clericis.

Obſeruandum eſt cauſam criminalem dici eam omnem, in qua de crimine agitur. Hæc autem cauſa vel ciuiliter, vel criminaliter tractari poterit, vti fatentur DD. communiter apud Iulium Clar. in practic. crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 1. criminaliter quidem agitur, quando actio per ſe tendit ad punitionem rei, & pœnam ordinariam lege ſtatutam: ciuiliter autem agitur de delicto, quoties non agitur de vindicta, ſed de recuperatione damni illati per tale delictum, aut ſi damnum illatum ſit irreparabile, & iniuria accepta nulla poſſit ſatisfactione deleri, vt prouideatur à iudice, ne malum vlterius ſerpat, aut ne ſimile damnum inferatur, ſiue, vt loquitur in ſua conſtitutione Bonifac ne contra accuſatorem deinceps *talia præſumantur*. Vnde intelliges vulgarem diſtinctionem gloſſæ in lege 3. ff de ſepulchro violato. verb. centum aureorum, criminaliter agi quando ad commodum publicum pœna infertur; ciuiliter autem, quando commodum priuatum ſpectatur, quam gloſſam communiter receptam eſſe paſſim teſtantur DD. & Iulius Clar. quæſt. 1. cit. Commodum porrò priuatum non exigit vindictam ſanguinis, ſed ſolam reparationem damni, & iniuriæ, aut eius impoſterum propulſationem, cùm commodum publicum non tantùm in pœna pecuniaria fiſco applicanda conſiſtat, ſed etiam in ipſa vindicta ſanguinis, quantum nimirum intereſt Reipublicæ crimina puniri.

His obſeruatis facilè fuerit intelligere doctrinam noſtri conſectarij.

DIXI igitur primò, eum omnem, qui alium criminaliter accuſat, contrahere irregularitatem, ſi iudex accuſato mortem, aut mutilationem inferat. ita omnes DD. ſtatim adducendi, & liquidò colligitur ex conſtitutione Bonifacij VIII. cap. 2. de homicidio, in 6. Negat enim Clericos, qui querelam de ſuis manifeſtatoribus deponunt apud iudices, eſſe irregulares, ſi petant *emendam ſibi fieri, & prouideri, ne de cætero contra eos talia præſumantur, proteſtando expreſsè, quòd ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt*. Supponit igitur Pontifex hos accuſatores, ſi criminaliter accuſarent, petendo punitionem criminis, & non ſuum intereſſe, vti loquuntur DD. eſſe irregulares; & ſanè ratio eſt, quia tunc intenditur & poſtulatur directè & per ſe vindicta ſanguinis, atque in eam proximè & per ſe concurritur ab accuſatore, qui illam intendit, non ſuam tantùm defenſionem, aut ſatisfactionem, aut mali impendentis amolitionem, aut quidquam aliud eiuſmodi, quod li-

quidò conſtat pugnare cum manſuetudine, quam in ſuis miniſtris Eccleſia poſtulat, iudex enim non agit niſi ad inſtantiam accuſatoris, qui ipſum vrget agere ex iure & lege, quæ cùm illi crimini decreuerit mortem, aut mutilationem, qui poſtulat agi ex lege, poſtulat mortem, aut mutilationem inferri reo. Quare non ſatis intelligo, quod Molin. tract. 3. diſp. 8. num. 4. dixit non peccare actores Clericos, qui tantùm ſua querela intendunt puniri reum, neque laborant, quánam pœna puniatur, ſiue mortis, ſiue mutilationis, ſi ea dignus ſit, & licèt præuideant mortem intelligendam. nam ſi poſtulet quis reum puniri ex lege, quæ mortem illi decreuit, reuerà poſtulat ipſum puniri morte; quarẽ ſi peccet poſtulando mortem, vti peccant Clerici propter prohibitionem illis factam, peccabit petendo, vt puniatur ex lege, maximè ſi conſcius ſit pœnæ mortis, ea lege, ex qua agi vult, ſtatutæ. Atque hanc irregularitatem iam diu in vſu fuiſſe probat Maiol. lib. 2 cap. 7. & Gregor. Turon. lib. de gloria Martyr. cap. 72. de Sacerdote, qui furem accuſarat de equo ſibi ſublato ſed vbi vltimo ſupplicio afficiendum vidit, Quintiani Martyris precibus obtinuit, vt ſunt diſrupto liber à iudice dimitteretur.

Dico ſecundò non excuſari hunc accuſatorem criminaliter accuſantem per proteſtationem non petendi vindictam. Ita Felin. in cap. poſtulaſti, de homicid. & in cap. de cætero, de teſtib. vbi etiam Panorm & DD. idem communiter docent, teſte Couarr. in Clem. ſi furioſus. 2. p. §. 5. num. 5. Qui etiam ait optimam gloſſam eſſe in c. 1. 51. diſt. vbi de laico loquitur. Et in cap. teſtimonium. 11. quæſt. 1. vbi agit de clerico. Sequuntur Vgolin. cap. 6. §. 1. num. 3. Nauarr conſil 9. de homicidio. Henriq. lib. 14. cap. 11. num. 4. litt. N. Auila diſp. 5. ſect. 2. dub. 19. Suar. diſp. 47. ſect. 20. n. 10. Laym. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 6. Kon. diſp. 18. dub. 10. Molin. diſput. 8. cit. Bonacina diſp 7. q. 4. punct. 2. n. 2.

Ratio eſt euidens, quia proteſtatio eſt inutilis, & nihil operatur, quoties factum eſt illi contrarium, vti tradunt Bart. & DD. in l. non ſolùm. §. morte. ff. de operis noui nuntiat. atqui factum hoc loco contrarium eſt proteſtationi; proteſtatur enim accuſator, ſe nolle pœnam ſanguinis, & tamen ipſam reipſa petit, & reipſa ad ipſius duntaxat inſtantiam, ea decernitur à iudice. His accedit quod Bonifacius concedens accuſationem Clericis cum proteſtatione, de qua loquimur, vtitur nomine *querelæ*, quod nomen, vti obſeruauit Geminian. in illud cap. vſurpatur tantùm propriè, quando agitur ciuiliter de aliquo crimine; non debemus itaque Pontificiam indulgentiam ad actionem merè criminalem extendere, præterquam quòd cùm diſertè dicat Pontifex, non incurri irregularitatem, quando accuſator intendit *emendam*, & expreſsè proteſtatur ſe nolle vindictam, omninò ſupponit contrahi irregularitatem iſtam, ſi accuſator aliud quàm *emendam* poſtulet, etiamſi aliud proteſtetur.

Dico tertiò quando quis queritur de iniuria ſibi, aut ſuis illata ad petendam condignam ſatisfactionem, ſiue ad proprium intereſſe, atque adeò accuſat in cauſa criminali ciuiliter, præmiſſa proteſtatione, non fieri irregularem; quod apertè definitur in c. prelatis, à Bonifacio de homicidio, in 6. & ſanè tunc accuſator agit tantū de ſuo damno, aut intereſſe, non verò de vindicta rei, & punitione criminis; quare ad eam, ſi fortè contingat, non

concur

concutit niſi admodum remotè & per accidens, ideircò proteſtatio non eſt contraria facto, nam proteſtatur ſe non poſtulare mortem rei, quam etiam reipſa non intendit, neque de illa agit apud iudicem, ſed tantùm de ſuo intereſſe. Quare in hac querela verbum *accuſo* & *accuſatoris* impropriatur; propriè enim ſignificat actionem criminalem ad vindictam criminis, cùm tamen in hoc caſu, in quo agitur de intereſſe, ſit tantùm querela; quare ſpectanda eſt mens querentis potius, quàm verba, ex l. non omnis. ff. ſi certum petat. & cap. in intelligentia. de verb. ſignificat. quanquam & impropria iſta ſignificatio accuſationis pro querela reperiatur in iure aliquando vſurpata, nam querela inofficioſi teſtamenti dicitur accuſatio. l. parentibus. C. de inofficioſo teſtam.

Dico quartò hanc proteſtationem neceſſariam tantùm eſſe in foro externo, vt accuſator proprium intereſſe petens, & non accuſans criminaliter, ſed ciuiliter tantum euitet irregularitatem.

Huius aſſertionis altera pars, quæ neceſſariam eſſe dicit eiuſmodi proteſtationem pro foro externo, certiſſima eſt ex conſtitutione Bonifac. citata, neque vllus refragari poteſt; cùm enim Pontifex poſtulet expreſſam proteſtationẽ, ne imputetur rei mors accuſatori, atque ita fiat irregularis, ſupponit omninò ſecluſa eiuſmodi proteſtatione, ipſum tanquam cauſam illius mortis, atque adeò tanquam irregularem habitum iri. Quare non argumentamur hoc loco à contrario ſenſu, eiuſmodi enim argumentum in pœnalibus non eſſe admodum efficax, ſæpiùs monuimus, ſed ex eo quòd Pontifex inutiliter ſit poſtulaturus ab accuſatore hanc proteſtationem ad vitandam irregularitatem, quam accuſatio non eſſet allatura, ſi proteſtatio omitteretur, itaque in hac conſtitutione eſt quædam exceptio à generali regula contrahendæ irregularitatis, propter tractationem cauſæ ſanguinis.

Tota itaque difficultas eſt in altera parte aſſertionis, quæ negat neceſſitatem eiuſmodi proteſtationis in foro interno, quando quis ciuiliter tantùm accuſat, & queritur de iniuria ſibi illata ad *emendam*, & ſatisfactionem ſibi debitam obtinendam, atque, vt iudex *prouideat, ne de cætero talia contra eum præſumantur*, nam in vtroque foro proteſtationem requirit gloſſa in cap. 2. de homicid. in 6. Calderin. & Franc. ibid. Couarr. in §. 5. cit. num. 2. ſub fin. Qui & communem eſſe ſententiam tradit, & in vniuerſum pronuntiat eum, qui eſt irregularis in exteriori iudicio, eſſe quoque in interiori, & quoad Deum. Idem contendit Vgolin. cap. 6. §. 1. vbi vult contra Maiol proteſtationem non eſſe inutilem, quod niſi in foro interno neqnit intelligi, nam nullus dubitat pro foro externo poſtulari; ſed apertiùs deinde loquitur § 8. num. 1. idem etiam tradit Auila ſect. 2. dub. 9. § ex quo infero. Dias ab ipſo relatus c. 98. num. 16. practic. Layman. ſub fin. c. 7. citati. Bonac. punct. 2. num. 8. vbi ait illum, qui obliuiſcitur proteſtari, etiamſi non poſtulet niſi emendam, fieri irregularem, quod dixit quoque Sayr. cap. 18. num. 3. lib. 6.

Mihi tamen perſtandum videtur in ſententia propoſita, negandúmque in foro interno contrahi irregularitatem ab iſto accuſatore ciuiliter tantùm accuſante, etiam ſecluſa proteſtatione, quod docuit Tiraq. gloſſa 7. poſt leges connub. num. vlt. Maiol. lib. 2. c. 7. num. 3. idem dixit de agente

ciuiliter aduersùs furem, etiamſi illum iudex ſumpta inde occaſione capite damnarit, non fiet enim irregularis, qui rem ſuam proſequebatur duntaxat, etiamſi nihil fuerit proteſtatus: atque eam in rem adducit Specul. tit. de diſpenſationib. §. iuxta. v. quod ſi clericus, & gloſſam in cap. Maximianus 23. quæſt. 3. nunquam ea gloſſa tantùm agat de eo, qui accuſauit in modico crimine, quod tamen à iudice morte punitum fuit.

Probatur porrò efficaciter hæc ſententia, qui enim accuſat tantum ciuiliter de crimine, & ſolam emendam ſibi fieri poſtulat, quamuis non proteſtetur expreſsè ſe non exigere vindictam, aut pœnam ſanguinis, reuerà tamen non concurrit niſi remotè & per accidens ad rei mortem, ſi fortè contingat aliquo caſu; ergo non fiet ratione illius irregularis, quamuis nulla præceſſerit proteſtatio.

Hæc conſequentia manifeſta eſt, iam enim ſæpiùs hoc toto capite diximus ſolam cauſam proximam & per ſe homicidij ſiue culpabilis, ſiue inculpabilis incurrere irregularitatem ratione illius, non verò cauſam duntaxat remotam & per accidens: ſi igitur, qui tantùm accuſat ciuiliter, & agit de ſuo ſolo intereſſe, non concurrit niſi remotè & per accidens ad mortem rei conſequentem præter eius intentionem, quamuis exteriùs nihil proteſtetur, non incurret irregularitatem ratione illius mortis, in quam nihil proximè influxit, quanquam influxiſſe præſumatur in foro externo, niſi expreſsè ſuum animum proteſtatus fuerit. Quare tota difficultas eſt in probando antecedente, nimirum accuſantem de crimine ciuiliter, & ad ſuum duntaxat intereſſe recuperandum, non cooperari proximè ad mortem reo inflictum à iudice, quamuis non exprimat ſe non quærere eius mortem; quod oſtendo imprimis, quia ſi hæc accuſatio ex ſua natura eſſet proxima & directa cauſa mortis reo infligendæ, proteſtatio eſſet inutilis, quia foret contraria facto, faceret enim accuſator aliquid quod mortem rei proximè cauſaret, & tamen diceret ſe nolle illam pœnam, cuius cauſam proximam, directam, atque, vt ipſemet præuidet, infallibilem poneret, quod eſſet omninò nugari; vel igitur ſuo facto & accuſatione non intendit rei mortem, vti etiam exteriùs proteſtatur, vel ſuo quidem facto, quod ſciens & volens ponit, influit & tendit in mortem rei, eam tamen ſe nolle profitetur: ſi primùm habemus, hunc accuſatorem non influere in rei mortem, quandoquidem nihil facit, quod proximè & directè in illum tendat; quod ipſum ſignificat exterior proteſtatio, quæ non impedit, ne accuſator concurrat eo caſu ad rei mortem, ſed ſupponit ipſum non concurrere. Si verò dicant accuſationem reipſa influere proximè in rei mortem, mentitur accuſator, cùm proteſtatur ſe eam mortem non intendere, quando liberè ponit id, quod ad illum directè tendit, & cui præuidet infallibiliter eam mortem eſſe annexam: deinde ea proteſtatio non impedit concurſum proximum ad rei mortem, quia eſt extrinſeca cauſæ poſitæ, quæ agit independenter ab ipſa; cùm itaque iam poſita fuerit, & quodammodo neceſſariò agat, quamdiu eſt, niſi remoueatur, ſemper aget, quantumuis, qui illam poſuit, nolit eam agere; non impediet igitur proteſtatio quamuis expreſſiſſima, ne accuſator influat in rei mortem, ac

proinde ne incurrat irregularitatem.

Secundò, vel facta iſta ciuili accuſatione ex ſæuitia, ignorantia, aut iniquitate iudicis, mors imponitur delicto, quod illam non merebatur, vel ex præſcripto legum: atqui quomodocunque mors infligatur, accuſator ciuiliter ipſius cauſa non eſt, licèt omittat proteſtationem; & quidem quando modicum eſt crimen, neque dignum morte, quam tamen iniquus iudex infligit, manifeſtum eſt eius cauſam non eſſe accuſationem, ſed iudicis ſæuitiam, iniquitatem, imperitiam, quæ accuſatori nocere non debet, vt dixit gloſſa in cap. Maximianus, 23. q. 3. & in cap. poſtulaſti, de homicidio. Quare ne tunc quidem neceſſariam eſſe proteſtationem fatetur Couarr. §. 5. cit. num. 3. Auila dub. 9. §. Secundò notandum. Layman cap. 7. num. 6. Nauarr. cap. 27. num. 214. Vgolin. cap. 6. §. 4. n. 2. Sayr. lib. 6. c. 18. n. 6. Molin. diſp. 8. num. 5. tract. 3. atque alij communiter. Fauétque prorſus cap. poſtulaſti, de homicidio, vbi non imputatur homicidium Clerico agenti pro decimis apud Regem, quamuis, qui eas debebant, non poſſent compelli ad ſolutionem abſque ſanguinis effuſione, quia nimirum, vt ait Pontifex, id erit eorum malitiæ, aut duritiæ imputandum, non accuſanti, & decimas repetenti; ita venditor; qui aliàs tenetur de euictione, vbi res per imperitiam, aut errorem iudicis fuerit euicta, non tenebitur. l. ſi per imprudentiam ff. de euiction. & licèt patrono patroni filio non detur bonorum poſſeſſio contra tabulas liberti, vbi libertum patronum capitis accuſauit, id tamen locum non habet, vbi ipſum accuſauit criminis, cuius non eſt pœna capitis, etſi iudex per imperitiam, aut ſæuitiam illam auxerit. Quando verò mors tanquam condigna pœna decernitur crimini, videtur illius pœnæ cauſa eſſe, qui crimen ad iudicem detulit, & apud illum agit contra reum, nam & in eo caſu ſpecialiter Bonifac. in ſua conſtitutione proteſtationem exigit ad vitandam irregularitatem, *quamuis aliàs*, inquit, *in tali caſu pœna ſanguinis irrogari debeat, ſi iudex mortem inferat iuſtitia exigente*; verùm ſi tantùm ciuiliter accuſet, & agat pro ſuo intereſſe, quærátúrque de iniuria ſibi illata petens duntaxat emendam ſibi fieri, non erit cauſa mortis. Primò quia, quod iudex facit ex mero ſuo officio, & non ad inſtantiam partis, aut actoris, ſoli iudici imputandum eſt, non parti, aut actori, à quo non mouetur ad ferendam eiuſmodi ſententiam, aut talem pœnam infligendam, neque enim; aliter accuſator poteſt eſſe cauſa ſententiæ à iudice latæ, quàm quia iudex eius querela motus eſt ad ipſam ferendam; atqui non iudicat ad inſtantiam accuſatoris, ſed agit tantùm ex mero officio, non mouetur querelis accuſatoris, vt patet; ergo tunc accuſator neque erit cauſa ſententiæ, neque mortis per eam decretæ; atqui in querela accuſatoris ciuiliter agentis de crimine, & petentis ſuum ſolum intereſſe, ſiue damni, ſibi illati compenſationem, aut indemnitatem à futuro, iudex non profert ſententiam, qua publica pœna puniat reum, ſiue ſecundùm leges, ſiue ex ſuo arbitrio, ſed tantùm illum damnat priuata pœna applicanda ipſi actori, cogit enim ad compenſandam iniuriam, quam ipſe æſtimat, & taxat, quia nihil aliud ſua querela poſtulat actor; cùm enim ſit in eius optione, vtra actione experiri velit pro illata ſibi iniuria, an ciuili, an

criminali, neque enim cogitur vtraque agere, cùm hæ actiones ſint ſeparabiles, immò vna earum inſtituta, altera ipſo iure expiret. l. vnic. C. quando ciuilis actio criminali præiudicat, & l. quod SC. ff. de iniuriis. Sanè ſi actor agat tantùm ciuiliter, & deinde iudex ex officio aduerſus eundem reum agat criminaliter, hæc actio criminalis eiúſve effectus tribui non poterunt agenti tantùm ciuiliter aduersùs eundem reum, quamuis ea actio ciuilis inſtituta ab actore dederit occaſionem actioni criminali, quam iudex ex ſuo officio inſtituit, quod confirmatur ex cap. poſtulaſti, de homicidio, negat enim Pontifex mortem eorum, qui decimas ſoluere recuſabant, imputandam eſſe Epiſcopo ſimpliciter deponenti apud Regem, ſi Rex in eos rebelles traditam ſibi poteſtatem exercuerit, *Quia illi gladius in bonorum laudem, & malorum vindictam commiſſus eſt*; neque requirit Pontifex ad hanc non imputationem proteſtationem Epiſcopi repetentis decimas, vti ſtatim monebo; ergo hic actor non eſt cauſa proxima mortis rei deinde conſequutæ, quare neque ratione illius fiet irregularis.

Secundò, idipſum oſtendo percurrendo varios modos, quibus ex actione ciuili pro iniuria poteſt ſubſequi iuſta mors rei poſtulati, in his enim omnibus facilè apparebit actorem ciuilem non eſſe niſi occaſionem, & cauſam per accidens illius mortis. Primò, igitur id contingit, quia reus accuſatus de leui aliquo crimine, & in carcerem coniectus, de quibuſdam grauioribus inſimulatur, ſiue ab aliis ſponte denuntiantibus, ſiue à iudice illa occaſione inquirente ex officio, atque tandem capite damnatur, quo caſu primus accuſator, qui de leui illo crimine egerat, fuit quidem occaſio vlteriorum, & grauiorum accuſationum, aut iudicialis inquiſitionis, quia neque vllus ipſum accuſaſſet, neque iudex de eo inquiſiuiſſet, niſi propter actionem primi accuſatoris reus ille fuiſſet mancipatus cuſtodiæ, non tribuitur tamen primo accuſatori tanquam cauſæ rei illius mors; quare neque ad vitandam irregularitatem, indiget proteſtatione, vti cenſet Henriquez cap. 12. lib. 14. num. 8. Nauarr. cap. 27. num. 214. Auila ſectione 2. diſp. 3. dub. 9. Vgolin. cap. 6. n. 3. Maiol lib. 2. cap. 7. num. 3.

Secundò, nonnunquam iuſtitiæ miniſtri reum ciuiliter accuſatum, & contumacem ipſorum imperiis, aut reſiſtentem vímque facientem iuſtè mutilant, aut occidunt: tunc autem accuſator non eſt cauſa, ſed occaſio tantùm infœlicis illius euentus, quare neque indiget proteſtatione, vti docent Ancharan. Alb. & alij DD. in c. poſtulaſti. de homicid. volunt enim eſſe hunc ipſum caſum, qui ibi deciditur à Pontifice; Epiſcopus enim, qui rogat Pontificem, an poſſit agere apud Regem pro ſolutione decimarum, præuidebat fore, vt illi debitores reſiſterent miniſtris Regiis, non ſine ſanguinis effuſione, idem tenet Couarr. §. 5. cit. n. 2.

Tertiò. Crimen commiſſum à reo & iniuria illata accuſatori aliquando mortem meretur, quam idcircò iudex infert, licèt non poſtuletur ab accuſatore, qui tantùm agit, vt ſua recuperet, aut ne *talia deinceps aduersùs illum præſumantur*; atqui ne tunc quidem ciuiliter accuſans, & agens pro ſuo intereſſe, eſt magis cauſa mortis rei, quàm in cæteris caſibus enumeratis, ſed tantùm eius occaſio, vti ſuperiùs oſtendimus; ergo

ergo licèt omittat proteſtationem, non fiet irregularis in foro interno, quod confirmatur, quia ſi ex eo, quòd actione ciuili iniuriarum commotus iudex aduersùs reum, illum deinde ex proprio officio, & non ad inſtantiam accuſatoris damnat, actor ciuilis eſt proxima & vera cauſa, ac per ſe illius damnationis, fruſtrà proteſtatur, vti dicebamus ſe non poſtulare vindictam & mortem, cùm cauſam illius proximam poſuerit, cuius actionem, ſiue efficacitatem prohibere non poteſt, non enim proteſtatio impedit quominus iam motus iudex priori accuſatione, decernat extremum ſupplicium.

Dices. Hac proteſtatione reuocari priorem illam accuſationem, aut retardari primum, veluti impulſum iudicis, ſicut enim in reuocatione mandati, mandans non tenetur facto mandatarij, quia non agit ampliùs authoritate mandantis, ſed ſua voluntate impulſus, ita neque accuſator facta iſta proteſtatione, qua limitat ſuam accuſationem, tenebitur ſententia iudicis, quam excedens limites accuſationis tulerit, alioquin ſi iudex procedat, vti motus fuit à prima accuſatione, quidquid aget, accuſanti imputandum erit.

Reſpondetur negando iudicem à prima actione accuſatoris res ſuas repetentis, & de illata ſibi iniuria quærentis, illiúſque duntaxat compenſationem poſtulantis impulſum fuiſſe tanquam à cauſa ad producendum criminaliter contra reum, quamuis inde occaſionem ſumpſerit, quod longè diuerſum eſt, vti hactenus oſtendimus, tum ex ipſa rei natura, tum in aliis caſibus ſimilibus in hoc ipſo negotio; quare ſententia capitalis nequaquam huic accuſatori imputanda erit, neque ex natura rei & ſecluſo iure poſitiuo opus eſt proteſtatione ad limitandam accuſationem, ne ad punitionem & mortem feratur, cùm iam ipſamet ſit limitata ad ſolum intereſſe actoris, vti iam ſæpè diximus, & nulla ratione tendat ad vindictam, ſiue in vniuerſum, ſiue in particulari, quamquam ſapientiſſimè voluerit Eccleſia id expreſsè per proteſtationem explicari, ne vllus eſſet in contrarium præſumptioni locus, atque vt omne dubium quoad incurſam, aut non incurſam irregularitatem ex eiuſmodi accuſatione tolleretur in iudiciis, quæ maximè ſpectat Bonifac. in ſua conſtitutione.

Hæc omnia confirmantur ex eo, 55 quòd ſecundùm antiqua iura non requireretur eiuſmodi proteſtatio, quando accuſatio erat tantùm ciuilis, vti colligitur primò ex cap. poſtulaſti, ait enim Pontifex, non eſſe imputandum Epiſcopo querenti de non ſolutis decimis, ſi Rex pro ſuo officio gladio in eos contumaces animaduertat; quod non tantùm de morte ablata propter contumaciam & vim faciendam miniſtris regiis, ſed de quocunque alio iuſto vſu gladij regij in eos reos explicari rectè poteſt, quod enim dicitur horum decimas negantium malitiæ, & duritiæ totum imputandum eſſe, ſignificat illos reos ſibi ſuis criminibus mortem accerſiuiſſe, non autem Epiſcopum, qui tantùm res ſuas repetebat.

Secundò in cap. tua nos, de homicidio. §. ad vltimum, ſcholaris, qui ad conuincendum furem nocturnum, crimen obſtinatè negan-

rem, dedit cultrum, & ſotulares ab illo relictos, quibus conuictus, effoſſione oculorum, & virilium abſciſſione punitus eſt, quam iniuriam deinde non ferens, fame ſeipſum interemit, minimè incurriſſe irregularitatem dicitur, propter infœlicem illum euentum, neque requiritur vlla proteſtatio ab ſcholari accuſante, & interſignia furis dante. Ratio eſt, quia, vt ibid. obſeruat gloſſa, iſte nulla ratione ad illud homicidium, aut mutilationem concurrit, & quidem de homicidio certum eſt, cùm reus ſibi ipſi mortem conciuerit; verùm quod attinet ad mutilationem, cùm & ſequuta fuerit ex eius ſcholaris querela, qua permoti reliqui ſcholares latronem quæſiuerunt, inuentumque ad iudicem Vincentinum traxerunt, ſed cùm nihil probare poſſent, euaderétque ſupplicium latro, ſignis ab hoc ſcholari datis damnatus eſt, & mutilatus; ergo ad hanc mutilationem concurrit hic ſcholaris, neque quidquam fuit proteſtatus; quomodo igitur pronuntiatur à Pontifice non eſſe remouendus ab Ordinibus, id eſt, non eſſe irregularem, niſi quia fuerat tantùm occaſio huius mutilationis à iudice decretæ, non autem cauſa proxima; quia nimirum dederat hæc ſigna, vt conuictus fur ſua illa reſtitueret; atque, vt ait Viuian. in ration. in illud cap. & Panorm. fuit cauſa tantùm remota. Quare Felin. in idem cap. ſub fin. ait, *non eſſe meliorem intellectum huius textus, quàm quod intelligamus, quòd iſte Clericus agebat ciuiliter ad recuperationem rerum, non intendens, quòd ille moreretur, vt ſonat textus ibi nihil amplius ſe intromittens.*

Tertiò Pelagius I. ep.2. ad Narſetem, quanquam Iuo par. 10. cap. 95. alleget tanquam ad Valerianum Patricium ſcriptam docet ex Canone Chalcedonenſi, S. Auguſtino & regulis PP. ſchiſmaticos, alióſve, qui turbas in Eccleſia excitant, vbi cenſuras contempſerint, à ſæculari poteſtate comprimendos eſſe; quare & apud illam querelas deponi ab Eccleſiaſticis vult, neque vllam proteſtationem ſeruandam eſſe præſcribit, quam neque antiqui canones exigunt; canon autem Chaldonenſis, quem allegat Pelagius, alius non eſt, quàm is qui primùm editus fuit à Conc. Antiocheno cap. 5. quem Archimandritæ inſeruerant epiſtolæ, quam ad Synodum Chalcedon. pro audiendo Dioſcoro ſcripſerant, quę tandem lecta eſt in quarta actione; poſt recitata enim illam ſanctionem Antiochenam, omnes Epiſcopi exclamarunt, *hæc iuſta regula, hæc regula Patrum.* Quam etiam allegant PP. Conſtantinopolitani in magna Synodo in æde Apoſtolorum coacta. Hos ſcilicet ſeditioſos Clericos, vbi ex Can. 9. Apoſtolorum ſegregati & depoſiti fuerint, per manum laicam caſtigari, quia Antiochena Synodus vult illis per extraneam manum conuerti. διὰ τῆς ἔξωθεν χειρὸς ἐπιστρέφεσθαι, & non ab ipſis Sacerdotibus percuti; vnde videas hic ſermonem eſſe de caſtigatione corporá, quam ab ipſa Eccleſia fieri prohibent PP. ſed à profanis poteſtatibus, quanquam dici poſſit, non agi de mutilatione, aut cæde, tamen tum ex veteri praxi Eccleſiæ, tum ex PP. antiquis decretis, quæ 23. quæſt. 5. recitantur, atque variis Pelagij primi epiſtolis Clericos alióſque Eccleſiæ contumaces traditos fuiſſe ab ipſa Eccleſia laicis

Magiſtra

Magiſtratibus puniendos conſtat, & cùm illa crimina atrocia eſſent, violatæ nimirum diuinæ, aut humanæ Maieſtatis, ſupplicia quoque, quæ illis infligebantur, grauia & capitalia erant, vt de hæreticorum aliorúmve eiuſmodi pœnis paſſim veterum annalium monumenta teſtantur.

Ex quibus omnibus ſic colligo, licuit ſemper Epiſcopis & Clericis agere apud regios Magiſtratus, vt ſibi illatam iniuriam propulſarent; neque tamen ante Bonifacium VIII. neceſſaria fuit proteſtatio non expendi vindictam, aut pœnam ſanguinis, quamuis iam à tempore ſaltem Innocentij I. prohibitum fuerit Clericis agitare cauſas ſanguinis, & ſummam lenitatem ac manſuetudinem ita in illis amauerit Eccleſia; vt à ſacris Ordinibus ſummouerit eos, qui defectum aliquem hac in parte, quamuis ſine noxa, paterentur. Igitur hæc querela de illatis ſibi iniuriis ad earum propulſationem & rerum ſuarum repetitionem, non eſt ex natura rei cauſa mutilationis, aut cædis, quam iudex deinde irrogat reo ad punitionem criminis. Neque proinde ex illa querela ſuboritur vlla irregularitas ob concurſum pręſtitum alienę morti, quamuis nulla fuerit adhibita proteſtatio. Quare ſi hæc proteſtatio neceſſaria ſit ad vitandam irregularitatem, erit tantùm neceſſaria in foro externo, quod alioquin præſumit querelam fuiſſe criminalem; in foro autem interno ſi accuſatio fuit tantùm ciuilis modo explicato, cùm reuerà non fuerit cauſa mortis conſequutæ, ſed tantùm eius occaſio, reuerà nullum habet defectum lenitatis, ac proinde nullam parit irregularitatem, ex regula generaliſſima initio huius quæſtionis ſtabilita.

56 Obiicies Bonifacium in ſua conſtitutione exigere hanc expreſſam proteſtationem, neque diſtinguere inter forum internum, aut externum; ergo abſolutè & ſimpliciter neceſſaria eſt, quod inde confirmatur, quia cùm ipſa irregularitas nullam noxam ſupponat, potuit Eccleſia illam annectere iuſtæ occaſioni, aut aliis actionibus, quoties conditionibus pręſcriptis deſtitueretur. Cùm itaque Bonifacius id ita conſtituerit, & accuſationem licèt duntaxat ciuilem voluerit adiunctam habere expreſſam proteſtationem, de qua agimus ad vitandam irregularitatem, reuera quoties omittetur ea proteſtatio, contraherur irregularitas ex accuſatione ciuili, quam tamen mutilatio, aut cædes rei poſtulati ſubſequuta fuerit.

Respondeo, Bonifacium non condere nouum ius, ſed antiqua duntaxat explicare, quæ eiuſmodi querelas ſemper Clericis permiſerunt, immò & ab illis fieri imperarunt, abſque vllo irregularitatis metu, quia reuerà ea accuſatio non pugnat cum lenitate, cùm ſit tantùm ciuilis, & tendat tantùm in defenſionem Eccleſiæ, non in punitionem rei, quem tantùm comprimi, *ne de cætero talia præſumat*, petitur à iudice. Quia tamen ſuboriri poterant plurima dubia circa eiuſmodi querelas, & Clerici plurima ea in re ſæpè peccabant, voluit Bonifac. adhiberi expreſſam hanc proteſtationem, ne quis dubio locus relinqueretur; quando quis in foro externo tanquam irregularis inſimularetur: illud autem forum tantùm ſpectaſſe Bonifacium, tria mihi perſuadent; imprimis, quia poſtulat expreſſam proteſtationem; ſi enim ageretur de foro interno, tacita ſufficiens fuiſſet, tacitum enim idem operatur, quod expreſſum quoad rem ipſam, quanquam in foro externo, non ſufficiat tacitum, vbi pro forma requiritur expreſſum, vt obſeruat

obſeruat gloſſa & DD. in cap. cit. Prælatis, de homicidio, in 6. vnde etiam eadem gloſſa monet, *cautè facere Clericum*, qui in ſcriptis proteſtatur, quamuis id neceſſe non ſit, vt nimirum in iudicio faciliùs conſtare poſſit, ne tanquam irregularis damnetur. Secundò, Bonifacius ait illi, qui ita fuerit proteſtatus, non eſſe imputandam rei mortem. qua voce ſignificat agi tantùm de foro externo, in quo ſolo valet imputatio; nam in foro conſcientiæ non aſcribitur, aut imputatur culpa, ſed expenditur, an reuerà talis ſit, cùm forum externum pro variis rationibus præſumat, & imputet culpam. Tertiò, quia non aliter requiritur hęc proteſtatio, quàm vt conſtet iudicem non procedere criminaliter aduersùs reum ex querela actoris ſuum intereſſe petentis, atqui reuerà ille iudex non poteſt procedere criminaliter ex tali querela; nihil igitur aliud facit proteſtatio, quàm vt omnibus manifeſtet proceſſum criminalem, minimè eſſe imputandum Clerico de iniuriis acceptis quęrenti, non autem vt reuerà ita non procedat iudex, quandoquidem, quod tam ſæpè dixi, non poteſt ex querela criminaliter iudicium inſtituere; ſolum itaque forum externum ſpectauit Bonifac. quod confirmatur ex communi ſententia Couarr. §. 5. cit. num. 2. Vgolin. cap. 6. §. 7. num. 4. & aliorum, prodeſſe nimirum hanc proteſtationem, etiamſi non fiat vnà cùm querela, ſiue initio actionis, modò fiat in ipſo iudicio, & ante ſententiam, atqui ſi iudex iam inſtruxit proceſſum, illa proteſtatio inutilis erit ad impediendam ſententiam mox pronuntiandam, quam ex ſuo officio omittere non poteſt; quare ſi actor ſua querela cauſa fuit huius iudicij & proceſſus, neque poſſit illum inſtitutum inhibere, aut ſententiam impedire ſua proteſtatione, inutiliter proteſtatur, & reuerà manebit cauſa mortis conſequentis, vt qui cauſam eius proximam poſuerit, neque eius deinde actionem potuerit impedire, ac proinde defectum lenitatis concurrendo ad mortem illius, contraxit, adeóque irregularis eſt. Idcircò igitur proteſtatio ante pronuntiatam ſententiam facta, ſemper vtilis eſt, quia non requiritur niſi ad forum externum, ne damnari poſſit tanquam accuſator criminalis, & tanquam irregularis, quòd ſua accuſatione in rei mortem concurrerit.

Ad confirmationem, hanc nimirum irregularitatem contrahi abſque noxa, & idcircò poſſe accuſationi, ſiue potiùs querelæ, quæ certis conditionibus carebit, annecti ab Eccleſia, ſi mors rei accuſati conſequatur. Reſpondetur, hanc quidem irregularitatem innoxiam eſſe, eiúſque inſtitutionem ab ipſa Eccleſia factam eſſe, ac proinde poſſe illam certis actionibus, & non aliis illigare; nego tamen poſſe Eccleſiam inducere irregularitatem ex defectu lenitatis, & propter concurſum innoxium in mortem rei alicuius, vbi reuerà defectus ille, & concurſus non eſt; neque enim quòd aliqua actio pugnet cum lenitate, aut ſit cauſa proxima, aut remota, vel occaſio duntaxat alicuius effectus, mortis, v.gr. pendet ab Eccleſiæ inſtitutione, ſed ex ipſa natura rei; potuit itaque Eccleſia omnem accuſatorem, etiam ciuilem, arcere à ſacris, quoties reus accuſatus punietur capite, aut membris, vndecumque orietur illa punitio, etiamſi illius cauſa non fuiſſet querela actoris, niſi certæ quædam conditiones præſcriptæ ſeruarentur, non tamen potuit eas omnes querelas, quæ fiunt

ad ſolum intereſſe, damnare irregularitatis tanquam pugnantes cum lenitate, & tanquam cauſas mortis, deinde à iudice criminaliter,& aliter, quàm querelæ ciuilis intereſſe poſtularet procedente inflictæ;quia reuera ſpectata rei natura illa querela non pugnat cum lenitate, cùm ad punitionem non feratur, neque eſt cauſa ſupplicij deinde illati, cùm ad illud non moueat iudicem, ſed ad ſummum eſt occaſio quædam:atqui hæc irregularitas orta ex actione criminali,non eſt inſtituta niſi propter defectum lenitatis, quam ſummam requirit Eccleſia in ſuis miniſtris, quos idcircò ne quidem ad iuſta reorum ſupplicia proximè, per ſe & directè concurrere patitur. Non poteſt igitur illam irregularitatem alligare actioni, quæ neque defectum illum lenitatis habet, neque cauſa eſt vllo modo proxima & per ſe illius ſupplicij Ex quibus tandem efficitur Bonifacium,cùm agit de hac ipſa irregularitate,non potuiſſe exigere ad hanc vitandam expreſſam proteſtationem, niſi pro foro externo, cùm non potuerit facere,vt omiſſa eiuſmodi proteſtatione querela ciuilis de iniuriis acceptis pugnet cum lenitate, & ſit cauſa ſupplicij,iuſtè à iudice ex officio procedente,& non ad inſtantiam actoris irrogati,vti oſtendimus hactenus. Quare aut fateantur oportet aduerſarij Pontificem poſtulare tantùm proteſtationem ad vitandam irregularitatem in foro externo, vti contendimus,aut agere de alia quadam irregularitate,quàm ea,quæ contrahitur ex defectu lenitatis, quod nullus hactenus ſomniauit, quandoquidem in ea tota querela,etiam ſecluſa expreſſa proteſtatione, nullus fingi poteſt eiuſmodi lenitatis defectus.

57 Obiicies ſecundò accuſans ciuiliter de crimine, quod ſcit eſſe dignum extremo ſupplicio ; aut ſuæ accuſationi & querelæ infallibiliter annectendam eſſe mortem eius, de quo queritur, vult indirectè illam mortem: neceſſaria igitur eſt proteſtatio, per quam retractetur eiuſmodi indirecta voluntas,alioquin ea perſeuerabit non ſine aliqua nota minoris lenitatis, qui enim ſiue directè, ſiue indirectè vult alterius mortem, patitur defectum lenitatis, vt patet.

Reſpondetur propter hoc argumentum aliquos negare poſſe, tunc accuſari reum abſque irregularitate, quos reiicit Panorm. in cap. poſtulaſti; ipſe verò cum Ioann. Andr. & Felin. cum deinde ſubſequutis vult cum hac prouiſione futuræ mortis deponi poſſe querelam, modò adhibeatur proteſtatio, quod etiam dixit Couarr. §. 5. citato, num. 2 Sayr. lib. 6. cap. 18. num. 6. aliíque apud Bonac. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 2. num. 3. qui addunt id fieri poſſe, etiamſi qui res ſuas aliter poſſit recuperare, quàm agendo apud iudicem,aut licèt intendat mortem rei ex odio.

Verùm contra hos omnes optimè arguit Vgolinus capite 6. §. 4. num. 5. ex cap. poſtulaſti, de homicidio, vbi nulla requiritur proteſtatio, & tamen periculum effundendi ſanguinis præuidebatur ab eo, qui querebatur de non ſolutis decimis, & qui propter periculum illud præuiſum, non audebat inconſulto Pontifice apud Regem conqueri de iniuria ſibi illata: ſed Pontifex eam querelam tanquam licitam approbat; idcircò idem Vgolin. ibidem ait in cauſa merè ciuili non eſſe neceſſariam hanc proteſtationem; ſecùs verò in cauſa criminali, quando præuidetur reum vel ex iuſtitia iudicis, vel ob alia crimina deinde deferenda

da damnandum eſſe capite, tunc neceſſariam eſſe proteſtationem contendit allegans Nauarr. Speculat. Socin.& Hoſtienſ. Verùm ſi agamus de foro externo, proteſtatio in omni querela criminis, quamuis non agatur criminaliter aduersùs reum, neceſſaria eſt ex cap. 2. de homicid. in 6. vti ſæpiùs diximus, & ea querela cum eiuſmodi proteſtatione fieri poteſt, ſiue aliud ſit medium propulſandi, aut compenſandi iniuriam ſibi illatam, ſiue non ſit, & ſiue pœna ſanguinis infallibiliter & certo præuideatur, ſiue non, vti euidentiſſimè colligitur ex ea conſtitutione Bonifacij in cap. 2. de homicid. in 6. Si verò agamus de foro interno, nego in omnibus iſtis caſibus, in quo præuidetur ſanguinis pœna, adhibendam eſſe proteſtationem ab eo, qui tantùm queritur de ſuo intereſſe, & ciuiliter accuſat, vti fuit hactenus oſtenſum, & apertè confirmatur ex cap. poſtulaſti, & veteri iure, in quo ne quidem in foro externo ea proteſtatio neceſſaria erat.

Ad argumentum porrò reſpondeo negando ex præuiſione mortis futuræ poſita noſtra querela colligi voluntatem indirectam eiuſdem mortis, alioquin, vt optimè affirmabant illi veteres Canoniſtæ apud Panorm. ne quidem per proteſtationem tolleretur ea voluntas; ſed proteſtatio ficta eſſet & nugatoria, atque proinde inutilis, quia contraria facto, vt dixi. Vt igitur ſit iſta indirecta voluntas mortis rei, non ſatis eſt ipſam præuideri certò ſequuturam, niſi præuideatur ſequutura ex noſtra actione tanquam ex cauſa propria & proxima, tunc enim erit volita in ſua cauſa: ſi autem præuideatur tantùm ſequutura ad noſtram accuſationem per accidens, & tanquam ad aliquam occaſionem, non erit vlla ratione voluntaria neque directè & in ſe, neque indirectè & in ſua cauſa; cùm reuerà nulla ipſius cauſa ponatur à nobis, ac proinde non magis tribui illa nobis poſſit, quàm cætera infortunia, quæ ſagax animus futura aliquando præſagit. Ratio eſt, quia in his omnibus eſt mera præuiſio rei futuræ abſque vllo influxu in eius exiſtentiam, videt enim animus futurum quidpiam, non tamen facit aliquid vnde & vi cuius futurum ſit, quanquam faciat aliquid ad quod videt eſſe futurum.

Dico quintò, nullum eſſe diſcrimen inter laicos & Clericos in hac parte; vtriſque enim ciuiliter accuſantibus neceſſaria eſt proteſtatio in foro externo ad vitandam irregularitatem, non autem in foro interno, ita Vgolin. cap. 6. §. 3. Molin. diſp. 74. num. 9. tract. 3. Suarez diſp. 47. ſect. 2. num. 6. & alij paſſim. Quia in cap. illo 2. de homicid. in 6. vbi requiritur illa proteſtatio, non imponitur nouum aliquod grauamen Clericis, quod idcircò non debeamus extendere ad laicos, ſed eſt tantùm remedium ad vitandam irregularitatem in foro externo, quod alioquin præſumet fuiſſe contractam in illa accuſatione ſubſequuta morte accuſati, illud autem remedium æquè poſtulatur in laico atque in Clerico, cùm illi per eaſdem actiones fiunt irregulares, vti fuit aliàs obſeruatum. 58

***

DIFFICVLTAS XII.

An Clericus poſſit abſque metu irregularitatis accuſare de alienis iniuriis?

59 NEGANT licitam eſſe hanc accuſationem, quando agitur de alieno damno, etiamſi adhibeatur ſolennis proteſtatio. Vgolin. cap. 6. §. 9. num. 4. Felin. in cap poſtulaſti, de homicidio. Franc in c 2. de homicid, in 6. Layman. cap. 7. lib. 3. tract. 3. part. 3. num, 5. & alij apud ipſum. Hi tamen omnes non ſatis inter ſe cōſentiunt, qui proprium damnum & iniuriam accuſantis cenſent Vgolin & Franc. eſſe illud, quod ſeruis, aut ancillis illatum eſt; cùm enim ſint domini, eorum intererit, damnum quod patiuntur famuli; addit Vgolin. idem quoque dicendum eſſe, quando agitur de bonis aduentitiis filij; cùm enim pater habeat vſumfructum illorum, vbi ea bona aliquid paterentur, vnde vſusfructus illorum minueretur, ageretur de intereſſe patris, qui proinde pro illo conqueri poſſet; alij oſtendunt hoc intereſſe, ſiue damnum ad filios, parentes, conſanguineos, domeſticos, alióſque ita coniunctos, vt ipſorum iniuria in nos redundet. ita contra Vgolin. docuit Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. § 5. num. 4. Layman loc. cit. Auila diſp. 5 ſect. 2. dub. 11. Hurtad. diffic. 11. n. 41. Kon. diſp. 18. num. 93. Præpoſit. in 3. part. q 5. de irregular, n. 101. Villalob. diffic. 26. num. 6. & 7. tract. 21. tom. 1. Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 8. damnum Reipubl. cenſet eſſe proprium cuiuſque, ac proinde pro illo quemlibet agere poſſe abſque metu irregularitatis cum proteſtatione ſolita, quod verius multo eſt, quando agitur de bonis propriæ Eccleſiæ, illa enim cenſentur communia Prælato, qui proinde pro ipſis agere poterit. Pro perſonis autem extraneis nunquam agere poterit abſque irregularitate, quantumuis proteſtetur, quia cap. 2. de homicid in 6. quod requirit proteſtationem ad vitandam irregularitatem, non agit niſi de damno & iniuria illata accuſanti, cui permittit conqueri de ſuis malefactoribus, ne quid audeant ſimile in ipſum: vbi igitur perſona, cui damnum, vel iniuria facta fuit, ita erit extranea, vt ea iniuria dici nequeat vlla ratione eſſe accuſantis, ille incurret irregularitatem, ſi mors rei ſubſequatur, etiamſi poteſtatus fuerit ſe eam non intendere, quam ſententiam communem eſſe contendit Vgolin.

Alij diſtinguunt quoad iſtas perſonas extraneas, nam vel iniuria eſt iam illis illata, vel tantùm inferenda ſi iam illata ſit, non poterit quis pro ea cōqueri abſque irregularitate, & inutiliter proteſtabitur, ſi deinde mors, aut mutilatio rei conſequatur, atque ita intelligi volunt opinionem communem contrariam; ſi verò iniuria ſit inferenda, neque aliter quàm per eam denuntiationem impediri poſſit, poterit abſque metu irregularitatis quis accuſare de illa. ita Caietan. 2. 2. quæſt. 33. art. 7 Bann. ib. d. Soto relect. de tegendo ſecreto, membr. 2. q. 4. con. 2. Nauarr. cap 27. num. 213. & in cap. inter verba, concl. 6. num. 154. Couarr. §. 5. cit. num. 4. Henriq. lib. 14. cap. 12. n. 8. Molin. tract. 2. diſp 109. concl. 3. Auila diſp. 5. ſect. 2. dub. 11. concl. 3. Suarez diſp. 47. ſect. 2. n. 16. Villalobos diffic. 26. cit. num. 10. Præpoſit. num. 101. cit. & alij paſſim adducti à Sayro lib. 6 cap num. 12. qui volunt hanc accuſationem omnis

irregularitatis expertem eſſe, quando neceſſaria eſt ad auertendum graue malum imminens innocenti. Duo itaque deſiderant, vnum vt damnum immineat, alterum, vt aliter auerti nequeat, quàm per eam accuſationem, quæ duo minimè neceſſaria ſunt, quando quis de propria iniuria queritur, etſi enim iam irrogata ſit, & poſſit aliter eius reparatio obtineri, licita tamen erit querela apud iudicem, neque modò fuerit adhibita proteſtatio, incurretur irregularitas, quamuis rei accuſati mutilatio, aut cædes contingat.

60 Mihi ex regulis ſtabilitis initio quæſtionis, & ex iis, quæ ſuperiori difficultate diſputauimus, definita videtur tota huius conſectarij controuerſia.

Et primò quidem, quando perſona, pro qua querimur, non eſt ita aliena, quin eius iniuriæ & damna nobis aliqua ratione communia ſint, certum eſt etiam ex vi cap. 2. de homicidio in 6. licitam eſſe querelam, neque incurri irregularitatem in foro interno, conſequuta morte rei ex alia cauſa, quàm ex noſtra querela, quæ fuit tantùm occaſio, vti explicuimus, in foro quoque externo, modò adhibeatur proteſtatio, excuſabitur ille accuſator ab irregularitate, etiam ex conſtitutione Bonifacij, quandoquidem queritur de ſua iniuria, licèt cum aliis ſit illi communis.

Secundò, quoties obligamur ad hanc querelam & accuſationem, neque eam omittere poſſumus abſque violatione præcepti charitatis, aut iuſtitiæ, alteriúſve virtutis, tunc vrgentis ad ſeruandam patriam, Regem, aut alium innocentem, quamuis priuatum, expers erit omnis irregularitatis ea accuſatio, immò neque opus erit etiam in foro externo vlla ſolemni proteſtatione; primum conſtat non quidem ex cap. 2. de homicid. in 6. ſed ex regula generali initio quæſtionis tradita; atque ex ipſo iure naturali deſumpta, quia Eccleſia imprudenter prohiberet metu incurrendæ irregularitatis id, ad quod tenemur iure naturali, aut diuino, impelleret enim ad peccatum committendum, vt vitari poſſet irregularitas quod quàm alienum ſit à Sanctitate Eccleſiæ, nemo non videt, qui eſt ſenſus & argumentatio DD. quos magno numero congeſſit Sayr. num. 12 cit. & latè oſtenditur ab Vgolin. cap 6. §. 9. cit. num. 6. & Layman atque Auil. locis citat. idcircò Sà verb. irregularitas ex deformit. licita, n. 4. negat eam, qui vrgente neceſſitate infantem frigida baptizat, atque ita occidit, aut eius mortem accelerat, fieri irregularem, quod non improbat Layman. Iam verò neque pro foro externo requiri proteſtationem ſolitam in hoc caſu, ſapienter aduertit Molina, quia ea non exigitur, niſi vbi alioquin contraheretur irregularitas: impoſſibile autem eſt eam contrahi in iſto caſu; igitur non eſt neceſſe vſurpari ea, quæ tantùm excogitata ſunt ad illam impediendam.

Tertiò, quoties accuſatio, & querela neceſſaria eſt ad reparandum damnum iniuſtum tertij, etiamſi omitti poſſit ſine peccato, eo quòd tunc præceptum charitatis alteriúſve virtutis ad eam faciendam non obliget, licita tamen erit ea accuſatio ciuilis; atque quoad forum internum ſine vlla irregularitate, quoad forum autem externum facienda erit proteſtatio; & tunc quidem licitam eſſe hanc accuſationem, ſiue querelam, docet Suar. ſect. 2. cit. num. 12. & 15. quia

non

non videtur vnquam voluiſſe Eccleſia impedire licitam defenſionem innocentium, atque actum miſericordiæ, qui in ea exercetur; quamuis igitur ea defenſio non obliget propter extrinſecas aliquas cauſas, quæ faciunt vt pręcepta affirmatiua non ſemper obligent, & quia non tenemur perpetuò ſubuenire vni proximo, cum magno alterius diſpendio, licita tamen erit, neque vllum textum habemus, qui illam improbet. Iam verò neque tunc in foro interno incurri irregularitatem probatur, quia hæc ciuilis accuſatio pro aliena iniuria, cuius tantùm emenda queritur, & ne ſimilia de cætero committantur, non autem punitio rei, non eſt magis cauſa per ſe mortis, deinde à iudice contra quàm per eam querelam ab ipſa poſtularetur, criminabiliter procedente, decretæ, quam cùm ſimilis querela fit, pro propriis iniuriis, eſt enim eiuſdem prorſus rationis, vt patet; atqui quando quis accuſat ciuiliter pro proprio intereſſe, non eſt cauſa, ſed tantùm remota quædam occaſio mortis conſequentis, atque idcircò ratione illius non fit irregularis; ergo neque in caſu ſimilis querelæ pro alienis iniuriis, fiet irregularis. In foro tamen externo talis eſſe præſumitur, niſi fuerit proteſtatus, ſi enim quando agit de proprio intereſſe, præſumitur ſimul agere criminaliter, niſi contrarium proteſtetur, multo magis id exiſtimabitur, quando pro aliena tantùm iniuria accuſabit. Ex quo igitur per Bonifacij conſtitutionem inducta eſt neceſſitas huius proteſtationis quoad forum externum adhibenda erit vbi poterit eadem eſſe ſuſpicio concurſus exhibiti ad alterius necem.

Quartò, quoties damnum iam eſt illatum, & reparabile, quandoquidem quamdiu non reparatur, continuò infertur, poteſt pro illo agi aduersùs eum, qui intulit: ſi autem ſit omnino finitum damnum, & irreparabile, non poterit quidem accuſari reus ad poſtulandam emendam; nugatoria enim eſſet illa accuſatio in eum finem impoſſibilem, & non poſſet tendere niſi in punitionem rei; quare eſſet iam propria accuſatio criminalis, quæ morte ſubſequuta parit irregularitatem, quacunque proteſtatione adhibita; nihilominus poterit deponi querela apud iudicem, vt prouideat, *ne de cætero talia præſumantur*; cùm enim id liceat in cauſa propria ex Bonifacij conſtitutione, licebit quoque in cauſa aliena, quando ſaltem id neceſſarium erit ad tuendum innocentem, aduersùs quem ſimilia aliqua facinoroſi auderent; neque tunc incurretur irregularitas, ſicut neque quando quis in eundem finem ageret pro ſeipſo, vti concluſione ſuperiori dicebam.

Denique tota difficultas eſt, quando nõ eſt neceſſaria eiuſmodi querela pro defenſione, aut reparatione dãni proximi, licita nihilominus illa ſit, ſicuti licita eſt, quando quis agit in ſua propria cauſa, etiamſi nulla neceſſitate vrgeatur, quandoquidem poſſet alia via res ſuas recuperare; nam in hoc caſu nequaquam vitari poſſe irregularitatem ab accuſatore, quantumuis proteſtetur, exiſtimant Caiet. Suar. & alij locis citatis. Mihi iſta controuerſia non videtur definienda ex conſtitutione Bonifacij vti faciunt tamen DD. communiter; quamuis enim illa agat de querelis Clericorum in cauſa propria, non excludit tamen alias, ſed quia hæ ſolent eſſe frequentiores, & quia quæſtio erat de propulſandis iniuriis, quas patiebantur Clerici ab iis, qui impunè ſe illos violare

poſſe rebantur, eo quòd non poſſent accuſari à Clericis; idcircò, has Clericorum querelas probat Bonifacius: laici autem nunquam violantur eo prætextu, cùm certum ſit eos accuſare poſſe, & non merentur irregularitatem, quandoquidem ad Ordines ſacros non aſpirant; quare de ſolis Clericis, de quibus poſita fuerat quæſtio, reſpondet Pontifex, & nihil dicit, an in aliena cauſa agere quoque poſſint. Ex ea itaque conſtitutione nihil planè definiri poterit, neque ex vllo etiam alio iure, quandoquidem nullibi accuſatio & querela ciuilis pro alienis iniuriis reperitur prohibita Clericis, quod monui ſuperiùs. Itaque res tota reuocanda eſt ad ſuum principium, nempe an liceat innocentem tueri aduerſum alium cum æquali illius damno, quando aliter & abſque eo damno defendi poterit. v. gr. Titij bona ſubrepta à Caio poſſunt recuperari abſque eo quòd Caium furem accuſem; ſi eum verò accuſauero, quamuis ciuiliter tantùm, & pro redditione bonorum, quæ ſuſtulit, ſuſpendio plectetur, deinde à iudice ex officio ſuo procedente, peccabo, ſi accuſem Caium, quamuis intendam tantùm intereſſe Titij, quia cùm potuerim totum damnum Titij compenſare abſque morte Caij, non debui vti illo medio, & maiori diſpendio Caij, minus damnum Titij ſubleuare. Quare tunc iniuſta eſt accuſatio eiuſmodi, & ſi propter mortem ſubſequutam contrahatur irregularitas, illa non erit tantùm defectus lenitatis, ſed iniuſtitiæ commiſſæ in criminali accuſatione; criminali, inquam, quia illa non erit tantùm ciuilis, quandoquidem non eſt neceſſaria ad compenſationem iniuriæ, vti prætenditur, & idcircò eſt iniuſta; neque per proteſtationem purgatur hæc iniuſtitia, quæ eſt in huiuſmodi accuſatione, eo quòd non debeam ius vnius cum maiori alterius iniuria ſeruare; quod tamen facio, quantumuis proteſtor. Neque dicas idem contingere, quando querela fit pro propriis rebus, quæ aliter recuperari poſſent; quia ego non teneor ſemper pati minus malum iniuſtè mihi illatum, vt auertam maius malum, quod iuſtè inferetur alteri.

Ex his igitur ad quæſtionem propoſitam reſpondeo. Quotieſcunque licita fuerit accuſatio pro alienis iniuriis aliter reparabilibus non incurri irregularitatem, neque in foro interno, neque in externo, ſi fiat cum ſolemni proteſtatione, quia tunc neque peccatur, neque intenditur rei mors, neque ad eam concurritur per eiuſmodi accuſationem, vti ſæpiùs dictum fuit, & conſtat ex ſimili accuſatione, quæ fieret propriis recuperandis, aliter tamen recuperabilibus, & ratio eſt, quia quòd damna, de quibus fit querela, ſint aliter recuperabilia, aut non recuperabilia, non facit vt ea querela & ciuilis accuſatio influat, aut non influat in mortem rei ex alio motiuo decretam à iudice, quare aut in vtroque eo caſu hæc accuſatio eſt cauſa per ſe mortis conſequentis, aut in neutro eſt.

Qvoties autem illicita & peccaminoſa erit accuſatio pro iniuriis alienis, eo quòd cùm aliter potuerint recuperari, exponimus certæ mortis periculo reum, & illi ea de cauſa iniuriam facimus, morte deinde conſequuta contrahetur irregularitas ex delicto, vt ſequitur ex iis, quæ diximus quæſt. 2. neque vtilis erit ad hanc notam abſtergendam proteſtatio, quod etiam ex hactenùs diſputatis manifeſtò colligitur.

Diffi

Difficvltas XIII.

An liceat Clericis reum detinere, alios ad capiendum illum ſuo clamore excitare, iudici tradere, aut iudi ia ſuggerere abſque irregularitate, ſequuta eius deinde morte?

61 Respondeo, in his omnibus actionibus expendendas eſſe ſuperiores regulas, videndúmque, an hæ reuerà inſtant in mortem rei, aut ſaltem præſumi poſſint influere. Si primum, incurritur irregularitas, quæ ne quidem proteſtatione impeditur; ſi ſecundum verò dicatur, nulla quidem in foro interno contrahetur irregularitas; in foro tamen externo præſumetur, ad quam præſumptionem tollendam opus erit expreſſa proteſtatione.

Cùm igitur capitur fur, v. gr. & traditur iudici, aut detinetur in loco ſecuro, donec monitus iudex eum capi iubeat ad reſtituendas res ſublatas, cùm ea furis detentio non magis in eius mortem deinde conſequentem influat, quàm eius accuſatio ciuilís; ideò enim capitur, aut detinetur, vt cogatur, quæ ſubripuit, reſtituere, idcircò non cauſat irregularitatem, quæ nihilominus in foro externo iure præſumeretur, quare proteſtationem requirunt DD. relati à Sayro cap. 18. cit. num. 7. quibus addo Auil. & alios.

Secundò, qui clamat, vt è furis manibus ſua, aut proximorum bona tollat, & eo excitatus clamore iudex illum capi iubet, aut occidi, non fit irregularis, inquit Layman, quia agit in iuſtam defenſionem, quam lex naturæ permittit, & quæ lege poſitiua puniri non debet. Quod idem dicendum eſt de eo, qui contra iniuſtum proximi aggreſſorem clamorem tollit, qua occaſione mors aggreſſori ab aliis infertur.

Tertiò, qui clamore excitat vicinos in furem, qui capitur & iudici traditur, ab eóque occiditur, non fit irregularis, quia ipſemet, vt iam diximus, potuit eum furem capere, & iudici tradere.

Quartò, ſi clamans excitat alios, qui furem capiunt, occidúntque, ídque ipſe præuiderit, ſi tamen monuerit, ne occiderent, non fiet irregularis, quod docent Auila diſp. 8. ſect. 2. dub. 15. Layman loco cit. neque multum abeſt Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 5. num. 3. contra communem doctrinam Innocent. & Panorm. in cap. ſignificaſti 2. de homicid. Nauarr. cap. 27. num. 136. Sylu. verb. homicidium. 3. quaſt. 7. Suar. diſp. 47. ſect. 2. n. 21. & alios paſſim. Ratio eſt, quia neque erit ex culpabili homicidio, vt patet, cùm in ea re nihil prorſus peccauerit, neque ex defectu lenitatis, quam non violauit, cùm non fuerit cauſa moralis illius cædis, quæ præter eius tum intentionem, tum monitionem contingit, & cuius proinde ille ſuo clamore fuit tantùm occaſio, & non cauſa; quod idem omninò dicendum eſt, quando agebatur de rerum alienarum aduerſùs rapaces furis manus conſeruatione.

Deniqve qui dat indicia, vt capiatur, cùm ſciat quæri ad mortem, cùm videatur influere in eam mortem, fiet irregularis. Ita omnes, quos dabit Vgolin. cap. 11. n. 1. quod idem exiſtimo, ſi exhibeat ſigna, quibus reus iam captus conuincatur, quia reuerà ſubdit vicem teſtis per eiuſmodi ſignorum exhibitionem; quod autem contrarium definiri videatur in cap.

tua nos. de homicidio, §. ad vltimum; iam ſuperiùs cum Felino monuimus, cum ſcholarem egiſſe tantùm de ſuo intereſſe,& ad illud repetendum ſigna latrocinij dediſſe.

DIFFICULTAS XIV.

An ficta proteſtatio ſufficiat, & quomodo fieri debeat?

62 FICTAM proteſtationem appello, cùm quis animo intendit punitionem rei, quem accuſat, etiamſi proteſtetur ſe agere tantùm de ſuo intereſſe, & nolle vindictam ſanguinis: eiuſmodi autem fictam proteſtationem inutilem eſſe, neque eximere ab irregularitate accuſatorem, dixit Nauarr. cap.27. num.226. allegans Ioan. Andr. & Dominic. Peruſin. Angel. verb. homicidium.2. §.6. Sylu. verb. homicidium. 2. quæſt. 8. & homicidium, 3. quæſt. 3. Vega in ſpeculo tom.2. cap.12. §. in ſexto. num. 270. Toler. lib.1. cap.81. Bizoz. in ſumma, tract. de cenſur. cap.5. qui falsò affirmat ita docere omnes DD. Nam contrarium volunt Felin. in cap. poſtulaſti, de homicidio. Couarr. §. 5. cit. num.2. Tabiena verb Irregularitas 3. §. octauo. Philiarch. part. 1. lib. 4. cap.12. §.14. Henriq. lib. 14. num.9. litt. O. & cap 11. § 5. Auila diſp.5. ſect.2. dub 9. Vgolin. cap.6. § 8. n.2. Turrian. lib. 9. de cenſur. diſput.66. dub. 2. Hurtad. diſp. 2. de irregular. num.42. Suar. diſp 47. ſect.2. num.3. Kon. diſp.18. num.4. quia ius requirit tantùm hanc externam proteſtationem, quæ reuerà ponitur.

Mihi adhærendum videtur huic poſtremæ ſententiæ, quam tamen parum efficaciter fortaſſis probant illius DD. ex eo quòd ius requirat tantùm proteſtationem expreſſam, & non quærat, quo animo fiat, quia non videtur ius velle actum tantùm fictum, aut ſimulatum; verùm quidquid ſit, de efficacitate communis illius rationis. Hæc ſententia ſequitur ex iis,quæ hactenus propoſuimus; cùm enim proteſtatio requiratur tantùm pro foro externo, non debet in eo aliud attendi, quàm natura externi actus: quamuis igitur qui animo vindictæ accuſat, intendat rei mortem, ſi tamen actus externus, quem exercet, non tendat illam mortem, neque in illam influat tanquam eius cauſa proxima, non poterit illi adſcribi illa mors,non enim ſumus cauſæ effectuum, quos intendimus, ſed quorum cauſas ponimus: atqui accuſatio ciuilis, & pro ſuo intereſſe non influit ex ſua natura in mortem rei deinde conſequentem; ergo quocunque animo fiat,non eſt cauſa illius mortis, id autem proteſtatur hîc accuſator, nempe ſe non intendere ſua actione & querela rei mortem, ſiue proteſtatur ſe accuſare ciuiliter, & ſe agere pro ſui damni reparatione, vti reuerà tantùm agit, ſiue capiat punitionem, quam præuidet ſequuturam ad ſuam querelam, non tamen ex illa tanquam ex cauſa. Itaque quidquid ſit de illa vniuerſali quæſtione, an quando aliquis actus requiritur ad certum effectum à lege, ſufficiat, ſi tantùm externus ſit & fictus.

DICO in hac proteſtatione cum animo vindictæ nullam eſſe propriam fictionem, vti fuit explicatum.

DEBET porrò hæc proteſtatio fieri 63 coram iudice, apud quem facta eſt querela, antequam pronunciet ſententiam ſanguinis; in accuſatione verò apud iudicem Eccleſiaſticum neceſſaria non eſt,etiamſi deinde finienda ſit cauſa coram iudice laico. Ita Felin. in cap. poſtulaſti, de homicid. Henriq.

Henriquez lib. 14 c. 11. num. 5. Auila dub. 9. Maiol. lib. 2. cap. 7. num. 4 & al; paſſim, quia Bonifacius agit tantùm de iudice laico.

Deinde, quia cùm iudex eccleſiaſticus non poſſit damnare ad mortẽ, aut mutilationem, qui agit tantùm coram iudice Eccleſiaſtico, non poteſt agere ad punitionem ſanguinis; quòd verò iudex eccleſiaſticus, vbi functus fuerit ſuo munere, tradat deinde brachio ſæculari, à quo occiditur, non facit irregularem primum actorem, immò neque teſtes qui ad iudicium illud Eccleſiaſticum aliquid contulerunt.

Quod verò attinet ad Inquiſitores fidei, qui pronuntiant, hæreticos incurriſſe pœnas omnes aduerſùs ipſos decretas, quas deinde iudices ſæculares, quibus traduntur, exe qui iubẽt, agúntque illi apud eoſdem iudices vt mitiùs agant, ſi fieri poſſit. Plurima quæri poſſent, quæ quia non ſunt in vſu in his partibus, omittuntur, certum eſt ex vi ſaltem priuilegiorum, quidquid ſit de iure communi, nullam incurri irregularitatem ab Inquiſitoribus, neque ab iis, qui apud ipſos agunt, ad exercendum eiuſmodi iudicium, ſiue accuſatores, ſiue teſtes ſint, ſiue quodlibet aliud munus gerant, quod latè tradunt DD. à Sayro relati lib. 6. c. 18. n. 15.

DIFFICVLTAS XV.

An teſtis in cauſa ſanguinis ſit irregularis, ſequuta rei morte.

64 RESPONDETVR eſſe, neque excuſari vlla proteſtatione, ſed ſola obligatione, aut neceſſitate teſtandi; in cauſa verò ciuili eodem modo excuſabitur quo ipſe accuſator.

Prima pars communi omnium conſenſu recepta eſt a Gloſſa in cap. 1. diſt. 51. v. ad ſacerdotium. Innoc. in cap ad audientiam. n. 7. de homicid. Panorm in cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi, num. 13. iuncta addit. Felin. in c. poſtulaſti, de homicid. & in c. de cætero. de teſtibus. Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. 5. num. 5. laborant tamen plerique in reddenda ratione, propter quam proteſtatio nõ excuſet teſtem, & vulgò cauſam petunt ex eo, quòd teſtis agat in cauſa aliena, cùm tamen Pontifex in cap. 2. de homicid. in 6. vbi dat proteſtationi vim excuſandi, loquatur tantùm de actione pro rebus propriis; verùm & ratio iam ſuperiùs confutata fuit, oſtenſúmque etiam pro alienis iniuriis aliquem agere poſſe. Ratio igitur aperta eſt, quia teſtis ſuo teſtimonio proximo influit in ſententiam, atque in ſupplicium per eam illuſum, cùm ſecundùm teſtium dicta feratur ſententia. l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. Præſid. Si ita proteſtatur ſe non teſtificari ad punitionem rei, nugatur, quia proteſtatio eſt contraria facto, vti ſapienter dixit Auila ſect. 2. dub. 10. Quare omnes teſtes fient irregulares, quia reuerà omnes & ſinguli cooperantur capitali ſententiæ.

Hinc fit vt ille, cuius teſtimonium non influxit in mortem rei, quia iudex aliis probationibus, quàm illius teſtis aſſertione motus eſt, non fiat irregularis, quod ſapienter affirmant Nauarr. conſ. 18. de homicid. & Vgolin. cap. 7. num. 9. quia reuerà perinde ſe habet reſpectu eius mortis, atque ſi non fuiſſet teſtificatus.

Qua etiam de cauſa non eſt irregularis ille, qui pro reo fert teſti-

monium,eiúſque cauſam tuetur,vnde fit vt accuſator destitutis firmis probationibus damnetur pœna talionis,& mutilatione,aut morte, quam aduerſario procurabat ſua accuſatione.Ita ſentit idem Vgolin. ibid. n.7. Dias in practic.crimin.cap.98. n. 22. Auila diſp.5.ſect.2.dub.13. quia mors accuſatoris & pœna talionis ſequitur tantùm per accidens ad reſtimonium defendentis innocentiam accuſati.

His omnibus adde, non modò Clericum,qui in cauſa ſanguinis teſtificatur,fieri irregularem,ſi ex eius teſtimonio mors ſequatur, ſed etiam, peccare,ſi id faciat abſque venia ſui ſuperioris, eo quòd rem ſibi prohibitam faciat,vti fuſiùs oſtendit Auila dub.13. cit. concl. 1. & nos alibi dicturi ſumus.

65 Secunda pars, nimirum excuſari teſtem ab irregularitate,quoties non poteſt omittere teſtificationem ſine peccato, ſiue quia tunc ius naturale obligat ad tuendam vitam innocentis, qui alioquin certò periturus eſt, ſiue quia præceptum ſuperioris ad ipſum obligat, vt iuſtè aliquando poteſt, propter varias circunſtantias, ſiue quia metu cogente in conſtantem virum premitur,illi, v.gr. intentatur mors, iam habendus eſt tanquam ſocius criminis,niſi rem totam, vti nouit,aperiat, atque ſuo teſtimonio reum opprimat; docetur à Kon. diſp.18.dub.10. Præpoſit. quæſt. 5. de irregul.num.105.Bonac.diſp.7.q.4. punct.5.num. 8. Et quod attinet ad obligationem ortam ex præcepto naturali, Auila ſect. 2. cit. dub. 12. & Henriquez lib.14.cap. 2. num. 9. atque apud Dian.4.part.tract.2.reſolut. 31.Mercer.& Cornejo in 3. part. contra Villalob. tom.1.tract.21.diffic.27. Vgolin. loco cit. n.3. Hurtad.diſp. 2. diffic.11.Suarez diſp.47. ſect. 3. ſub fin.quamuis ægrè admodum videatur trahi in eam ſententiam. Ratio huius partis conſectarij reddita eſt in expoſitione primæ regulæ initio huius quæſtionis, Eccleſia enim non poteſt obligare ad faciendum aliquid,quod cum peccato coniunctum neceſſariò ſit, incitaret enim ad peccandum, & leges omnes poſitiuæ, maximè quando non obligant ad culpam, ceſſant obligare vrgente metu grauioris alicuius mali impedientis;rigidior enim eſſet illa lex,quæ vt leuis aliqua nota vitaretur, vellet nos capitis diſcrimen adire,præterquam, quod, vti argumentabamur in noſtra regula,non poteſt reperiri defectus lenitatis in eo concurſu ad mortem, qui non ſuſcipitur niſi coactè, coactione, quæ omnem noſtram liberam voluntatem antecedat,tunc enim tenerà primò & per ſe tendit voluntas ad ſatisfaciendum ſibi impoſitæ obligationi, aut ad amoliendum malum imminens, cuius metu incitatur, & ſecundariò tantùm tendit in rei punitionem. Quare plurimùm differt huius teſtis obligatio,aut neceſſitas ab ea,qua iudex aliíque miniſtri ſiue in ferenda, ſiue in exequenda pœna capitis conſtringitur ratione ſui officij & muneris; cùm enim liberè ſuſceperint illud officium, liberè quoque ſe in eam neceſſitatem induerunt,vti diximus eo loco; quare Suarez ſect. 3. vocat eiuſmodi neceſſitatem iudicis conditionatam,& non abſolutam, ſiue quoad ſpecificationem,ſiue quoad exercitium;ſi enim velit exercere iudicis officium,& ſecundùm leges iudicare, debet reum conuictum damnare,abſolutè tamen non cogitur eſſe iudex, cùm obligatio & neceſſitas teſtis in caſu, de quo loquimur, ſit prorſus abſoluta; obligatur enim ſimplici

ſimpliciter ad teſtificandum. Quibus omnibus accedit,fore,vt ſi neceſſariò in iis etiam caſibus eſſet incurrenda irregularitas, ſæpè homines deſtituerentur teſtibus, atque ita ſua omitterent, & reorum crimina non modò manerent impunita,ſed neque damna tum Reip.tum priuati cuiuſque auerti poſſent,defectu probationum, plerique enim mallent non teſtari etiam cum peccato mortali, quàm notam irregularitatis incurrere;cùm alij miniſtri iuſtitiæ vix vnquam deeſſe poſſint propter lucrum,quod illis muneribus illigatum eſt; non placet verò, quod aliqui volunt, fieri ſolemnem proteſtationem à tali teſte, ne euadat irregularis; cùm enim docuerimus nullam omninò contrahi irregularitatem; eo caſu,neque erit ad illam vitandam neceſſaria vlla proteſtatio.

66 Tertia pars noſtri conſectarij erat, teſtem in cauſa ciuili & pro ſolo intereſſe accuſatoris,non fieri irregularem, etiamſi deinde mors rei conſequatur, & ſaltē excuſari proteſtatione eodem modo, quo ipſemet accuſator excuſatur.ita Vgolin cap.7.n.8. Ioann.de la Cruz 2.p. direct.de irreg. dub.6.concl.5.Kon.diſp. 18.num.95. Præpoſit. quæſt. 5.de irregular.num. 104. contra communem ſententiam. Ratio tamen mihi euidens apparet, cùm enim quidpiam alicui conceditur,cætera quoque omnia,quæ neceſſaria ſunt, ne conceſſio ſit inutilis, concedi ſimul cenſentur;atqui priuilegium factum accuſatori in quibuſdam caſibus accuſandi abſque metu irregularitatis ſaltem adhibita proteſtatione, eſſet ſæpiſſimè inutile, ſi teſtis non poſſet in eadem cauſa, & cum eadem proteſtatione teſtari, & Aduocatus accuſanti patrocinari, ſiue cauſam accuſantis agere, metu enim contrahendæ irregularitatis accuſator ſæpè deſtitueretur omni teſte & Aduocato, atque ita non modò nihil probare poſſet, & ſuum intereſſe recuperare,aut iniuriatum continuationem amoliri,ſed etiam aduersùs eum daretur actio calumniæ. Ne igitur ſit inanis tota ea venia facta Clericis à Bonifac.VIII.in c.2.de homicid. in 6. dicendum eſt æquè excuſari teſtem atque accuſatorem, & in iiſdem omninò caſibus;quare ſicut accuſans criminaliter, inaniter proteſtatur; ita & teſtis in eadem criminali cauſa inutiliter proteſtabitur, tunc enim vtriuſque facto contraria eſt proteſtatio;in cauſa autem ciuili vterque excuſatur, quia vel neuter reuerà influit, cùm teſtis non teſtetur niſi de damno illato,& ad recuperandum intereſſe; de quo etiam tunc ſolùm queritur accuſator,& ſi proteſtatio in vno vtilis eſt, quia non eſt contraria facto,erit quoque in alio. Quare non benè obiicitur Bonifacium egiſſe tantùm de accuſatore, qui de ſuis malefactoribus queritur, non autem de teſte, qui queritur de alienis malefactoribus, nam non potuit agere de accuſatore, quin implicitè idem quoque ſtatueret de teſte & Aduocato. Denique ſapienter aduertit Vgolin.tum accuſatorem, tum teſtem agentem ciuiliter eſſe tantùm cauſas per accidens pœnæ ſanguinis,quam iudex deinde imponit,ac proinde non fieri irregularem, & ſaltem per proteſtationem ab illa liberari.

DIFFICVLTAS XVI.

An Aduocatus in cauſa ſanguinis ſit irregularis?

RESPONDETVR Aduocatum ciuiliter agentem pro intereſſe tan- 67

tùm ſui clientis æquè atque ipſum clientem & accuſatorem accuſati ab irregularitate per proteſtationem, etiamſi deinde mors, aut mutilatio rei ſubſequatur. Aduocatus verò criminaliter agens ſola obligatione præcepti naturalis, aut ſuperioris tunc ineuitabiliter vrgentis, aut neceſſitate metus grauiſſimi inflicti immunis fiet ab irregularitate, eritque inutilis ipſi quælibet proteſtatio.

Hoc totum conſectarium ex doctrina ſuperioris ſequitur, cùm eadem ſit conditio Aduocati & teſtis hoc loco.

Dixi igitur primò Aduocatum in cauſa ciuili, aut criminali, quæ tamen ciuiliter tractatur, quia vel non meretur mortem, vel ſi eam mereatur, agitur tantùm coram iudice Eccleſiaſtico, vel etiamſi agitetur in tribunali laico, non diſceptatur, niſi de intereſſe ab accuſatore, ipſiuſque patrem non fieri irregularem ſaltem poſt proteſtationem, etiam in foro externo. ita DD. qui in teſte idem affirmabant, & repetit Vgolin. cap. 9. n. 2. eſtque allata ſuperiùs ratio, quia non concurrit tunc Aduocatus niſi per accidens ad mortem rei, ſicut neque actor, cuius partes ſuſtinet, & ius explicat, & agit tantùm ad illius damnum reparandum, neque magis iudicem ad punitionem incitat, quàm ipſemet actor; deinde, quia priuilegium conquerendi de ſuis malefactoribus eum expreſſa proteſtatione non expetendi pœnam ſanguinis, inutile omninò foret actori, niſi ad eius quoque Aduocatum extenderetur, vti oſtendimus.

Dixi ſecundò, Aduocatum in cauſa criminali criminaliter agentem eſſe irregularem ſubſequuta Rei morte; neque excuſari proteſtatione. ita communiter omnes, quos dabit Vgolin. cap. 9. num. 1. & alij, quia reuerà proximè influit in ſententiam capitalem, & pœnam per eam ſtatutam, eius itaque facto contraria foret proteſtatio, ac proinde inutilis, neque fuſiori probatione hac in re opus eſt.

Dixi tertiò, Aduocatum agentem aduersùs reum in cauſa criminali excuſari ab irregularitate, quoties eam accuſationẽ ſuſcipit neceſſitate compulſus, quia ſine peccato non poteſt illam cauſam abiicere, aut quia vrgetur metu impendentis ſibi damni, ſi ſuum officium deneget, vti de teſte cum adductis eo loco DD. dicebamus.

Dixi quartò, vt Aduocatus in cauſa criminali contrahat irregularitatem debuit ſua aduocatione concurrere in mortem, aut mutilationem rei, ſi enim nulla fuerit habita ratio illius actionis à iudice, reuerà illi non poterit adſcribi mors conſequens, vt patet, atque ex his ſoluuntur duæ vulgares.

Prima eſt, an Aduocatus iuſtè reũ defendens, ſi accuſator mulctetur pœna 68
talionis, atq; ita mutiletur, vel occidatur, fiat irregularis, quam quæſtionem difficilẽ dixit Couar. & ſanè illam Canoniſtę ſuis diſſidiis implexam reddiderunt: his omnibus omiſſis, exiſtimo imprimis Aduocatũ agentem pro rei defenſione, nõ fieri irregularẽ, ſi accuſator puniatur, modò ipſe non petierit in ſua actione punitionem calumniæ; quia reuerà tunc eſt cauſa tantùm per accidens mortis accuſatoris, qui ſibi ipſis debet adſcribere eam punitionem. ita Couarr. in Clem. de homicidio p. §. 5. num. 6. Vgolin. cap. 9. §. 1. num. 2. Turrian. de cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub. 3. Vaſquez allegans, atque alij recentiores, neque inter Clericos, aut laicos Aduocatos diſtinguendum eſt, vti facit Panorm. in c. ſententiam. ne Clerici, vel Monachi.

Cùm

Cùm reverà vnus non magis ſit cauſa mortis accuſatoris ſua aduocatione, quàm alter; neque etiam Clericus vacet rei illicitæ, Eccleſia enim innocentium defenſionem permittit, & quamuis ea Aduocatio illicita foret Clerico, ſi tamen cauſa non fuit mortis accuſatoris, non faceret Clericum irregularem, vt ex iis, quæ q. 2. diximus, ſatis conſtat.

Exiſtimo ſecundò cum Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. num. 104. non videri improbabile Aduocatum reo innocenti patrocinium exhibentem, poſſe obiicere crimina accuſatori, eiúſque calumniam, ſi id neceſſarium ſit ad defenſionem Rei grauiter alioquin periclitantis, & licèt deinde accuſator ob ea crimina puniatur, non tamen hunc Aduocatum habendum eſſe irregularem, ſaltem poſt factam proteſtationem, quia licet Aduocato, quod liceret ipſi reo innocenti in iuſtam ſui defenſionem, neque magis fiet irregularis, quàm fieret in tali caſu, qui ad ſeruandum proprium caput, accuſatori obiiceret calumniam, aliáve crimina, modò non intenderet illorum punitionem, ſed ſui defenſionem.

Altera quæſtio eſt, an ſi accuſator, aut reus puniatur ex imperitia ſui Aduocati, ille Aduocatus ſit irregularis. Sed hæc controuerſia iam fuit explicata in ſecunda quæſt. de homicidio caſuali, ex dictis in eo loco; certò conſtat Aduocatum cuius culpa mortali ſequitur mors clientis, fieri irregularem ex homicidio caſuali, & non tantùm ex defectu perfectæ lenitatis.

* * *

DIFFICVLTAS XVII.

Quinam alij miniſtri iudiciorum fiant irregulares?

RESPONDETVR eos omnes, qui 69
ad ſententiam capitis eiúſve exequtionem proximè & notabiliter concurrunt, fieri irregulares defectu lenitatis. ita ſentiunt omnes, quia ſub hac irregularitatis nota prohibentur Clerici agitare cauſas ſanguinis, ad illáſque concurrere, vti diximus initio huius conſectarij ſeptimi; atqui ea generali prohibitione omnes, qui verè & propriè ad eas cauſas concurrunt, continentur.

PRIMÒ igitur publicus ſcriba, ſiue
Notarius, aut Tabellio in cauſa cri- 70
minali ſcribens acta iudicaria ſequuta morte, fit irregularis. gloſſa in cap. 1. d. 51. v. ad ſacerdotium. Verè enim ad ſententiam deinde conſequentem notabiliter influit, cum illa non pronuntietur, niſi ex illis actis. Quare leuis eſt illa quæſtio, an Notarius fiat irregularis, quando eius ſcripta authentica non ſunt, ſed veluti à priuata perſona; negat enim Innoc. in cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi; affirmat autem ibidem Panorm. falsò allegans eundem Innocent. Eſtque ea communior DD. opinio, verùm rectè dixit Vgolin. videndum eſſe, an ea ſcripta quamuis non authentica, contulerint aliquid notabiliter ad mortem, quia ex illis deſumptæ ſunt aliquæ probationes, aut inquiſitones, aliáve eiuſmodi, & tunc ex illis incurritur irregularitas, morte ſubſequuta: ſi autem nihil ad illam contulerint eiuſmodi acta, non facient irregularem; quod idem dico de priuata perſona acta iudicaria ſcribente, quia reipſa influit in mutilationem, aut mortem.

Secundò. Scribens litteras iuſſu alterius, aut ipſo dictante, quibus mandatur iudici, vt quempiam occidat, eſt irregularis, quia iuuat ad illud homicidium; quare ſcriptio eiuſmodi litterarum prohibetur in cap. ſententiam, cit. & ideò Nauarr. conſ. 16. de homicid. ſecretarium quendam ſimili de cauſa contraxiſſe irregularitatem reſpondit; ſi tamen in his litteris iuberetur tantùm captio alicuius, nullaque fieret mentio pœnæ capitalis, quæ ex ea captione tandem ſequuta fuit, dubitant DD. quorum diuerſas ſententias refert Vgolin. cap. 8. §. 1. num. 2. Ego exiſtimo non fore irregularem, ſi non potuit, aut debuit ſuſpicari eam captu ram mandari ad punitionem ſanguinis, quia qui dictauit, aut ſcribi mandauit, erat iudex cauſarum criminalium, non fieri irregularem, neque inter laicum, & Clericum ſcribam diſtinguendum eſt, vt malè contendit Vgolin.

Tertiò. Clericus qui iuſſu iudicis legit litteras, quibus illi mandabatur cognoſcere de crimine alterius, non fit irregularis, quamuis iudex eo præſcripto illarum litterarum damnet capite. ita additio ad Panorm. in cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi num. 14. litt. B Vgolin. cap. 8. §. 2. ſaltem quando neſciebat illud mandatum iis litteris contineri. Layman cap. 7. lib. 3. tract. 3. 3. part. quia nihil, vel non niſi leuiter admodum concurrit ad mortem rei, iudex enim egit ex mandato Principis, non ex illa actione; quare neque ille lector, neque delator litterarum videtur irregularis; quod autem à Ioan. Andr. & Hoſtienſ. obiicitur, futile eſt, neque etiam certò conſtat Clementem IV. contrarium reſpondiſſe, vti obſeruat Vgolin. loco citato.

Quartò. Procurator, ſiue Syndicus accuſatoris, hunc enim conſtitui poſſe potiùs habetur ex communi praxi, quàm ex iure, probat Iulius Clarus in pract. crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 32. fit irregularis eo caſu quo ipſemet accuſator, cuius vices agit, fieret, quia reuerà tunc concurrit ad mortem rei; non placet tamen, quod Vgolin. cap. 10. numero 1. negat Procuratori vtilem fore proteſtationem, etiamſi eximat accuſatorem ab irregularitate; cùm enim non alio modo procurator influat in mortem, quàm actor, cuius perſonam ſuſtinet, vtrique erit vtilis, aut inutilis proteſtatio, iam enim ſæpiùs reiecimus, quod reperit ibidem Vgolin. proteſtationem prodeſſe tantùm vbi quis rem ſuam agit, & non alienam, vti facit Procurator, ſi vniuerſitas conſtitueſrit procuratorem ad cauſam criminalem, & incurratur irregularitas, à procuratore, incurretur quoque ab omnibus, & ſingulis, qui conſenſerint in creando illo procuratore, & cauſa criminali proſequendo; neque enim vniuerſitas poteſt fieri in ſe irregularis, cùm ſit perſona quædam ficta, cui effectus irregularitatis conuenire non poſſunt. conſule Vgolin. c. 10. citato.

Quintò. Lictores, qui reum capiunt, compingunt in carcerem, in eóque cuſtodiunt, torquent ad exprimendam veritatem, ducunt ad patibulum, ne fugiat, aut ne ab amicis liberetur, ſequuta Rei tandem morte, fiunt irregulares, ex communi DD. ſenſu, quia reuerà hi omnes iuuant ad cædem, aut mutilationem, ſuntque veræ eius cauſæ, quamuis in diuerſo fortaſſis genere.

Sextò. Lictor, qui gulam frangit reo, aut aliam mortem infert, irregularis fit, vt & ij omnes, qui ipſum iuuant

iuuant, vt qui ſcalas applicant, aut funem porrigunt, ſiue trahunt, non autem qui funes, aut ſcalas fabricati ſunt, hi enim non niſi admodum remotè concurrunt, qui ſtruem lignorum congerunt, aut incendunt ad viuicomburium, fiunt irregulares; ſecùs verò qui ad cadauer tantùm cremendum, quod aliàs quoque monuimus, & notat cum aliis pluribus Vgolin. cap. 11. §. 2. num. 5.

75 Septimò. Qui notabiliter mortem rei ſuo facto accelerant, fiunt irregulares, quod in aliis quoque irregularitatibus ex diuerſis homicidiis contingit, docentque hoc loco Sylu. verb. homicidium, 3. q. 2. Nauarr. cap. 27. num. 209. Couarr. in Clem. de homicid. 2. part. §. 4. num. 2. Vgolin. cap. 11. §. 3. num. 1. & alij, quia hi reuerà influunt in mortem Dixi tamen notabilem debere eſſe hunc influxum in eam accelerationem. Itaque que hortatur vt reus ducatur per aliã viam breuiorem, vt vitet infamiam, quam in alia populoſa ſubiret, non fit irregularis, ex Henriq. cap. 12. n. 7. & Auila dub. 1. ſect. 2. diſp. 1. Layman cap. 7. cit. qui inſtigat iumentum, quo vehitur reus, qui illum equo vehi vult, ne itinere fatigetur. Qui dum illum hortatur, dicit: Eia properemus alacriter, atque ita hortatur ad celeriorem greſſum; qui dicit carnifici, ſe iam eſſe functum ſuo munere, reumque ritè diſpoſitum eſſe; quare nihil eſſe, quod ipſum moretur; qui pulſant campanas, quo moneatur populus, aliquem eſſe ſuſpendendum; qui rudem carnificem docet modum aptandi, aut nodandi funis in genere tantùm; immò qui dicit reo, vt vnum, aut alterum gradum ſcalæ aſcendat, non fiunt irregulares, vti ex Auila, & Henriq. colliges. quia hi omnes vel tantùm per accidens concurrunt ad celeriorem Rei mortem, vel non niſi admodum leuiter, ita vt in prudenti hominum æſtimatione non magni fiat illa tam exigua cooperatio.

Vulgò tamen Vgolin. cap. 11. cit. §. 3. & ſeq. Bonac. diſput. 7. quæſt. 4. punct. 1. num. 9. & alij damnant irregularitatis eum, qui hortatur reum, vt aſcendat ſcalas, aut cultro ſupponat caput, aut laqueum induat. Mihi videtur imprimis ex nullo ſatis aperto iure hoc colligi. Secundò, hanc omnem cooperationem eſſe admodum exiguam, neque in communi hominum perſuaſione pugnare cum lenitate, ex qua potiùs oritur, neque enim fit ex deſiderio mortis citò inferendę, ſed liberandi Rei à diuturniore vexatione. Tertiò fit hæc cooperatio à non cogitantibus perſæpè. Quartò, non eſt directa cooperatio, ſed per accidens, conſulitur enim reo, ſcalam aſcendat, ne maiori incommodi vi raptetur. Supponat ſecuti ceruicem, ne ſi alioquin erret manus lictoris, pluribus ictibus non ſine magno dolore percutiendus ſit, gulam lubens laqueo induat, ne diutius torqueatur; in quibus omnibus nihil eſt, quod per ſe & directè tendat ad mortem accelerandam, ſed ad ſubleuandum reum; quod idem de quibuſdam aliis dicendum exiſtimo. Itaque cùm hæ actiones non contineant propriam & directam cooperationem ad mortem Rei, non cenſerem illas inuehere irregularitatem.

Ratio vniuerſaliſſima eſt, quia licèt Eccleſia propter ſolum defectum manſuetudinis induxerit hanc notam irregularitatis, neque noxam vllam ſupponat, ſed tantùm indecentiam, quæ ex tali actione, quamuis alioquin laudabili, deriuatur in ſacros miniſtros, quos eximia manſuetudine

præditos

prædítos eſſe decet; non tamen pro quocunque exiguo defectu manſuetudinis inuexit hanc notam, quæ grauis omninò eſt, quandoquidem à ſacris miniſteriis remouet. Debet igitur eſſe ille defectus manſuetudinis, vt in communi hominum iudicio dedeceat omninò illum, qui talem actionem contra manſuetudinem geſſit, quamuis ſine crimine, ad ſacra miniſtranda accedere, donec ea macula eluta fuerit, qui illuſtris defectus non reperitur in actionibus enumeratis, aliiſque ſimilibus. Quare Canoniſtæ & Summiſtæ non ſatis mihi expendiſſe videntur Eccleſiæ mentem in inducenda iſta irregularitate, quando illam eiuſmodi minutiis affigunt; niſi igitur expreſſum aliquod ius afferant, nunquam mihi id perſuadebunt.

Difficvltas XVIII.

An ſpectantes reorum ſupplicia fiant irregulares?

76 Respondeo non fieri, niſi ſua præſentia authoritatem, aut auxilium præſtent lictoribus, aliiſque mortem inferentibus, ad quam proinde & ipſi quoque cooperari dicantur; neque quod ad laicos, vllus dubitat, ſed de Clericis, propter cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat. & cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi, mouent aliqui controuerſiam; ſed ea omnia & ſi quæ ſunt alia ſimilia loca, loquuntur de præſentia coniuncta cum aliquo auxilio ratione authoritatis, aut iuriſdictionis, quam eo in loco habet ille Clericus, vt cum communi explicat Vgolin. cap. 5. §. 3. Itaque ex ſimplici præſentia, quam Clerici exhibent reorum ſuppliciis, non contrahi irregularitatem, fatetur gloſſa in cap. ſententiam, & alij apud Sayr. lib. 6. cap. 18. num. 20. Aliqui tamen putant illos peccare grauiter contra prohibitionem Eccleſiaſticam, alij tantùm venialiter, propter paruitatem materiæ, ita Auila diſp. 5. ſect. 2. dub vlt. & Suar. diſp. 47. ſect 4. n. 10. Ego nullam ea in re culpam prorſus agnoſco, ſecluſo ſcandalo, & aliis extrinſecis, quia lex Eccleſiaſtica non agit de ſimplici illa præſentia, ſed de ea, qua auxilium præbetur, vt ſapienter aduertit Vgolin.

Capvt V.

De irregularitate ex aliis delictis.

Quæſtio prima, de irregularitate ex prauo vſu Sacramentorum.
Quæſtio ſecunda, de irregularitate ex violatione cenſuræ.
Quæſtio tertia, de irregularitate ex aliis delictis.
Quæſtio quarta, de irregularitate ex infamia.

Distinxeramvs irregularitatem in eam, quæ ex defectu inculpabili ſiue animi, ſiue corporis, & eam, quæ ex crimine naſcitur; huius poſterioris primam veluti ſpeciem, quæ ratione homicidij contrahitur, fuſiſſimè proſequuti ſumus hactenus, reſtat modò, vt percurramus alia delicta, quæ illam parere ſolent.

* *
*

QVÆSTIO I.

De irregularitate, quæ ex prauo vſu Sacramentorum contrahitur.

Prima propoſitio, de irregularitate ex iteratione alicuius Sacramenti. n. 1.
Prima pars, ſolius Baptiſmi iteratio facit irregularem. num. 2.
Difficultas. De reconfirmatis ex Capitularibus. num. 3.
Secunda pars propoſitionis. Iteratio Baptiſmi debet eſſe culpabilis. n. 5.
Tertia pars propoſitionis. Quinam contrahant irregularitatem ex rebaptizatione. num. 6.
Quarta pars propoſitionis. Qualis ſit irregularitas ex iteratio Baptiſmo. n. 7.
Conſectarium primum. An ignoranter rebaptizatus, aut rebaptizans ſit irregularis. num. 8.
Conſectarium ſecundum. An qui ſcit ſe fuiſſe rebaptizatum, fiat irregularis, ſi ratum habeat Baptiſma. n. 9.
Conſectarium tertium. An ex ficta iteratione Baptiſmi contrahatur irregularitas. n. 10.
An qui metu coactus rebaptizat, ſit irregularis. num. 11.
Conſectarium quartum. An rebaptizatio ſub conditione faciat irregularem num. 12.
Conſectarium quintum. An ex iteratione aliorum Sacramentorum ſequatur irregularitas. num. 13.
Secunda propoſitio. De irregularitate ex illicita ſuſceptione Sacramentorum. num. 14.
Dubium primum. An baptizatus ab hæretico ſit irregularis. n. 15.
Dubium ſecundum. An ſiſtè baptizatus, aut in articulo mortis, ſit irregularis. num. 16.
Soluuntur varij caſus. num. 17.
Dubium tertium. An ſuſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui. num. 18.
Dubium quartum. An ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, hæretico, degradato, &c. ſit irregularis. num. 19.
Dubium quintum. An Ordinatus ab alieno Epiſcopo, aut ante legitimam ætatem, aut ſtatuta tempora, aut non ſeruatis interſtitiis, ſit irregularis. num. 20.
Dubium ſextum. An qui per fallaciam, aut ante confirmationem, aut alio modo furtiue ſuſcipit Ordines, ſit irregularis. n. 21.
Tertia propoſitio. De irregularitate ex ſacrilega Ordinum vſurpatione. numero 22.
Prima pars propoſitionis. Vſurpatio Ordinis facit Clericum irregularem. num. 23.
Secunda pars propoſitionis. Qualis ſit iſta irregularitas. num. 24.
Conſectarium primum. An Clericus vſurpans Ordinem ſacrum fiat irregularis. n. 25.
Conſectarium ſecundum. An Clericus adminiſtrans Sacramenta ſine Ordine neceſſario, ſit irregularis. n. 26.
Conſectarium tertium. An per ſaltum promotus fiat irregularis exercendo actum Ordinis omiſſi. n. 27.
Conſectarium quartum. An ſimplex Clericus exercens actus minorum Ordinum ſit irregularis. num. 28.
Conſectarium quintum. An Clericus non ordinatus exercens ea, quæ ſunt iuriſdictionis, fiat irregularis. n. 29.
Conſectarium ſextum. An miniſtrans in Ordine, quem cum aliquo defectu ſuſcepit, fiat irregularis. n. 30.
Quarta propoſitio. num. 31.
An qui celebrat ſine Altari conſecrato. num. 32.

An fauens raptoribus. n. 33.
An celebrans Miſſam defunctorum pro viuente. n. 34.
An conficiens Eucharistiam omiſſo Miſſæ ritu. num. 35.
An Episcopus ordinans per ſaltum Clericum. n. 36.
An Cardinalis à paucioribus electus, & Papatum vſurpans. n. 37.

NON contrahitur irregularitas propter quemcunque prauum vſum Sacramentorum; cùm enim hæc pœna grauiſſima ſit, & ſpectet ad ſanctitatem, quam Eccleſiæ miniſtri in muneribus ſacris ſeruare debent, vt illa decenter exerceant, non violatur ea ſanctitas, & decentia quocunque crimine, ſacrilego Sacramentorum vſu. Itaque Eccleſia, quæ in his ſuis legibus externam tantùm ſanctitatem attendit, etiamſi non illam ſolam in ſuis miniſtris deſideret, paucos duntaxat caſus expreſſit, in quibus voluit contrahi irregularitatem; nobis autem non licet alios aſſignare, cùm irregularitas non imponatur ab homine, ſed à ſolo iure, vti initio huius libri monuimus.

PRIMA PROPOSITIO.

De irregularitate ex iteratione alicuius Sacramenti.

1 STATVENDVM igitur eſt primò, ſolius Baptiſmi culpabilem iterationem facere irregularem tum rebaptizatum, tum rebaptizantem, eiúſque miniſtrum, cum aliquo tamen diſcrimine; irregularitas enim rebaptizati eſt totalis, rebaptizãtis autem eiúſque miniſtri eſt ſolùm partialis; prior illa incurritur propter quamcunque rebaptizationem culpabilem; poſterior iſta propter ſolam rebaptizationem publicam.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

PRIMA PARS.

Solius Baptiſmi iteratio facit irregularem.

DIFFICVLTAS hoc loco ſolùm eſſe poteſt de tribus Sacramentis initerabilibus, aliorum enim iteratio cùm pia & licita ſit, non debuit hac pœna puniri; certum autem eſt, irregularitatem, de qua agimus, hoc loco pœnalem eſſe; ex tribus itaque Sacramentis initerabilibus, Baptiſmo nimirum, Confirmatione & Ordine, vti ſuppono ex iis, quæ late diſputabimus tertia parte ſcientiæ canonicæ.

DIXI, ſolius Baptiſmi iterationem culpabilem puniri irregularitate contra gloſſam in cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. & Archidiac. ibi, atque aliis locis. Rich. in 4. d. 7. art. 7. q. 1. Ioan. Maior ibid. Hoſtienſ. in ſumm. tit. de Sacrament. non iterandis §. vlt. num. 12. ſub fin. atque alios plures adductos à Couarr. in Clem. ſi furioſus, prima parte init. num. 8. quibus adhæſit Maiol. lib. 3. cap. 15. & pauci quidam alij, quos reiiciunt Scot. Paludan. & magno numero recentiores apud Couarr. loco cit. & Sayr. lib. 7. cap. 8. num. 27. quos ſequitur Auila diſput. 7. dub. 5. Suar. 3. part. tom. 3. diſp. 38. ſect. 1. quoad Sacramentum Confirmationis: quoad Sacramentum autem Ordinis tom. 5. diſp. 45. ſect. 4. num. 6. Quoad vtrumque verò Sacramentum Hurtad. Kon. Præpoſit. aliique quos numerare ſuperfluum foret.

foret. Ratio perſpicua eſt, quia in iure irregularitas ex iteratione Baptiſmi manifeſtò traditur; ex iteratione autem Confirmationis & Ordinis nullibi reperitur expreſſa. De iterata igitur Baptiſmi ſuſceptione ita definiuit Leo epiſt. 3. ad Ianuar. Epiſcopum Aquilit. vbi iteratam tinctionem vocat Felix III. ep.6. Carthagin. Synod. V. c.11. Toletan. IV. cap. 18. vti ſigillatim explicabitur ſtatim. De iterata autem Confirmatione & Ordinatione quoad cauſandam irregularitatem mirum in iure ſilentium eſt. Vnde quoad Confirmationis iterationem, noſtram ſententiam iuri conformiorem eſſe dixit Nauar. cap. 27. num. 267. quamuis contraria ſit iam vſu recepta: ſed illum vſum minimè probat Nauar. & parùm appoſitè omnino afferunt aduerſarij Conc. Tarracon. can. 6. vti citatur à Gratian. cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. Iuone prima parte cap. 244. & Burchard. lib. 4. cap. 50. Cùm tamen nihil tale in Concil. Tarraconenſi hactenus edito reperiatur. Sed in Cabilon. II. cap. 27. imperante magno Carolo, vbi tantùm habentur iſta, *vnde nobis viſum eſt eandem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum iterari minimè debere.* Ex quibus non licet colligere iterationem Confirmationis puniri irregularitate, ſicut & iterationem Baptiſmi, cùm Concilium non dicat vtramque iterationem eâdem pœna prohiberi, ſed vtramque vſurpari non debere: verba porrò, quæ à Gratian. & Iuone adduntur, *Qui bis, vel ampliùs baptizatis, aut confirmatis non ſæculo, ſed ſoli Deo ſub habitu regulari, vel clericali religioſiſſimè famulari decretum eſt*, non leguntur in Conc. Cabilonenſi, ſed aliunde aſſuta ſunt, nimirum ex addit. 3. ad Capitularia Francor. cap. 26. Ex quibus tamen non video, qua ratione colligant aduerſarij irregularitatem, cùm potiùs inde contrariam erui poſſit, vti obſeruauit Alphonſ. à Caſtro lib. 1. de lege pœnal. cap. 7. documento 3. §. ex ratione huius tertij documenti. In his enim verbis præcipitur clericalis officij exercitium, nam optimus & perfectiſſimus famulatus, qui in habitu clericali, vel regulari Deo exhiberi poteſt, conſiſtit in miniſterio Altaris, quod irregulares exercere non poſſunt.

Manet tamen grauis difficultas, 3
quam à Caſtro, Suar. diſput. 58. cit. ſect. 1. & alij diſſimularunt; ſi enim ex eo, quod iterum confirmati diuino famulatui ex decreto Eccleſiaſtico addicantur ſub clericali, vel regulari habitu, benè colligimus hos non fieri irregulares, ſed potiùs ad clericalia miniſteria admitti, idem omninò dicendum fuerit de rebaptizatis. Quare non modo non fient irregulares, ſed mancipabuntur diuinis & ſacris miniſteriis; capitulum enim illud, *Bis, aut ampliùs baptizatis, aut confirmatis,* vtroſque comprehendit, gloſſa in cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. hunc habitum clericalem intelligit ſub clauſura in pœnam, cui conſentit Maiol. lib. 3. cap. 15. num. 2. Verùm hæc expoſitio pugnat cum ipſo textu, neque enim, qui in pœnam compingitur in Monaſterium, dicitur, *Deo ſoli ſub habitu clericali, aut regulari religioſiſſimè famulari.* Neque hæc verba loquuntur de ſola veſte clericali, vti exponit gloſſa, ſed de religioſiſſimo famulatu in illa veſte, & nuſquam ibidem fit mentio clauſuræ, quam gloſſa affingit.

In re admodum implexa fateor imprimis, ex eo quidem textu Capi-

tular. & Canonis Cabilon. non colligi irregularitatem ex iteratione Baptiſmi, vti benè obiiciebatur. Secundò aio varios fuiſſe hac in parte diuerſarum Eccleſiarum mores, & quãuis per iterationẽ Baptiſmi ſemper execrata fuit Eccleſia, vt ex PP. & Conc. oſtenditur, de conſecrat. diſt. 4. Quare Auguſtin. ep. 203. ad Maximinum vocat immaniſſimum ſcelus, & Leo epiſt. 37. inexpiabile facinus, & Clem. Roman. lib. 6. conſtitut. cap. 15. pluribus damnat impietatis. Non tamen ſemper eadem pœna illud facinus caſtigauit Eccleſia, vti in epiſt. 1. Fœlicis III. videre eſt. Terriò exiſtimo iterationem Baptiſmi duobus modis vſurpatam fuiſſe, aliquando enim id faciebat ex hæreſi rebaptizantium hæreticorum, & Donatiſtarum, de qua loquuntur Auguſt. Leo, & Africana maximè Concilia, & quæ fiebat ſciente tum rebaptizato, tum rebaptizante, eámque rebaptizationem neceſſariam ad ſalutem contẽdedant hi hæretici: aliàs verò vel ex ignorantia, vel ex ſimplici credulitate, vel alio prauo fine, quàm quòd primum Baptiſma etiam ab hæreticis collatum inualidum fuerit; quamuis autem hanc quoque Baptiſmi iterationem tanquam ſacrilegam damnàrit Eccleſia; non tamen grauibus adeo pœnis illam mulctauit, ſed vel eas arbitrio Epiſcopi imponendas permiſit, nullas verò certas ſua lege ſtatuit, vt apparet in illo Canone Cabilonenſi, vel aliquas præſcripſit, vt in Capitularib. loco citato; nam ibi agi de hac rebaptizatione, & reconfirmatione, quæ non fiebat ex hæreſi rebaptizantium, inde mihi perſuadeo, quod ea fieret ignorantibus Epiſcopis, qui neſciebant fuiſſe iam aut baptizatum, aut confirmatum; cùm ij, qui ex Donatiſtarum inſana ſuperſtitione rebaptizabantur, id palàm profiterentur, vt conſtat. Quartò fuit etiam aliqua pœna, quamuis non irregularitatis, quòd quis clericalem, aut regularem habitum inducret, atque ita ſæculo abrenuntiare cogeretur, viguítque ille mos diutiùs, maximè in Gallia, vt aliqui in Monachos, aut Clericos attenderentur; quod ex variis rerum noſtrarum monumentis certiſſimum eſſe conſtat. Clodouæus enim Chararicum eiuſque filium, qui Siagrio fauerant, vinctos totondit, & patrem in Preſbyterum, filium in Diaconum ordinari iuſſit. Apud Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. cap. 41. Childebertus etiam & Clotharius dum filios fratris Clodomiri regno priuare vellent, ad Chlotildem Reginam, quæ illos alebat, in ſpem regni miſerunt, Archadium cum forcipe & euaginato gladio, vtrùm eos inciſis crinibus viuere iuberet, an gladio interfici; quæ reſpondit, *ſatius ſibi eſſe, ſi ad regnum non erigerentur, illos mortuos videre, quam tonſos.* Turri. lib. 3. cap. 17. Atque hoc ipſo tempore conditæ legis, quam exponimus, Carol. Magnus Taſſelonem Boiariæ Ducem cum Theodone filio capite damnatos propter accitos Hunnos attondit in Monachos; quod narrat Aimoin. lib. 4. cap. 80. Hanc igitur pœnam exiſtimo imponi iis, qui denuò baptizantur, aut confirmantur Epiſcopis ignorantibus & Capitularium lege, vt ſæculo abrenuntiare cogerentur, & Clericatum, aut Monachiſmum amplecti.

4 Quod attinet ad Ordinis iterationem, ex ea naſci irregularitatem exiſtimarunt aliqui ex iis ipſis, qui negabant,

negabant ex repetita confirmatione contrahi, vt Vgolin.cap. 55.§.5. qui & alios adducit, quia cap. ſaluberrimum 1. q.7. Hæreticis conuerſis ad fidem permittitur in Ordine, quem habebant, miniſtrare, *niſi iterata vnctione fuerint maculati.* Si igitur bis vncti, & ordinati fuerint, non poterunt in ſuis Ordinibus miniſtrare, atque adeò erunt irregulares, vti ibid. obſeruat gloſſa verb. maculati. Sed malè tum hoc caput, tum eius gloſſam affert Vgolin. eſt enim ea conſtitutio Leon. ep.3. ad Ianuarium, aut, vt alij codices habent, Iulianum Aquileienſem, vbi ita iubet Clericos, qui ſe vtcunque hæreticæ communionis contagione macularunt, ad fidem redeuntes ſuſcipi poſt errores, & eorum authores à ſe damnatos. *Vt in magno habeant beneficio ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inueniantur ordine, ſtabilitate perpetua maneant, ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* Quare malè legit Vgolin. *iterata vnctione.* Non loquitur itaque Leo de ordinatione Clericorum ab hæreticis, ſed de rebaptizatione, vti etiam explicat gloſſa, quā falsò allegauerat Vgolin. Quare inde potiùs colligeremus ex reordinatione non contrahi irregularitatem; quandoquidem iſti Clerici permittuntur in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, modò non fuerint iterata tinctione, id eſt, Baptiſmo maculati, nihilque aliud excipitur; quanquam neque eo argumento noſtram ſententiam confirmare placeat; quandoquidem hæretici Clerici ſemper admiſſi ſunt cum aliqua pœna, quam hoc loco decernit Pontifex ex veteri omninò iure, vti dicemus part. 6. huius ſcientiæ, ne ad vlteriores gradus aſcendant, ſuos tamen retineant, quæ eſt non leuis indulgentia, excipit tamen, vt qui rebaptizati fuerint, ne quidem in Ordinibus iam ſuſceptis miniſtrent, eo quòd ea tunc Donatiſtarum hæreſis ſe peteret; non meminit verò iteratæ ordinationis, quia quamuis ea quoque tunc ab hæreticis vſurparetur aliquando, non tamen niſi ipſum quoque Baptiſma, denuò contuliſſent, quod & frequentiùs fiebat.

Cùm igitur nullibi ſtatuatur irregularitas propter iterationem Ordinis, ea inducenda non eſt.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Iteratio Baptiſmi debet eſſe culpabilis.

DIxi ſecūdò hanc Baptiſmi iterationem debere eſſe culpabilē, vt 5
inducat irregularitatem cōtra quoſdā apud Couar. in Clem. ſi furioſus 1. p. init.n.8. qui exiſtimāt per ignorātiam non impediri hanc irregularitatem, de quibus dicam in conſectariis. Probatur verò noſtra propoſitio, quia vbi imponit hanc irregularitatem ſiue rebaptizanti, ſiue rebaptizato, ſemper requirit culpam, & de rebaptizante quidem id apertum eſt epiſt. Alexand. III. inferiùs alleganda, vbi ſacrilegium & res nefanda nominatur hæc rebaptizatio, & punitur Acolythus, quia ei cooperatus eſt; in baptizato autem exigi culpam, conſtat ex pœnis, quæ vnà cum irregularitate quondam imponebantur ipſi, vti habemus in c.6. epiſtolæ Fœlicis III. quam integram refert Iuo 1.p.cap 293. Probant etiam Suar. diſp.31. ſect.6. tom. 3. in 3.part. & alij paſſim, quia in Conc. Afric.c. 14.& 24 vti mēdosè allegat Gratian.c. placuit, & c.qui apud 1 q.4. infātes baptizati ab hæreticis nō fiūt irregulares, vbi deinde adulti ab errore diſceſſerint, inde enim colligitur, neque in-

fantes rebaptizatos fieri irregulares; non enim maior eſt indecentia in rebaptizatione, quàm in Baptiſmo ab hæreticis collato; immò veteres canones non puniunt tam rigidè rebaptizationem, niſi propter hæreſim rebaptizantium; quibus conſentiebant, qui ſe baptizari permittebant. Sanctitas quoque Sacramenti non magis violatur in rebaptizatione, quàm in ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis collato; immò veteres canones non puniunt tam rigidè rebaptizationem, niſi propter hæreſim rebaptizantium; quibus conſentiebant, qui ſe baptizari permittebant. Sanctitas quoque Sacramenti non magis violatur in rebaptizatione, quàm in ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis, immò minùs, nam in rebaptizatione nullum fit Sacramentum; quare neque propriè violatur ſanctitas Sacramenti: at verò in collatione Baptiſmi ab hæretico reperitur verum Sacramentum, atque adeò gratia ferax, ſi nullum reperiat obicem in ſuſcipiente, vti reuera nullum reperi in infante, & tamen ab indigno miniſtro conficitur non ſine graui iniuria, vti latè dicemus alibi. Si igitur irregularitas ex rebaptizatione oritur propter ſolam indecentiam, eodem modo illa, quæ ex ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis contrahitur, ex ſola indecentia etiam non culpabili exurgeret. Verùm hic argumentandi modus à paritate rationis ſæpiùs à nobis reiectus eſt in his pœnis, aut inhabilitatibus, quia quæcunque indecentia non parit irregularitatem, ſed ea tantum, quam leges Eccleſiaſticæ voluerunt habere hunc effectum; quare etiamſi indecentia, quæ eſt in ſuſceptione Baptiſmi ab hæretico non faciat irregularem, niſi ſit culpabilis, & idcircò infantes eum minimè contrahant, non proptereà tamen indecentia, quæ eſt in rebaptizatione, id non faciet, & requiret culpam. Dici tamen poteſt iura æquiparare has duas ſacrilegas tinctiones, & eodem modo excludere ab Eccleſiaſtica militia rebaptizatos, atque baptizatos ab hæreticis; quare aut in vtroque caſu requiritur culpa, aut in neutro neceſſaria eſt, vt ſtatim expendam: iis igitur omnibus omiſſis vera ratio noſtræ aſſertionis eſt, quia nullibi dicitur in iure ex rebaptizatione inculpabili quempiam fieri irregularem; ſed ſemper contrarium potiùs innuitur ex pœnis adiunctis illi irregularitati, à quibus etiam pœnis eximebantur infantes rebaptizati, vt manifeſtum eſt ex epiſt. 6. Fœlicis III. iubet enim expendi, *Verùm quis ad hoc facinus concurrerit, an impulſus acceſſerit, & vt ſeruata diſcretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapſi ſunt, lance penſentur*, addit, *neminem ad ſecundam tinctionem venire poſſe, niſi ſe palàm Chriſtianum negauerit, & profeſſus fuerit eſſe paganum*, quod in Eccleſiæ, vti appellarat, *ſummitatibus*, id eſt præcipuis Sacrorum miniſtris, vti ſingillatim explicat, *auditu dictúque probatur horrẽdum*; quare hos omnes, *vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia iacere*, iubet, & ne quidem orationi Catechumenorum intereſſe, atque laica tantùm communione in morte donari, quibus verbis, vti alias explicuimus illos deponit, & è clero in laicorum pœnitentiam numerum abiicit: Monachos autem Clericos, puellas Dei, id eſt, Deo dicatas, aut etiam ſæculares eadem pœna plecti imperat, quâ Nycena Synodus lapſos puniuit, ita vt ſi nulla neceſſitate compulſi hæreticis ſe rebaptizandos impiè tradiderint, tribus annis inter audientes ſint,

ſeptem

ſeptem verò inter pœnitentes manibus Sacerdotum ſubiaceant, duobus annis oblationes nullo modo ſinantur offerre, ſed tantummodò popularibus, ſiue ſæcularibus in oratione ſocientur, qui ritus expoſiti ſunt diſquiſit. 3. de clauſura regulari, & in ſcientia canonica. *Pueris autem, quibus, quod adhuc in veſte ſunt, à puritate vocabulum eſt, ſeu Clericis, ſeu laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt, nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à coërtione cenſura.* Aliorum verò, qui violentia, vel periculo coacti iterationem Baptiſmatis ſubierint, pœnas admodum minuit, vtpote qui immo tis culpæ rei fuerint.

Dices. Verba ſequentia manifeſtò pugnare nobiſcum, *per omnia* enim, id eſt, ſuper omnia cuſtodiri illud vult, *ne vnquam, qui in qualibet ætate alibi, quam in Eccleſia Catholica baptizati, aut rebaptizati ſunt, ad Eccleſiaſticam militiam prorſus permittantur accedere.* quibus verbis imponit irregularitatem etiam infantibus rebaptizatis, quandoquidem nullam excipit ætatem, ac proinde non exigit culpam ad hanc iteratam tinctionem, vti appellat.

Reſpondeo, Fœlicem III. hanc ſuam epiſtolam ex Synodo Romana ann. Chriſti 487. ſcripſiſſe ad Africanos, in cauſa eorum, qui in perſequutione Hunnerici Regis lapſi ab Arrianis rebaptizati fuerint & deinde reddita Eccleſiæ pace à Gundabundo in Catholicam communionem recipi poſtulabant. Videtur autem, quæ iam in Conciliis Africanis circa ſimilem cauſam rebaptizatorum à Donatiſtis ſtatuta fuerant, confirmaſſe, aut innouaſſe. In Concilio autem Carthaginen. Præſide Aurelio eiuſdem ciuitatis nominatiſſimo Epiſcopo Cæſario & Attico Coſſ. ann. Chriſti 397. quinto Kalend. Septembris, quæ eſt in vulgata collectione 3. numero Synodus; quanquam plurima circa illũ numerũ excipiat Baronius Propoſita fuit illa quæſtio circa infantes à Donatiſtis baptizatos, & quamuis interuenientibus Legatis Prouinciç Mauritanæ Sitifenſis non fuerit ſoluta quæſtio, vti etiam aduertit Balſam. in can. 51 Magnæ Synodi Carthagin. & viſum fuerit duntaxat conſulere Siricium Romanum Pontificem, & Simplicianum Mediolanenſem, ſatis tamen oſtendit Synodus ſe eò propendere, *ne parentum error impediat*. quominus hi deinde *promoueantur ſacri altaris miniſtri.* Deinde in Synodo habita etiam Carthagine ab eodem Aurelio IV. Calend. Iulias poſt conſulatum Flauij Stilicchonis: incidit autem hic conſulatus in an. Chriſti. 400. ait Aurel. in priori Concil. ſtatutum fuiſſe, vt paruuli apud Donatiſtas baptizati nondum ſcire valentes erroris eorum interitum, minime impediantur, ne munus clericatus ſuſcipiant. Quare rogat, vt Legati deſtinati ad Anaſtaſium Romanum & Venerium Mediolanenſ. hanc Synodi voluntatem ipſis exponant vt ipſi ſuo ſuffragio eam comprobent. Quæ decreta deinde recitantur, probanturque in magna Synodo Carthaginenſi ab eodem Aurelio coacta poſt Conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. octauo Kalend. Iunias an. Chriſti 419. ad quam deſtinati fuerant à Zozimo Pontifice legati, Fauſtinus, Philippus & Aſellus anno ſuperiore, & hoc anno iam ſedente Bonifacio illi interfuerunt. Huic igitur Synodo probata ſunt antiqua illa decreta, de infantibus baptizatis ab hæreticis, cano. 47. & 57.

monium,eiúſque cauſam tuetur,vnde fit vt accuſator deſtitutis firmis probationibus damnetur pœna talionis,& mutilatione,aut morte, quam aduerſario procurabat ſua accuſatione.Ita ſentit idem Vgolin. ibid. n.7. Dias in practic.crimin.cap.98. n. 22. Auila diſp.5.ſect.2.dub.13. quia mors accuſatoris & pœna talionis ſequitur tantùm per accidens ad teſtimonium defendentis innocentiam accuſati.

His omnibus adde, non modò Clericum,qui in cauſa ſanguinis teſtificatur,fieri irregularem,ſi ex eius teſtimonio mors ſequatur, ſed etiam peccare,ſi id faciat abſque venia ſui ſuperioris, eo quòd rem ſibi prohibitam faciat,vti fuſiùs oſtendit Auila dub.13. cit. concl. 1. & nos alibi dicturi ſumus.

65 Secunda pars, nimirum excuſari teſtem ab irregularitate,quoties non poteſt omittere teſtificationem ſine peccato, ſiue quia tunc ius naturale obligat ad tuendam vitam innocentis, qui alioquin certò periturus eſt, ſiue quia præceptum ſuperioris ad ipſum obligat, vt iuſtè aliquando poteſt, propter varias circunſtantias, ſiue quia metu cogente in conſtantem virum premitur,illi, v.gr. intentatur mors, iam habendus eſt tanquam ſocius criminis,niſi rem totam, vti nouit,aperiat, atque ſuo teſtimonio reum opprimat; docetur à Kon. diſp.18.dub.10. Præpoſit. quæſt. 5. de irregul.num.105.Bonac.diſp.7.q.4. punct.3.num. 8. Et quod attinet ad obligationem ortam ex præcepto naturali, Auila ſect. 2. cit. dub. 12. & Henriquez lib.14.cap. 2. num. 9. atque apud Dian.4.part.tract.2.reſolut. 31.Mercer.& Cornejo in 3. part. contra Villalob. tom.1.tract.21.diffic.27. Vgolin. loco cit. n.3. Hurtad.diſp. 2. 2.diffic.11.Suarez diſp.47. ſect. 3. ſub fin.quamuis ægrè admodum videatur trahi in eam ſententiam. Ratio huius partis conſectarij reddita eſt in expoſitione primæ regulæ initio huius quæſtionis, Eccleſia enim non poteſt obligare ad faciendum aliquid,quod cum peccato coniunctum neceſſariò ſit, incitaret enim ad peccandum, & leges omnes poſitiuæ, maximè quando non obligant ad culpam, ceſſant obligare vrgente metu grauioris alicuius mali impedientis;rigidior enim eſſet illa lex,quæ vt leuis aliqua nota vitaretur, vellet nos capitis diſcrimen adire,præterquam, quod, vti argumentabamur in noſtra regula,non poteſt reperiri defectus lenitatis in eo concurſu ad mortem, qui non ſuſcipitur niſi coactè, coactione, quæ omnem noſtram liberam voluntatem antecedat,tunc enim reuerà primò & per ſe tendit voluntas ad ſatisfaciendum ſibi impoſitæ obligationi, aut ad amoliendum malum imminens, cuius metu incitatur, & ſecundariò tantùm tendit in rei punitionem. Quare plurimùm differt huius teſtis obligatio,aut neceſſitas ab ea,qua iudex aliíque miniſtri ſiue in ferenda, ſiue in exequenda pœna capitis conſtringitur ratione ſui officij & muneris; cùm enim liberè ſuſceperint illud officium, liberè quoque ſe in eam neceſſitatem induerunt,vti diximus eo loco; quare Suarez ſect. 3. vocat eiuſmodi neceſſitatem iudicis conditionatam,& non abſolutam, ſiue quoad ſpecificationem,ſiue quoad exercitium;ſi enim velit exercere iudicis officium,& ſecundùm leges iudicare, debet reum conuictum damnare,abſolutè tamen non cogitur eſſe iudex, cùm obligatio & neceſſitas teſtis in caſu, de quo loquimur, ſit prorſus abſoluta; obligatur enim

ſimplici

ſimpliciter ad teſtificandum. Quibus omnibus accedit, fore, vt ſi neceſſariò in iis etiam caſibus eſſet incurrenda irregularitas, ſæpè homines deſtituerentur teſtibus, atque ita ſua omitterent, & reorum crimina non modò manerent impunita, ſed neque damna tum Reip. tum priuati cuiuſque auerti poſſent, defectu probationum, plerique enim mallent non teſtari etiam cum peccato mortali, quàm notam irregularitatis incurrere; cùm alij miniſtri iuſtitiæ vix vnquam deeſſe poſſint propter lucrum, quod illis muneribus illigatum eſt; non placet verò, quod aliqui volunt, fieri ſolemnem proteſtationem à tali teſte, ne euadat irregularis; cùm enim docuerimus nullam omninò contrahi irregularitatem; eo caſu, neque erit ad illam vitandam neceſſaria vlla proteſtatio.

66 Tertia pars noſtri conſectarij erat, teſtem in cauſa ciuili & pro ſolo intereſſe accuſatoris, non fieri irregularem, etiamſi deinde mors rei conſequatur, & ſaltē excuſari proteſtatione eodem modo, quo ipſemet accuſator excuſatur. ita Vgolin cap. 7. n. 8. Ioann. de la Cruz 2. p. direct. de irreg. dub. 6. concl. 5. Kon. diſp. 18. num. 95. Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. num. 104. contra communem ſententiam. Ratio tamen mihi euidens apparet, cùm enim quidpiam alicui conceditur, cætera quoque omnia, quæ neceſſaria ſunt, ne conceſſio ſit inutilis, concedi ſimul cenſentur; atqui priuilegium factum accuſatori in quibuſdam caſibus accuſandi abſque metu irregularitatis ſaltem adhibita proteſtatione, eſſet ſæpiſſimè inutile, ſi teſtis non poſſet in eadem cauſa, & cum eadem proteſtatione teſtari, & Aduocatus accuſanti patrocinari, ſiue cauſam accuſantis agere, metu enim contrahendæ irregularitatis accuſator ſæpè deſtitueretur omni teſte & Aduocato, atque ita non modò nihil probare poſſet, & ſuum intereſſe recuperare, aut iniuriarum continuationem amoliri, ſed etiam aduersùs eum daretur actio calumniæ. Ne igitur ſit inanis tota ea venia facta Clericis à Bonifac. VIII. in c. 2. de homicid. in 6. dicendum eſt æquè excuſari teſtem atque accuſatorem, & in iiſdem omninò caſibus; quare ſicut accuſans criminaliter, inaniter proteſtatur; ita & teſtis in eadem criminali cauſa inutiliter proteſtabitur, tunc enim vtriuſque facto contraria eſt proteſtatio; in cauſa autem ciuili vterque excuſatur, quia vel neuter reuerà influit, cùm teſtis non teſtetur niſi de damno illato, & ad recuperandum intereſſe; de quo etiam tunc ſolùm queritur accuſator, & ſi proteſtatio in vno vtilis eſt, quia non eſt contraria facto, erit quoque in alio. Quare non benè obiicitur Bonifacium egiſſe tantùm de accuſatore, qui de ſuis malefactoribus queritur, non autem de teſte, qui queritur de alienis malefactoribus, nam non potuit agere de accuſatore, quin implicitè idem quoque ſtatueret de teſte & Aduocato. Denique ſapienter aduertit Vgolin. tum accuſatorem, tum teſtem agentem ciuiliter eſſe tantùm cauſas per accidens pœnæ ſanguinis, quam iudex deinde imponit, ac proinde non fieri irregularem, & ſaltem per proteſtationem ab illa liberari.

DIFFICVLTAS XVI.

An Aduocatus in cauſa ſanguinis ſit irregularis?

RESPONDETVR. Aduocatum ciuiliter agentem pro intereſſe tan- 67

tùm ſui clientis æquè atque ipſum clientem & accuſatorem accuſari ab irregularitate per proteſtationem, etiamſi deinde mors, aut mutilatio rei ſubſequatur. Aduocatus verò criminaliter agens ſola obligatione præcepti naturalis, aut ſuperioris tunc ineuitabiliter vrgentis, aut neceſſitate metus grauiſſimi inflicti immunis fiet ab irregularitate, erítque inutilis ipſi quælibet proteſtatio.

Hoc totum conſectarium ex doctrina ſuperioris ſequitur, cùm eadem ſit conditio Aduocati & teſtis hoc loco.

Dixi igitur primò Aduocatum in cauſa ciuili, aut criminali, quæ tamen ciuiliter tractatur, quia vel non meretur mortem, vel ſi eam mereatur, agitur tantùm coram iudice Eccleſiaſtico, vel etiamſi agitetur in tribunali laico, non diſceptatur, niſi de intereſſe ab accuſatore, ipſiuſque patrem non fieri irregularem ſaltem poſt proteſtationem, etiam in foro externo. ita DD. qui in teſte idem affirmabant, & repetit Vgolin. cap. 9. n. 2. eſtque allata ſuperiùs ratio, quia non concurrit tunc Aduocatus niſi per accidens ad mortem rei, ſicut neque actor, cuius partes ſuſtinet, & ius explicat, & agit tantùm ad illius damnum reparandum, neque magis iudicem ad punitionem incitat, quàm ipſemet actor; deinde, quia priuilegium conquerendi de ſuis malefactoribus cum expreſſa proteſtatione non expetendi pœnam ſanguinis, inutile omninò foret actori, niſi ad eius quoque Aduocatum extenderetur, vti oſtendimus.

Dixi ſecundò, Aduocatum in cauſa criminali criminaliter agentem eſſe irregularem ſubſequuta Rei morte; neque excuſari proteſtatione. ita communiter omnes, quos dabit Vgolin. cap. 9. num. 1. & alij, quia reuerà proximè influit in ſententiam capitalem, & pœnam per eam ſtatutam, eius itaque facto contraria foret proteſtatio, ac proinde inutilis, neque fuſiori probatione hac in re opus eſt.

Dixi tertiò, Aduocatum agentem aduersùs reum in cauſa criminali excuſari ab irregularitate, quoties eam accuſationẽ ſuſcipit neceſſitate compulſus, quia ſine peccato non poteſt illam cauſam abiicere, aut quia vrgetur metu impendentis ſibi damni, ſi ſuum officium deneget, vti de teſte cum adductis eo loco DD. dicebamus.

Dixi quartò, vt Aduocatus in cauſa criminali contrahat irregularitatem debuit ſua aduocatione concurrere in mortem, aut mutilationem rei, ſi enim nulla fuerit habita ratio illius actionis à iudice, reuerà illi non poterit adſcribi mors conſequens, vt patet, atque ex his ſoluuntur duæ vulgares.

Prima eſt, an Aduocatus iuſtè reũ defendens, ſi accuſator mulctetur pœna talionis, atq; ita mutiletur, vel occidatur, fiat irregularis, quam quęſtionem difficilẽ dixit Couar. & ſanè illam Canoniſtę ſuis diſſidiis implexam reddiderunt: his omnibus omiſſis, exiſtimo imprimis Aduocatũ agentem pro rei defenſione, nõ fieri irregularẽ, ſi accuſator puniatur, modò ipſe non petierit in ſua actione punitionem calumniæ; quia reuerà tunc eſt cauſa tantùm per accidens mortis accuſatoris, qui ſibi ipſis debet adſcribere eam punitionem. ita Couarr. in Clem. de homicid. 2 p §. 5. num. 6. Vgolin. cap. 9. §. 1. num. 2. Turrian. de cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub. 3. Vaſquez allegans, atque alij recentiores, neque inter Clericos, aut laicos Aduocatos diſtinguendum eſt, vti facit Panorm. in c. ſententiam. ne Clerici, vel Monachi. 68

Cùm

Cùm reuerà vnus non magis ſit cauſa mortis accuſatoris ſua aduocatione, quàm alter; neque etiam Clericus vacet rei illicitæ, Eccleſia enim innocentium defenſionem permittit, & quamuis ea Aduocatio illicita foret Clerico, ſi tamen cauſa non fuit mortis accuſatoris, non faceret Clericum irregularem, vt ex iis, quæ q. 2. diximus, ſatis conſtat.

Exiſtimo ſecundò cum Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. num. 104. non videri improbabile Aduocatum reo innocenti patrocinium exhibentem, poſſe obiicere crimina accuſatori, eiúſque calumniam, ſi id neceſſarium ſit ad defenſionem Rei grauiter alioquin periclitantis, & licèt deinde accuſator ob ea crimina puniatur, non tamen hunc Aduocatum habendum eſſe irregularem, ſaltem poſt factam proteſtationem, quia licet Aduocato, quod liceret ipſi reo innocenti in iuſtam ſui defenſionem, neque magis fier irregularis, quàm fieret in tali caſu, qui ad ſeruandum proprium caput, accuſatori obiiceret calumniam, aliáve crimina, modò non intenderet illorum punitionem, ſed ſui defenſionem.

Altera quæſtio eſt, an ſi accuſator, aut reus puniatur ex imperitia ſui Aduocati, ille Aduocatus ſit irregularis. Sed hæc controuerſia iam fuit explicata in ſecunda quæſt. de homicidio caſuali, ex dictis in eo loco; certò conſtat Aduocatum cuius culpa mortali ſequitur mors clientis, fieri irregularem ex homicidio caſuali, & non tantùm ex defectu perfectæ lenitatis.

* * *

DIFFICVLTAS XVII.

Quinam alij miniſtri iudiciorum fiant irregulares?

RESPONDETVR eos omnes, qui ad ſententiam capitis eiúſve exequtionem proximè & notabiliter concurrunt, fieri irregulares defectu lenitatis. ita ſentiunt omnes quia ſub hac irregularitatis nota prohibentur Clerici agitare cauſas ſanguinis, ad illáſque concurrere, vti diximus initio huius conſectarij ſeptimi; atqui ea generali prohibitione omnes, qui verè & propriè ad eas cauſas concurrunt, continentur. 69

PRIMÒ igitur publicus ſcriba, ſiue Notarius, aut Tabellio in cauſa criminali ſcribens acta iudicaria ſequuta morte, fit irregularis. gloſſa in cap. 1. d. 51. v. ad ſacerdotium. Verè enim ad ſententiam deinde conſequentem notabiliter influit, cum illa non pronuncietur, niſi ex illis actis. Quare leuis eſt illa quæſtio, an Notarius fiat irregularis, quando eius ſcripta authentica non ſunt, ſed veluti à priuata perſona; negat enim Innoc. in cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi; affirmat autem ibidem Panorm. falsò allegans eundem Innocent. Eſtque ea communior DD. opinio, verùm rectè dixit Vgolin. videndum eſſe, an ea ſcripta quamuis non authentica, contulerint aliquid notabiliter ad mortem, quia ex illis deſumptæ ſunt aliquæ probationes, aut inquiſitones, aliáve eiuſmodi, & tunc ex illis incurritur irregularitas, morte ſubſequuta: ſi autem nihil ad illam contulerint eiuſmodi acta, non facient irregularem; quod idem dico de priuata perſona acta iudicaria ſcribente, quia reipſa influit in mutilationem, aut mortem. 70

Secundò. Scribens litteras iuſſu alterius, aut ipſo dictante, quibus mandatur iudici, vt quempiam occidat, eſt irregularis, quia iuuat ad illud homicidium; quare ſcriptio eiuſmodi litterarum prohibetur in cap. ſententiam, cit. & ideò Nauarr. conſ. 16. de homicid. ſecretarium quendam ſimili de cauſa contraxiſſe irregularitatem reſpondit; ſi tamen in his litteris iuberetur tantùm captio alicuius, nullaque fieret mentio pœnæ capitalis, quæ ex ea captione tandem ſequuta fuit, dubitant DD. quorum diuerſas ſententias refert Vgolin. cap. 8. §. 1. num. 2. Ego exiſtimo non fore irregularem, ſi non potuit, aut debuit ſuſpicari eam captu tam mandari ad punitionem ſanguinis, quia qui dictauit, aut ſcribi mandauit, erat iudex cauſarum criminalium, non fieri irregularem, neque inter laicum, & Clericum ſcribam diſtinguendum eſt, vt malè contendit Vgolin.

Tertiò. Clericus qui iuſſu iudicis legit litteras, quibus illi mandabatur cognoſcere de crimine alterius, non fit irregularis, quamuis iudex eo præſcripto illarum litterarum damnet capite. ita additio ad Panorm. in cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi num. 14. litt. B Vgolin. cap. 8. §. 2. ſaltem quando neſciebat illud mandatum iis litteris contineri. Layman cap. 7. lib. 3. tract. 3. 3. part. quia nihil, vel non niſi leuiter admodum concurrit ad mortem rei, iudex enim egit ex mandato Principis, non ex illa actione; quare neque ille lector, neque delator litterarum videtur irregularis; quod autem à Ioan. Andr. & Hoſtienſ. obiicitur, futile eſt, neque etiam certò conſtat Clementem IV. contrarium reſpondiſſe, vti obſeruat Vgolin. loco citato.

Quartò. Procurator, ſiue Syndicus accuſatoris, hunc enim conſtitui poſſe potiùs habetur ex communi praxi, quàm ex iure, probat Iulius Clarus in pract. crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 32. fit irregularis eo caſu quo ipſemet accuſator, cuius vices agit, fieret, quia reuerà tunc concurrit ad mortem rei; non placet tamen, quod Vgolin. cap. 10. numero 1. negat Procuratori vtilem fore proteſtationem, etiamſi eximat accuſatorem ab irregularitate; cùm enim non alio modo procurator influat in mortem, quàm actor, cuius perſonam ſuſtinet, vtrique erit vtilis, aut inutilis proteſtatio, iam enim ſæpiùs reiecimus, quod reperit ibidem Vgolin. proteſtationem prodeſſe tantùm vbi quis rem ſuam agit, & non alienam, vti facit Procurator, ſi vniuerſitas conſtituerit procuratorem ad cauſam criminalem, & incurratur irregularitas, à procuratore, incurretur quoque ab omnibus, & ſingulis, qui conſenſerint in creando illo procuratore, & cauſa criminali proſequendo; neque enim vniuerſitas poteſt fieri in ſe irregularis, cùm ſit perſona quædam ficta, cui effectus irregularitatis conuenire non poſſunt. conſule Vgolin. c. 10, citato.

Quintò. Lictores, qui reum capiunt, compingunt in carcerem, inque cuſtodiunt, torquent ad exprimendam veritatem, ducunt ad patibulum, ne fugiat, aut ne ab amicis liberetur, ſequuta Rei tandem morte, fiunt irregulares, ex communi DD. ſenſu, quia reuerà hi omnes iuuant ad cædem, aut mutilationem, ſuntque veræ eius cauſæ, quamuis in diuerſo fortaſſis genere.

Sextò. Lictor, qui gulam frangit reo, aut aliam mortem infert, irregularis fit, vt & ij omnes, qui ipſum iuuant

iuuant, vt qui ſcalas applicant, aut funem porrigunt, ſiue trahunt, non autem qui funes, aut ſcalas fabricati ſunt, hi enim non niſi admodum remotè concurrunt, qui ſtruem lignorum congerunt, aut incendunt ad viuicomburium, fiunt irregulares; ſecùs verò qui ad cadauer tantùm cremendum, quod aliàs quoque monuimus, & notat cum aliis pluribus Vgolin. cap. 11. §. 2. num. 5.

75 Septimò. Qui notabiliter mortem rei ſuo facto accelerant, fiunt irregulares, quod in aliis quoque irregularitatibus ex diuerſis homicidiis contingit, docentque hoc loco Sylu. verb. homicidium, 3. q. 2. Nauarr. cap. 27. num. 209. Couarr. in Clem. de homicid. 2. part. §. 4. num. 2. Vgolin. cap. 11. §. 3. num. 1. & alij, quia hi reuerà influunt in mortem Dixi tamen notabilem debere eſſe hunc influxum in eam accelerationem. Itaque que hortatur vt reus ducatur per aliā viam breuiorem, vt vitet infamiam, quam in alia populoſa ſubiret, non fit irregularis, ex Henriq. cap. 12. n. 7. & Auila dub. 1. ſect. 2. diſp. 1. Layman cap. 7. cit. qui inſtigat iumentum, quo vehitur reus, qui illum equo vehi vult, ne itinere fatigetur. Qui dum illum hortatur, dicit: Eia properemus alacriter, atque ita hortatur ad celeriorem greſſum; qui dicit carnifici, ſe iam eſſe functum ſuo munere, reumque ritè diſpoſitum eſſe; quare nihil eſſe, quod ipſum moretur; qui pulſant campanas, quo moneatur populus, aliquem eſſe ſuſpendendum; qui rudem carnificem docet modum aptandi, aut nodandi funis in genere tantùm), immò qui dicit reo, vt vnum, aut alterum gradum ſcalæ aſcendat, non fiunt irregulares, vti ex Auila, & Henriq. colliges. quia hi omnes vel tantùm per accidens concurrunt ad celeriorem Rei mortem, vel non niſi admodum leuiter, ita vt in prudenti hominum æſtimatione non magni fiat illa tam exigua cooperatio.

Vulgò tamen Vgolin. cap. 11. cit. §. 3. & ſeq. Bonac. diſput. 7. quæſt. 4. punct. 1. num. 9. & alij damnant irregularitatis eum, qui hortatur reum, vt aſcendat ſcalas, aut cultro ſupponat caput, aut laqueum induat. Mihi videtur imprimis ex nullo ſatis aperto iure hoc colligi. Secundò, hanc omnem cooperationem eſſe admodum exiguam, neque in communi hominum perſuaſione pugnare cum lenitate, ex qua potiùs oritur, neque enim fit ex deſiderio mortis citò inferendę, ſed liberandi Rei à diuturniore vexatione. Tertiò fit hæc cooperatio à non cogitantibus perſæpè. Quartò, non eſt directa cooperatio, ſed per accidens, conſulitur enim reo, ſcalam aſcendat, ne maiori incommodi vi raptetur. Supponat ſecuri ceruicem, ne ſi alioquin erret manus lictoris, pluribus ictibus non ſine magno dolore percutiendus ſit, gulam lubens laqueo induat, ne diutius torqueatur; in quibus omnibus nihil eſt, quod per ſe & directè tendat ad mortem accelerandam, ſed ad ſubleuandum reum; quod idem de quibuſdam aliis dicendum exiſtimo. Itaque cùm hæ actiones non contineant propriam & directam cooperationem ad mortem Rei, non cenſerem illas inuehere irregularitatem.

Ratio vniuerſaliſſima eſt, quia licèt Eccleſia propter ſolum defectum manſuetudinis induxerit hanc notam irregularitatis, neque noxam vllam ſupponat, ſed tantùm indecentiam, quæ ex tali actione, quamuis alioquin laudabili, deriuatur in ſacros miniſtros, quos eximia manſuetudine

prædìtos

QVÆSTIO I.

De irregularitate, quæ ex prauo vſu Sacramentorum contrahitur.

Prima propoſitio, de irregularitate ex iteratione alicuius Sacramenti. n. 1.
Prima pars, ſolius Baptiſmi iteratio facit irregularem. num. 2.
Difficultas. De reconfirmatis ex Capitularibus. num. 3.
Secunda pars propoſitionis. Iteratio Baptiſmi debet eſſe culpabilis. n. 5.
Tertia pars propoſitionis. Quinam contrahant irregularitatem ex rebaptizatione. num. 6.
Quarta pars propoſitionis. Qualis ſit irregularitas ex iteratio Baptiſmo. n. 7.
Confectarium primum. An ignoranter rebaptizatus, aut rebaptizans ſit irregularis. num. 8.
Confectarium ſecundum. An qui ſcit ſe fuiſſe rebaptizatum, fiat irregularis, ſi ratum habeat Baptiſma. n. 9.
Confectarium tertium. An ex ficta iteratione Baptiſmi contrahatur irregularitas. n. 10.
An qui metu coactus rebaptizat, ſit irregularis. num. 11.
Confectarium quartum. An rebaptizatio ſub conditione faciat irregularem num. 12.
Confectarium quintum. An ex iteratione aliorum Sacramentorum ſequatur irregularitas. num. 13.
Secunda propoſitio. De irregularitate ex illicita ſuſceptione Sacramentorum. num. 14.
Dubium primum. An baptizatus ab hæretico ſit irregularis. n. 15.
Dubium ſecundum. An ficte baptizatus, aut in articulo mortis, ſit irregularis. num. 16.
Soluuntur varij caſus. num. 17.
Dubium tertium. An ſuſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui. num. 18.
Dubium quartum. An ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, hæretico, degradato, &c. ſit irregularis. num. 19.
Dubium quintum. An Ordinatus ab alieno Epiſcopo, aut ante legitimam ætatem, aut ſtatuta tempora, aut non ſeruatis interſtitiis, ſit irregularis. num. n. 20.
Dubium ſextum. An qui per fallaciam, aut ante confirmationem, aut alio modo furtiuo ſuſcipit Ordines, ſit irregularis. n. 21.
Tertia propoſitio. De irregularitate ex ſacrilega Ordinum vſurpatione. numero 22.
Prima pars propoſitionis. Vſurpatio Ordinis facit Clericum irregularem. num. 23.
Secunda pars propoſitionis. Qualis ſit iſta irregularitas. num. 24.
Cõſectarium primum. An Clericus vſurpans Ordinem ſacrum fiat irregularis. n. 25.
Conſectarium ſecundum. An Clericus adminiſtrans Sacramenta ſine Ordine neceſſario, ſit irregularis. n. 26.
Conſectarium tertium. An per ſaltum promotus fiat irregularis exercendo actum Ordinis omiſſi. n. 27.
Conſectarium quartum. An ſimplex Clericus exercens actus minorum Ordinum ſit irregularis. num. 28.
Conſectarium quintum. An Clericus non ordinatus exercens ea, quæ ſunt iuriſdictionis, fiat irregularis. n. 29.
Conſectarium ſextum. An miniſtrans in Ordine, quem cum aliquo defectu ſuſcepit, fiat irregularis. n. 30.
Quarta propoſitio. num. 31.
An qui celebrat ſine Altari conſecrato. num. 32.

An fauens raptoribus. n. 33.
An celebrans Miſſam defunctorum pro viuente. n. 34.
An conficiens Eucharistiam omiſſo Miſſæ ritu. num. 35.
An Epiſcopus ordinans per ſaltum Clericum. n. 36.
An Cardinalis à paucioribus electus, & Papatum vſurpans. n. 37.

NON contrahitur irregularitas propter quemcunque prauum vſum Sacramentorum; cùm enim hæc pœna grauiſſima ſit, & ſpectet ad ſanctitatem, quam Eccleſiæ miniſtri in muneribus ſacris ſeruare debent, vt illa decenter exerceant, non violatur ea ſanctitas, & decentia quocunque crimine, ſacrilego Sacramentorum vſu. Itaque Eccleſia, quæ in his ſuis legibus externam tantùm ſanctitatem attendit, etiamſi non illam ſolam in ſuis miniſtris deſideret, paucos duntaxat caſus expreſſit, in quibus voluit contrahi irregularitatem; nobis autem non licet alios aſſignare, cùm irregularitas non imponatur ab homine, ſed à ſolo iure, vti initio huius libri monuimus.

PRIMA PROPOSITIO.

De irregularitate ex iteratione alicuius Sacramenti.

1 STATVENDVM igitur eſt primò, ſolius Baptiſmi culpabilem iterationem facere irregularem tum rebaptizatum, tum rebaptizantem, eiúſque miniſtrum, cum aliquo tamen diſcrimine; irregularitas enim rebaptizati eſt totalis, rebaptizátis autem eiúſque miniſtri eſt ſolùm partialis; prior illa incurritur propter quamcunque rebaptizationem culpabilem; poſterior iſta propter ſolam rebaptizationem publicam.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

PRIMA PARS.

Solius Baptiſmi iteratio facit irregularem.

DIFFICVLTAS hoc loco ſolùm eſſe poteſt de tribus Sacramentis initerabilibus, aliorum enim iteratio cùm pia & licita ſit, non debuit hac pœna puniri; certum autem eſt, irregularitatem, de qua agimus, hoc loco pœnalem eſſe; ex tribus itaque Sacramentis initerabilibus, Baptiſmo nimirum, Confirmatione & Ordine, vti ſuppono ex iis, quæ late diſputabimus tertia parte ſcientiæ canonicæ.

DIXI, ſolius Baptiſmi iterationem culpabilem puniri irregularitate contra gloſſam in cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. & Archidiac. ibi, atque aliis locis. Rich. in 4. d. 7. art. 7. q. 1. Ioan. Maior ibid. Hoſtienſ. in ſumm. tit. de Sacrament. non iterandis §. vlt. num. 12. ſub fin. atque alios plures adductos à Couarr. in Clem. ſi furioſus, prima parte init. num. 8. quibus adhæſit Maiol. lib. 3. cap. 15. & pauci quidam alij, quos reiiciunt Scot. Paludan. & magno numero recentiores apud Couarr. loco cit. & Say. lib. 7. cap. 8. num. 27. quos ſequitur Auila diſp. ur. 7. dub. 5. Suar. 3. part. tom. 3. diſp. 38. ſect. 1. quoad Sacramentum Confirmationis: quoad Sacramentum autem Ordinis tom. 5. diſp. 45. ſect. 4. num. 6. Quoad vtrumque verò Sacramentum Hurtad. Kon. Præpoſit. aliique quos numerare ſuperfluum foret.

foret. Ratio perſpicua eſt, quia in iure irregularitas ex iteratione Baptiſmi manifeſto traditur; ex iteratione autem Confirmationis & Ordinis nullibi reperitur expreſſa. De iterata igitur Baptiſmi ſuſceptione ita definiuit Leo epiſt. 3. ad Ianuar. Epiſcopum Aquilit. vbi iteratam tinctionem vocat Felix III. ep. 6. Carthagin. Synod. V. c. 11. Toletan. IV. cap. 18. vti ſigillatim explicabitur ſtatim. De iterata autem Confirmatione & Ordinatione quoad eandam irregularitatem mirum in iure ſilentium eſt. Vnde quoad Confirmationis iterationem, noſtram ſententiam iuri conformiorem eſſe dixit Nauar. cap. 27. num. 267. quamuis contraria ſit iam vſu recepta: ſed illum vſum minimè probat Nauar. & parum appoſitè omnino afferunt aduerſarij Conc. Tarracon. can. 6. vti citatur a Gratian. cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. Iuone prima parte cap. 244. & Burchard. lib. 4. cap. 50. Cùm tamen nihil tale in Concil. Tarraconenſi hactenus edito reperiatur. Sed in Cabilon. II. cap. 27. imperante magno Carolo, vbi tantùm habentur iſta, *vnde nobis viſum eſt eandem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum iterari minimè debere.* Ex quibus non licet colligere iterationem Confirmationis puniri irregularitate, ſicut & iterationem Baptiſmi, cùm Concilium non dicat vtramque iterationem eâdem pœna prohiberi, ſed vtramque vſurpari non debere: verba porro, quæ à Gratian. & Iuone adduntur, *Quæ bis, vel amplius baptizatis, aut confirmatis non ſæculo, ſed ſoli Deo ſub habitu regulari, vel clericali religioſiſſimè famulari decretum eſt*, non leguntur in Conc. Cabilonenſi, ſed aliunde aſſuta ſunt, nimirum ex addit. 3. ad Capitularia Francor. cap. 26. Ex quibus tamen non video, qua ratione colligant aduerſarij irregularitatem, cùm potius inde contrariam erui poſſit, vti obſeruauit Alphonſ. à Caſtro lib. 1. de lege pœnal. cap. 7. documento 3. §. ex ratione huius tertij documenti. In his enim verbis præcipitur clericalis officij exercitium, nam optimus & perfectiſſimus famulatus, qui in habitu clericali, vel regulari Deo exhiberi poteſt, conſiſtit in miniſterio Altaris, quod irregulares exercere non poſſunt.

Manet tamen grauis difficultas, 3
quam à Caſtro, Suar. diſput. 38. cit. ſect. 1. & alij diſſimularunt; ſi enim ex eo, quod iterum confirmati diuino famulatui ex decreto Eccleſiaſtico addicantur ſub clericali, vel regulari habitu, benè colligimus hos non fieri irregulares, ſed potiùs ad clericalia miniſteria admitti, idem omninò dicendum fuerit de rebaptizatis. Quare non modò non fient irregulares, ſed mancipabuntur diuinis & ſacris miniſteriis; capitulum enim illud, *Bis, aut amplius baptizatis, aut confirmatis*, vtroſque comprehendit, gloſſa in cap. dictum, de conſecrat. diſt. 5. hunc habitum clericalem intelligit ſub clauſura in pœnam, cui conſentit Maiol. lib. 3. cap. 15. num. 2. Verum hæc expoſitio pugnat cum ipſo textu, neque enim, qui in pœnam compingitur in Monaſterium, dicitur, *Deo ſoli ſub habitu clericali, aut regulari religioſiſſimè famulari.* Neque hæc verba loquuntur de ſola veſte clericali, vti exponit gloſſa, ſed de religioſiſſimo famulatu in illa veſte, & nuſquam ibidem fit mentio clauſuræ, quam gloſſa affingit.

In re admodum implexa fateor imprimis, ex eo quidem textu Capi-

tular. & Canonis Cabilon. non colligi irregularitatem ex iteratione Baptiſmi, vti benè obiiciebatur. Secundò aio varios fuiſſe hac in parte diuerſarum Eccleſiarum mores,& quãuis per iterationẽ Baptiſmi ſemper execrata fuit Eccleſia, vt ex PP. & Conc. oſtenditur, de conſecrat. diſt. 4. Quare Auguſtin. ep. 203. ad Maximinum vocat immaniſſimum ſcelus, & Leo epiſt. 37. inexpiabile facinus, & Clem. Roman. lib. 6. conſtitut. cap. 15. pluribus damnat impietatis. Non tamen ſemper eadem pœna illud facinus caſtigauit Eccleſia, vti in epiſt. 1. Fœlicis III. videre eſt. Tertiò exiſtimo iterationem Baptiſmi duobus modis vſurpatam fuiſſe, aliquando enim id faciebat ex hæreſi rebaptizantium hæreticorum,& Donatiſtarum,de qua loquuntur Auguſt. Leo, & Africana maximè Concilia, & quæ fiebat ſciente tum rebaptizato, tum rebaptizante, eámque rebaptizationem neceſſariam ad ſalutem contẽdedant hi hæretici:aliàs verò vel ex ignorantia, vel ex ſimplici credulitate,vel alio prauo fine,quàm quòd primum Baptiſma etiam ab hæreticis collatum inualidum fuerit; quamuis autem hanc quoque Baptiſmi iterationem tanquam ſacrilegam damnàrit Eccleſia; non tamen grauibus adeò pœnis illam mulctauit, ſed vel eas arbitrio Epiſcopi imponendas permiſit, nullas verò certas ſua lege ſtatuit,vt appareret in illo Canone Cabilonenſi, vel aliquas præſcripſit, vt in Capitularib. loco citato; nam ibi agi de hac rebaptizatione,& reconfirmatione, quæ non fiebat ex hæreſi rebaptizantium,inde mihi perſuadeo, quòd ea fieret ignorantibus Epiſcopis,qui neſciebant fuiſſe iam aut baptizatum, aut confirmatum; cùm ii, qui ex Donatiſtarum inſana ſuperſtitione rebaptizabantur, id palàm profiterentur, vt conſtat. Quartò fuit etiam aliqua pœna, quamuis non irregularitatis, quòd quis clericalem, aut regularem habitum indueret, atque ita ſæculo abrenuntiare cogeretur, viguítque ille mos diutiùs, maximè in Gallia, vt aliqui in Monachos,autClericos attenderentur; quod ex variis rerum noſtrarum monumentis certiſſimum eſſe conſtat. Clodouæus enim Charaticum eiuſque filium, qui Siagrio fauerant, vinctos totondit, & patrem in Presbyterum, filium in Diaconum ordinari iuſſit. Apud Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. cap. 41. Childebertus etiam & Clotharius dum filios fratris Clodomiri regno priuare vellent, ad Chlotildem Reginam, quæ illos alebat, in ſpem regni miſerunt, Archadium cum forcipe & euaginato gladio, vtrùm eos inciſis crinibus viuere iuberet, an gladio interfici; quæ reſpondit, *ſatius ſibi eſſe, ſi ad regnum non erigerentur, illos mortuos videre, quam tonſos.* Turri. lib. 3. cap. 17. Atque hoc ipſo tempore conditæ legis, quam exponimus,Carol. Magnus Taſſelonem Boiariæ Ducem cum Theodone filio capite damnatos propter accitos Hunnos attondit in Monachos; quod narrat Aimoin. lib. 4. cap. 80. Hanc igitur pœnam exiſtimo imponi iis,qui denuò baptizantur, aut confirmantur Epiſcopis ignorantibus & Capitularium lege, vt ſæculo abrenuntiare cogerentur, & Clericatum, aut Monachiſmum amplecti.

4 Quod attinet ad Ordinis iterationem, ex ea naſci irregularitatem exiſtimarunt aliqui ex iis ipſis, qui negabant,

negabant ex repetita confirmatione contrahi, vt Vgolin.cap.35.§.5. qui & alios adducit, quia cap. ſaluberrimum 1. q.7. Hæreticis conuerſis ad fidem permittitur in Ordine, quem habebant, miniſtrare, *niſi iterata vnctione fuerint maculati.* Si igitur bis vncti, & ordinati fuerint, non poterunt in ſuis Ordinibus miniſtrare, atque adeò erunt irregulares, vti ibid. obſeruat gloſſa verb. maculati. Sed male tum hoc caput, tum eius gloſſam affert Vgolin. eſt enim ea conſtitutio Leon. ep.3. ad Ianuarium, aut, vt alij codices habent, Iulianum Aquileienſem, vbi ita iubet Clericos, qui ſe vtcunque hæreticæ communionis contagione macularunt, ad fidem redeuntes ſuſcipi poſt errores, & eorum authores à ſe damnatos. *Vt in magno habeant beneficio ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inuenia tur ordine, ſtabili tate perpetua maneant, ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* Quare malè legit Vgolin. *iterata vnctione.* Non loquitur itaque Leo de ordinatione Clericorum ab hæreticis, ſed de rebaptizatione, vti etiam explicat gloſſa, quã falsò allegauerat Vgolin. Quare inde potiùs colligeremus ex reordinatione non contrahi irregularitatem; quandoquidem iſti Clerici permittuntur in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, modò non fuerint iterata tinctione, id eſt, Baptiſmo maculati, nihilque aliud excipitur; quanquam neque eo argumento noſtram ſententiam confirmare placeat; quandoquidem hæretici Clerici ſemper admiſſi ſunt cum aliqua pœna, quam hoc loco decernit Pontifex ex veteri omninò iure, vti dicemus part. 6. huius ſcientiæ, ne ad vlteriores gradus aſcendant, ſuos tamen retineant, quæ eſt non leuis indulgentia, excipit tamen, vt qui rebaptizati fuerint, ne quidem in Ordinibus iam ſuſceptis miniſtrent, eo quòd ea tunc Donatiſtarum hæreſis ſerperet; non meminit verò iteratæ ordinationis, quia quamuis ea quoque tunc ab hæreticis vſurparetur aliquando, non tamen niſi ipſum quoque Baptiſma, denuò contuliſſent, quod & frequentiùs fiebat.

Cùm igitur nullibi ſtatuatur irregularitas propter iterationem Ordinis, ea inducenda non eſt.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Iteratio Baptiſmi debet eſſe culpabilis.

DIxi ſecũdò hanc Baptiſmi itera- 5
tionem debere eſſe culpabilẽ, vt inducat irregularitatem cõtra quoſdã apud Couar. in Clem. ſi furioſus 1. p. mir.n.8. qui exiſtimãt per ignorãtiam non impediri hanc irregularitatem, de quibus dicam in conſectariis. Probatur verò noſtra propoſitio quia vbi imponit hanc irregularitatem ſiue rebaptizanti, ſiue rebaptizato, ſemper requirit culpam, & de rebaptizante quidem id apertum eſt epiſt. Alexand. III. inferiùs alleganda, vbi ſacrilegium & res nefanda nominatur hæc rebaptizatio, & punitur Acolythus, quia ei cooperatus eſt; in baptizato autem exigi culpam, conſtat ex pœnis, quæ vnà cum irregularitate quondam imponebantur ipſi, vti habemus in e 6. epiſtolæ Fœlicis III. quam integram refert Iuo 2.p.cap 293. Probant etiam Suar.diſp.31. ſect.6. tom. 3. in 3.part. & alij paſſim, quia in Conc. Afric.c. 14.& 24 vti mẽdosè allegat Gratian.c. placuit, & c.qui apud 1 q.4. infãtes baptizati ab hæreticis non fiũt irregulares, vbi deinde adulti ab errore diſceſſerint; inde enim colligitur, neque in-

fantes rebaptizatos fieri irregulares; non enim maior eſt indecentia in rebaptizatione, quàm in Baptiſmo ab hæreticis collato; immò veteres canones non puniunt tam rigidè rebaptizationem, niſi propter hæreſim rebaptizantium; quibus conſentiebant qui ſe baptizari permittebant. Sanctitas quoque Sacramenti non magis violatur in rebaptizatione, quàm in ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis collato; immò veteres canones non puniunt tam rigidè rebaptizationem, niſi propter hæreſim rebaptizantium; quibus conſentiebant, qui ſe baptizari permittebant. Sanctitas quoque Sacramenti non magis violatur in rebaptizatione, quàm in ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis, immò minus, nam in rebaptizatione nullum fit Sacramentum; quare neque propriè violatur ſanctitas Sacramenti: at verò in collatione Baptiſmi ab hæretico reperitur verum Sacramentum, atque adeò gratia efficax, ſi nullum reperiat obicem in ſuſcipiente, vti ſæpe nullum reperi in infante, & tamen ab indigno miniſtro conficitur non ſine graui iniuria, vti latè dicemus alibi. Si igitur irregularitas ex rebaptizatione oriatur propter ſolam indecentiam, eodem modo illa, quæ ex ſuſceptione Baptiſmi ab hæreticis contrahitur, ex ſola indecentia etiam non culpabili exurgeret. Verùm hic argumentandi modus à paritate rationis ſæpiùs à nobis reiectus eſt in his pœnis, aut inhabilitatibus, quia quæcunque indecentia non parit irregularitatem, ſed ea tantùm, quam leges Eccleſiaſticæ voluerunt habere hunc effectum; quare etiamſi indecentia, quæ eſt in ſuſceptione Baptiſmi ab hæretico non faciat irregularem, niſi ſit culpabilis, & ideò infantes eum minimè contrahant, non proptereà tamen indecentia, quæ eſt in rebaptizatione, id non faciet, & requiret culpam. Dici tamen poteſt iura æquiparare has duas ſacrilegas tinctiones, & eodem modo excludere ab Eccleſiaſtica militia rebaptizatos, atque baptizatos ab hæreticis; quare aut in vtroque caſu requiritur culpa, aut in neutro neceſſaria eſt, vt ſtatim expendam: iis igitur omnibus omiſſis vera ratio noſtræ aſſertionis eſt, quia nullibi dicitur in iure ex rebaptizatione inculpabili quempiam fieri irregularem; ſed ſemper contrarium potiùs innuitur ex pœnis adiunctis illi irregularitati, à quibus etiam pœnis eximebantur infantes rebaptizati, vt manifeſtum eſt ex epiſt. 6. Fœlicis III. iubet enim expendi, *Verùm quis ad hoc facinus concurrerit, an impulſus acceſſerit, & vt ſeruata diſcretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapſi ſunt, lance penſentur,* addit, *neminem ad ſecundam tinctionem venire poſſe, niſi ſe palàm Chriſtianum negauerit, & profeſſus fuerit eſſe paganum*, quod in Eccleſiæ, vti appellarat, *ſummitatibus*, id eſt præcipuis Sacrorum miniſtris, vti ſingillatim explicat, *auditu dictúque probatur horrendum*; quare hos omnes, *vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia iacere*, iubet, & ne quidem orationi Catechumenorum intereſſe, atque laica tantùm communione in morte donari, quibus verbis, vti aliàs explicuimus illos deponit, & è clero in laicorum pœnitentiam numerum abiicit: Monachos autem Clericos, puellas Dei, id eſt, Deo dicatas, aut etiam ſæculares eadem pœna plecti imperat, quâ Nycena Synodus lapſos puniuit, ita vt ſi nulla neceſſitate compulſi hæreticis ſe rebaptizandos impiè tradiderint, tribus annis inter audientes ſint,

ſeptem

ſeptem verò inter pœnitentes manibus Sacerdotum ſubiaceant, duobus annis oblationes nullo modo ſinantur offerre, ſed tantummodò popularibus, ſiue ſæcularibus in oratione ſocientur, qui titus expoſiti ſunt diſquiſit. 3. de clauſura regulari, & in ſcientia canonica. *Pueris autem, quibus, quod adhuc in veſte ſunt, à puritate vocabulum eſt, ſeu Clericis, ſeu laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt, nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à eversione cenſura.* Aliorum verò, qui violentia, vel periculo coacti iterationem Baptiſmatis ſubierint, pœnas admodum minuit, vtpote qui minoris culpæ rei fuerint.

Dices. Verba ſequentia manifeſtò pugnare nobiſcum, *per omnia* enim, id eſt, ſuper omnia cuſtodiri illud vult, *ne vnquam, qui in quolibet ætate alibi, quàm in Eccleſia Catholica baptizati, aut rebaptizati ſunt, ad Eccleſiaſticam militiam prorſus permittantur accedere.* quibus verbis imponit irregularitatem etiam infantibus rebaptizatis, quandoquidem nullam excipit ætatem, ac proinde non exigit culpam ad hanc iteratam tinctionem, vti appellat.

Reſpondeo, Fœlicem I I I. hanc ſuam epiſtolam ex Synodo Romana ann. Chriſti 487. ſcripſiſſe ad Africanos, in cauſa eorum, qui in perſecutione Hunnerici Regis lapſi ab Arrianis rebaptizati fuerint & deinde reddita Eccleſiæ pace a Gundabundo in Catholicam communionem recipi poſtulabant. Videtur autem, quæ iam in Conciliis Africanis circa ſimilem cauſam rebaptizatorum à Donatiſtis ſtatuta fuerant, confirmaſſe, aut innouâſſe. In Concilio autem Carthaginen. Præſide Aurelio eiuſdem ciuitatis nominatiſſimo Epiſcopo Cæſario & Attico Coſſ. ann. Chriſti 397. quinto Kalend. Septembris, quæ eſt in vulgata collectione 3. numero Synodus; quanquam plurima circa illũ numerũ excipiat Baronius Propoſita fuit illa quæſtio circa infantes à Donatiſtis baptizatos, & quamuis interuenientibus Legatis Prouinciæ Mauritanæ Sitifenſis non fuerit ſoluta quæſtio, vti etiam aduertit Balſam. in can. 51 Magnæ Synodi Carthagin. & viſum fuerit duntaxat conſulere Siricium Romanum Pontificem, & Simplicianum Mediolanenſem, ſatis tamen oſtendit Synodus ſe eò propendere, *ne parentum error impediat.* quominus hi deinde *promoueantur ſacri altaris miniſtri.* Deinde in Synodo habita etiam Carthagine ab eodem Aurelio IV. Calend. Iulias poſt conſulatum Flauij Stiliconis: incidit autem hic conſulatus in an. Chriſti. 400. ait Aurel. in priori Concil. ſtatutum fuiſſe, vt paruuli apud Donatiſtas baptizati nondum ſcire valentes erroris eorum interitum, minimè impediantur, ne minus clericatus ſuſcipiant. Quare rogat, vt Legati deſti[...] ad Anaſtaſium Romanum & Venerium Mediolanenſ. hanc Synodi voluntatem ipſis exp[...]cent vt ipſi ſuo ſuffragio eam comprobent. Quæ decreta deinde recitantur, probantúrque in magna Synodo Carthaginenſi ab eodem Aurelio coacta poſt Conſulatum Honorij X I I. & Theodoſij V I I I. octauo Kalend. Iunias an. Chriſti 419. ad quam deſtinati fuerant à Zozimo Pontifice legati, Fauſtinus, Philippus & Aſellus anno ſuperiore, & hoc anno iam ſedente Bonifacio illi interfuerunt. Huic igitur Synodo probata ſunt antiqua illa decreta, de infantibus baptizatis ab hæreticis, cano. 47. & 57.

& 57. ex codice Dionyſij Exigui: in editione autem Balſamonis can. 51. & 61. Cum igitur plurium Synodorum Africanarum decreta à Sede Apoſtolica, atque etiam Mediolanenſi comprobata edita fuerint, quæ infantes ab hæreticis baptizatos in Clerum admitti permittebant, vbi iam grandiores errorem depoſuiſſent, non eſt exiſtimandum, Fœlicem deinde tertium, dum aliquot pòſt annis in eadem cauſa ſcribit ad Africanos, aliquid contra antiquas leges à Romana Sede ſancitas ſtatuiſſe: quare quod hæc ſua epiſtola dixit, in qualibet ætate baptizatos ab hæreticis arcendos eſſe à Sacris, de ætate doli capace exponendum eſt, cum gloſſa in cap. qui in qualibet, 1. quæſt. 7. verb. ætate. Quod autem dixit Fœlix de baptizatis ab hæreticis, idem omninò affirmat de rebaptizatis, vt patet ex verbis relatis ſuperiùs; igitur neque infantes rebaptizati prohibebuntur ab Eccleſia; immo ſi expendamus diligentiùs verba Fœlicis, non agit de quacunque rebaptizatione, ſed de ea, quæ fit extra Eccleſiam, & ab hæreticis, vt non modò ex tali epiſtola colligi manifeſtò poteſt, ſed ex his etiam verbis, *qui in qualibet ætate à ſibi, quàm in Eccleſia Catholica baptizati, aut rebaptizati ſunt.* Si itaque decreta tum Africana, tum Romana, tum Mediolanenſia admittebant ad Clerum infantes baptizatos ab hæreticis, admittebant quoque ab iiſdem rebaptizatos, neque iis contrarius eſt Fœlix, qui non condit nouum ius, & quamuis id vltrò daremus, infantes rebaptizati non eſſent arcendi à Clero ex conſtitutione Fœlicis, quia rebaptizati ſunt ſimpliciter & abſolutè, ſed quia rebaptizati ſunt alibi, quàm in Catholica Eccleſia, de qua irregularitate dicam ſequenti propoſitione.

TERTIA PARS propoſitionis.

Quinam contrahant irregularitatem ex rebaptizatione?

DIxi tertiò. Hanc irregularitatem afficere rebaptizatum culpabiliter, rebaptizantem, & eius miniſtrum. De rebaptizato iam id docui ex Leone I. Fœlic. III. Conc. Carthagin. V. & Toletan. IV. & epiſt. 25. lib. 2. Regiſtri Gregorij, qui ideò Afros ad Eccleſiaſticos Ordines ſuſcipi omninò prohibet, quia ipſorum aliqui ſunt Manichæi; aliqui verò rebaptizati, & ex pœnitentiali etiam Theodori, vt refertur cap. qui bis. de conſecrat. diſt. 4. quamuis enim non faciat ius aſſertio illa Theodori, vt iterum inferiùs monebo, oſtendit tamen antiquum vſum. 6

Quod verò attinet ad rebaptizantem, idem affirmant vnanimi conſenſu DD. eo quòd licèt ius id non apertè exprimat, id tamen neceſſario ſupponit cap. 2. de Apoſtatis. Alexand. enim III. rogatus ab Abbate S. Genouefæ, qua pœna plectendus eſſet adoleſcens, qui miniſtrarat Sacerdoti rebaptizanti fratrem eius carnalem, qui ſortilegarum inſano conſilio deluſus, vt valetudinem recuperaret, ſe iterum non ſine graui iniuria Sacramenti baptizari curauerat. Reſpondet Pontifex, vt ex integra epiſtola, quæ refertur in prima compilat. eod. tit. de Apoſtatis. cap. 3. & in part. 26. cap. 1. poſt Conc. Lateran. ab illo eodem Pontifice celebratum, quamuis hoc poſtremo loco deſit inſcriptio epiſtolæ, hunc adoleſcentem tum à minori ætate, tum ab intentione fraternæ ſalutis corporeæ videri aliquantulum

quantulum

quantulum excuſari,& ideò non multum plectendum eſſe; quia tamen cooperator extitit rei *nefandæ*, ſi crimen publicum fuerit,ad ſuperiores Ordines promoueri non poterit, niſi Religionem ingrediatur, & fauore Religionis cum eo diſpenſetur; ſi verò crimen occultum eſt, promoueri poterit,exceſſum tamen ſuum dignis pœnitentiæ fructibus expiabit. Ex hoc textu, in quo imponitur irregularitas Acolytho miniſtranti in iteratione ſacrilega Baptiſmi, colligunt omnes interpretes in illud cap. 2. de Apoſtaſ. & Theologi in 4. omnéſque deinde Summiſtæ, quos eodem vnanimi conſenſu ſequuntur recebriores, potiori multo ratione eandem pœnam imponi ipſi baptizanti; & ſanè conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, hanc expoſitionem ampliationémque conſtitutionis Pontificiæ iam diu probauit; quamuis enim in his, quæ pendent ex mero iure poſitiuo, argumentum à ſimili, aut à fortiori,ſiue à minori ad maius, non ſit ſemper efficax, & minora nonnunquam peccata puniantur quibuſdam inhabilitatibus, aut pœnis, quibus grauiora non plectuntur, ac proinde licèt actio ſacrilega ſit maius peccatum, quàm illius tantùm cooperatio, poſſet cooperatio plecti aliqua pœna, quæ non ſtatueretur aduersùs ipſammet actionem ſacrilegã; quando tamen eadem eſt actio præcipui agentis, & cooperantis, eadémque malitia prorſus inficiuntur,optimè à pœna cooperationis ad pœnam principalis actionis argumentamur, vt aduertit Sanctarell cap. 45. de hæreſ. dub. vnic. num. 8. id autem maximè verum eſt, quoties cooperatio non ponitur niſi propter malitiam, quæ in ipſam ex principali actione deriuatur, tunc enim optimè & quodammodò neceſſariò à pœna cooperationis ad pœnam actionis primariæ argumentamur, alioquin enim eſſet parum æqua illa lex, quæ caſtigaret cooperatorem criminis propter atrocitatem criminis,ad quod fuit cooperatus, & non puniret primarium criminis patratorem, cuius actio totam, vt ita dicam, malitiam criminis haurit, & quæ ſecundarias actiones inficit, non enim ſunt malæ, niſi quia ſunt aliquæ appendices primariæ actionis, aut quia in illam aliqua ratione influunt; quare licèt non rectè argumétemur à pœna impoſita Principi agéti ad pœnam ſecundariorum, quæ duntaxat primarium iuuerunt,& non peccarunt, niſi in illo ſuo concurſu,& coniunctione cum primario, ac proinde leuiùs omninò peccarunt; qua de cauſa diximus lib. de cenſuris, cenſuras aliáſve pœnas in iure ſtatutas afficere mandantes, conſulentes, alióſve coadiuuantes,niſi lex idipſum exprimat; à pœna tamen inflicta criminis cooperantis efficax argumentũ ducitur ad pœnam criminis commiſſi à primario agente; cùm igitur Acolythus fiat irregularis propter miniſterium exhibitum iterationi Baptiſmatis, quia fuit cooperatio præſtita *rei nefandæ*, ipſa potiùs actio *rei nefandæ* eadem pœna punienda erit; & ſanè Abbas ille nihil quæſiuit à Pontifice de ipſo rebaptizante, cuius crimen, & pœna ſatis nota erant, ſed de hoc miniſtro, cùm non ſatis liqueret, an pœna rebaptizantis ad illũ deberet extendi, & in hoc præterea caſu nonnulla occurrerent,quæ iſtum Acolythum excuſarent, minor nimirùm ætas, & ſollicitudo valetudinis fraternæ. Cùm igitur communis illa interpretum expoſitio ampliatióque huius Pontificij reſponſi ab Acolytho ad ipſum miniſtrum optima ratiocinatione

nitione nitatur, accedátque recepta conſuetudo, & vſus, certum omninò eſſe debet rebaptizantem eodem ſaltem modo eſſe irregularem, atque eius miniſtrum. Difficultas duntaxat excitari poſſet, quòd Alexand. non videatur illa ſua reſponſione ſtatuere hunc Acolythum eſſe irregularem etiam partialiter, ſed tantùm mandare illi Abbati, vt prohibeat à ſuperiorum Ordinum ſuſceptione hũc Acolythum, ait enim, *ad ſuperiores Ordines aſcendere non valebit*. Verùm ea verba æquè ſignificant ſententiam latam ac ferendam; quare de pœna, quæ ipſo facto incurritur, & de inhabilitate ad aſcenſum ſuperiorũ Ordinum, quam crimen rebaptizationis inducit, ipſo iure accipi poſſunt, & debent, quando ita conſuetudo iam pridem obtinuit.

Hanc prætetea irregularitatem extendunt ad parentes, qui ſuos liberos rebaptizandos offerunt, ad compatres atque alios cooperantes eiuſmodi rebaptizationi. Maiol. lib. 2. cap. 14. num 6. & Vgolin. cap. 35. §. 3. num. 6. ſed gratis omninò admittitur ea ampliatio, cùm nullum habeat in iure argumentum, & irregularitas non contrahatur, niſi in caſibus expreſſis à iure.

QVARTA PARS propoſitionis.

Qualis ſit irregularitas ex iterato Baptiſmo.

7 POSTREMA parte propoſitionis explicui, qualis ſit hæc irregularitas, neque enim eoſdem effectus parit in iis, quos afficit. imprimis enim reſpectu rebaptizati eſt totalis, quia & à ſuſcipiendis Ordinibus impedit, & à miniſterio ſuſceptorum prohibet, nam in ep. Fœlicis, & in aliis iuribus allatis, ſimpliciter, & abſolutè prohibentur admitti ad Clerum eiuſmodi homines, quæ verba ſignificant totalem irregularitatem, & quandoquidem, qui iam ordinati erant, deponebantur, & ſola communione laica in extremo donabantur, reuera iudicabantur indigni, & inhabiles, qui in ſuſceptis Ordinibus miniſtrarent; quamuis autem eę pœnæ tamdiu ceſſarint in Eccleſia, nihilominus perſeuerauit irregularitas, vt ex communi vſu conſtat.

Quod verò attinet ad rebaptizantem eiúſque miniſtrum, irregularitas eſt tantùm partialis, & prohibet ſolùm, ne is promoueatur ad ſuperiores Ordines, vt in cap. 2. de Apoſtatis, definitur ab Alexand. III. circa Acolythum miniſtrantem rebaptizanti; quare cùm DD ad rebaptizantem pœnam eo loco impoſitam extenderint, non alia ſanè erit ipſius rebaptizantis, quàm miniſtrantis irregularitas, hoc eſt, partialis duntaxat, itáque docent Suarez diſp. 31. ſect. 6. dub. 1. tom. 3. in 3. part. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 2. Filliuc. tract. 20. num. 177. Hurtad. diſp. 2. diffic. 1. Bonac. diſp. 7. q. 3. punct. 3. num. 7. Præpoſit. in 3. part. q. 66. art. 9. dub. 3. num. 108. contra Sayr. lib. 7. cap. 8. num. 5. Maiol. lib 2. cap. 14. n. 3. & Hoſtienſ. Panorm. & Angel. relatos à Sayro, communem eſſe contendit; qui tamen nullum afferre expreſſum ius poſſunt, quandoquidem, vt iam monui, irregularitas rebaptizantis non colligitur niſi ex irregularitate impoſita miniſtranti; nam quamuis eo cap. Pontifex reſponderit de ſolo Acolytho, de quo interrogabatur, non tamen, inquit Præpoſit. tam ſpectauit materiale

tiale facti, quod proponebatur, quàm id propter quod interrogabatur, definiuntque incurri irregularitatē propter miniſterium, cùm æquè, immò & magis præſtetur à rebaptizante, quàm ab Acolytho, idcircò æquè rebaptizans fit irregularis, atque Acolythus; itaque non colligitur hæc rebaptizantis irregularitas ex ſimilitudine, aut per argumentum à maiori, ſed quia formaliter decernitur in ea conſtitutione Alexandri; atqui ibi decernitur irregularitas tantùm partialis, & quæ prohibeat à ſuſcipiendis nouis Ordinibus, non autem ab adminiſtratione ſuſceptorum; ergo neque Acolythus, neque Sacerdos rebaptizantes, & miniſterium præſtantes *rei huic nefandæ* contrahunt irregularitatem totalem.

Obiicies. Pœnam depoſitionis perpetuæ impoſitam fuiſſe quondam rebaptizantibus, quæ ſi habuit adiunctam irregularitatem, reuerà totalem habuit, diúque perſeuerauit ea depoſitionis pœna propter hoc crimen, nam apud Burchard. lib. 4. cap. 56. Concil. Lugdun. ita ſtatuit. *Epiſcopus, aut Preſbyter, ſi eum, qui ſecundùm veritatem habuit Baptiſma, denuò baptizauerit, aut ſi pollutum ab impiis, & non rectè baptizatum non baptizauerit, deponatur tanquam deridens crucem & mortem Domini, nec Sacerdotes veros à falſis Sacerdotibus diſcernens.*

Reſpondeo imprimis hanc depoſitionis pœnam non haberi in Concilio vllo Lugdunenſi, ac proinde lapſum eſſe Burchardum, cùm enim ille obierit ex Bellarm. lib. de ſcripto rib. & Baron. an. 1026. non niſi tria Concilia Lugduni coacta fuiſſe reperiuntur ante illum annum. Primum Sigiſmundo regnante an. Chriſti 517. Viuenciolo Lugdunenſi Pontifice in cauſa Stephani, qui inceſti crimine ſe polluerat, quod primus edidit eruditiſſimus Sirmondus ex codice S. Mariæ Remenſis. Secundum habitum fuit an. 567. regnante Guntramno. Tertium denique an. 584. eodem Rege iam XXII. annum imperante, in quibus omnibus nihil omninò reperitur ex iis, quæ allegabat Burchard. eſtque ille canon 47. Apoſtolor. Idem quoque traditur in cap. 15. libro 6. conſtit. Apoſtolic. apud Clem. in quem eruditum ſcholion edidit Turrian. Hæc tamen pœna depoſitionis iam diu deſiit eſſe in vſu quoad iſtud crimen.

Reſpondeo ſecundò. Cùm depoſitionis pœna ſit rarò infligenda, ex ea malè colligitur reum deponendum eſſe irregularem antequam deponatur; deinde cùm habeamus expreſſam irregularitatem, de qua quærimus, ciúſque effectum in Alexandri conſtitutióne, neque alibi fiat vſquam eius mentio, fruſtrà ex aliis pœnis olim inflictis ad exercendum ampliandúmque eius effectum argumentamur.

Alterum diſcrimen aſſignaui inter irregularitatem rebaptizati, & rebaptizantis, eiúſque miniſtri, quòd prior illa ex quacunque iterata rebaptizatione mortaliter culpabili etiam occulta contrahitur, vti ex epiſt. Gregor. ſuperiùs citata & relata, cap. Afros, diſtinct. 98. aliiſque locis, in quibus ea pœna imponitur, manifeſtò colligitur: at verò irregularitas rebaptizantis requirit crimen publicum, quod expreſſis verbis habet Alexander III. in ſua conſtitutione ex parte relata cap. 2. de Apoſtatis, qui eſt vnicus locus, ex quo, vti hactenus vidimus, hanc irregularitatem colligimus; quare mirum eſt, quod contra expreſſa verba Pontificis etiam propter occultum crimen velint aliqui

hunc Acolythum, atque adeò rebaptizantem, cui miniſtrat, fieri irregularem, ita tamen vt poſſit diſpenſari ab Epiſcopo, quod non poſſet, ſi crimen fuiſſet publicum, quam communem ſententiam eſſe & receptam teſtatur ſequitúque Sayr. lib. 7. cap. 8. num. 16. eámque reuerà docuit Scot. in 4. diſtinct. 6. quæſt. 8. Sot. ibid. diffic. 3. art. 9. ſub fin. & Henriquez lib. 14. cap. 20. §. 3. litt. A. qui tamen aliud dixiſſe videbatur cap. 4. §. 5. & ſanè violentia eſt illa expoſitio Pontificis, qui nuſquam meminit diſpenſationis à ſe, aut ab Epiſcopo faciendæ, ſed abſolutè aſſerit, Acolythum, de quo agebatur, non poſſe promoueri ad vlteriores Ordines, ſi eius crimen fuit publicum; ſi autem fuit occultum, poſſe promoueri peracta pœnitentia, propter illum exceſſum. Ex quibus verbis, quàm aptè illi DD. deducant, diſpenſationis Pontificiæ neceſſitatem pro crimine publico, Epiſcopalis autem pro crimine occulto, qua ratione etiam inferunt ex crimine illo occulto contrahi impedimentum promotionis ad ſuperiores Ordines, quod tamen diſertè negat Pontifex, planè mihi nondum liquere potuit; quare & noſtram ſententiam docent Panormit. in illud cap. 2. de Apoſtaſ. num. 1. Syluest. verb. Irregularitas, quæſt. 4. Anila diſput. 7. dub. 1. & plures Magiſtri apud ipſum; quod attinet ad Acolythum, malè tamen de ipſo rebaptizante, aliud cenſet cum Hoſtienſ in cap. 2. cit. quare de vtroque abſolutè pronunciant Hurtad. diffic. 1. diſp. 2. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 2. num. 1. Tolet. lib. 1. cap. 70. Paludan. in 4. diſt. 6. quæſt. 4. art. 1. conſect. 2. & inclinat Suar. tom. 3. in 3. part. diſput. 6. dub. 3.

Consectarium I.

An ignoranter rebaptizatus, vel rebaptizans, incurrat irregularitatem?

Respondetur, & dico primò. 8 Quoties probabilis ignorantia facti excuſat à peccato tum rebaptizantem, tum rebaptizatum, quia poſt adhibitam ſufficientem diligentiam nihil certò comperire licuit de priori Baptiſmo, toties etiam excuſat ab irregularitate. ita communiſſimè DD. à Sayro congeſti cap. 8. cit. contra Vgolin. cap. 35. §. 2. aliiſque, quorum aliqui volunt per hanc probabilem ignorantiam excuſari rebaptizantem tum à peccato, tum ab irregularitate, non verò excuſari rebaptizatum, etiamſi non peccet, eo quod cap. qui bis. de conſecrat. diſtinct. 4 ignoranter rebaptizatus arceatur à ſacris Ordinibus, verùm illud cap. cùm ſit Theodori Cantuarenſis in ſuo Pœnitentiali, non facit legem Eccleſiaſticam, neque ex eo quod inſertum ſit à Gratiano in ſuo decreto, accipit authoritatem iuris communis, quod falsò exiſtimat Vgolin. & alibi à nobis fuit in vniuerſum demonſtratum. Cùm igitur irregularitas tum rebaptizantis, tum rebaptizati ſit pœnalis, & ſupponat noxam mortalem, ex ſecunda parte huius noſtræ propoſitionis, quidquid ab eiuſmodi culpa excuſabit, ab irregularitate quoque eximet.

Dico ſecundò, qui ex ignorantia probabili iuris eo quòd inculpabiliter ignoret prohibitam eſſe iterationem Baptiſmi, baptizat, aut baptizatur denuò, excuſatur ab irregularitate,

tate, quia excuſatur à culpa; quid verò requiratur vt hæc ignorantia ſit inculpabilis, & an aliqua eiuſmodi dari poſſit, maximè in miniſtris Eccleſiæ, pendet ex iis, quæ in vniuerſum diſputauimus de ignorantia in ſcientia canonica, vbi etiam explicuimus, quid dicendum ſit, quando eſt tantùm ignorantia pœnæ impoſitæ, cenſuimúſque omninò in hoc caſu non incurri irregularitatem, cum Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 32. n. 17. & num 9. Kon. diſp. 18. de Sacram. dub. 4. num. 19. & 31. Præpoſit. in 3. part. quæſt. 5. de irregular. dub. 2 n. 9. Diana 4. p. tract. 2. reſoluc. 36. & reſolut. 85.

Consectarium II.

An qui ſcit ſe fuiſſe denuò baptizatum, fiat irregularis, ſi ratum habeat ſecundum Baptiſmum?

9 Respondetvr hunc minimè ex illa ratihabitione fieri irregularem. ita Henriq. lib. 14. cap. 4 §. 3. Suarez diſp. 31 cit. ſect. 6. ſub fin. Sayr. lib. 7. cap. 8. num. 15. & alij recentiores paſſim contra Rich. in 4. diſt. 6. art. 4 quæſt. 2. Paludan. ibid ead. diſt. q 4. art. 1. concl. 2. & plures Canoniſtas; quia cùm imponatur irregularitas iterationi culpabili Baptiſmi, & ad illam nihil prorſus conferat ſubſequens ratihabitio, non poteſt ex illa ratihabitione contrahi irregularitas, vti diximus aliàs de ratihabitione homicidij, ad quod nihil omninò aliquis contulerat.

Consectarium III.

An ex ficta iteratione Baptiſmi contrahatur irregularitas?

Fictam iterationem nomino actionem tantùm externam baptizandi, quam aliquis aut exercet, aut circa ſe exerceri patitur, non animo Baptiſmi conferendi, aut accipiendi, ſed ſimulandi tantùm. 10

Dico autem ex ea ficta baptizatione minimè incurri irregularitatem, quamuis in foro externo, quod ducitur præſumptione, contrarium præſumatur. ita Henriq. cap. cit. lib. 14. Auila diſp. 7. dub. 4. Suarez ſect. 6. cit. dub. 4. & alij, quia reuerà non fuit rebaptizatio, ſed fictio & ſimulatio rebaptizationis, ac proinde non eſt peccatum rebaptizationis in ſuo genere conſummatum, cùm tamen actus eiuſmodi conſummatos requirant cenſuræ, irregularitas & aliæ pœnæ, quando imponuntur alicui actui peccaminoſo; qua ratione exterior tantùm hæreticus non incurrit pœnas hæreticorum, eo quòd non ſit ſimpliciter hæreticus, ſed hæreticus fictus, quod etiam confirmatur ex fine, quem ſibi profixit Eccleſia in decernenda iſta irregularitate, neque enim ſolam Sacramenti reuerentiam ſpectauit, vt iam monuimus, ſed hæreſis rebatizãrium odium; qui verò fictè rebaptizat, non rebaptizat animo hæretico, quamuis illum ſe habere præ ſe ferat.

Hinc ſoluitur illa alia quæſtio, an qui metu cadente in conſtantem virum rebaptizatur, ſit irregularis; ſi enim ille nihil planè conferat, ſed tantùm paſſiuè ſe habeat, quia non poteſt reſiſtere, aut inutiliter reſiſtit, 11

& animo nullo modo conſentit, ſiue illum ſuum animum exteriùs ſignificet, ſiue metu exterritus taceat, reuerà non ſit irregularis, quia ficta eſt omnis illa rebaptizatio; immò neque fortaſſis peccat etiam non ſignificando ſuum animum, quod modò non diſputo: ſi autem metu coactus tandem conſentiat rebaptizationi, videtur omninò irregularis, quia facit totum actum prohibitum; pœnam igitur illi impoſitam incurrit, quanquam non leuis quæſtio ſit, vtrùm metus excuſet à pœna ſtatuta per legem humanam, quamuis non excuſet à culpa, eo quòd actus ſit iure diuino, aut naturali prohibitus, qua de re fusè diſputauimus alibi, nunc attendo duntaxat intentionem neceſſariam ad veram rebaptizationem, quam dico vnà cum graui metu aliquando conſtare poſſe. Vide Auilam dub. 4. citat. Sayr. cap. 8. num. 16.

Consectarium IV.

An baptizatio ſub conditione, ſi iam reuera præceſſit alia, faciat irregularem?

12 Reſpondeo. Diſtinguendus eſt duplex caſus, nam aliquando quis alium ſub conditione rebaptizat, quia poſt adhibitam ſufficientem diligentiam nihil certi comperire potuit de priori Baptiſmo, aliquando verò temerè & ſine vlla ſufficienti ratione dubitandi, aut etiam certò ſciens priorem Baptiſmum, aliquem tamen baptizat ſub conditione, ſi non ſit baptizatus: & conſtans certaque omnium opinio eſt in priori caſu nullam prorſus contrahi irregularitatem, cùm neque tunc peccetur, neque reuerà rebaptizet, quod non modò verum eſſe dixit Henriq. cap. 4. cit. num. 4. & alij deinceps, quando cum illo probabili dubio baptizat cum conditione, ſed neque ſi abſolutè & ſine conditione baptizet, quia non dicitur iteratum, quod neſcitur factum, & præterea ille non habet intentionem rebaptizandi, ſed baptizandi cum tacita conditione, ſi non præceſſerit iam Baptiſmus: expreſſio autem conditionis nihil facit, ſatis enim eſt, ſi neceſſario includatur in intentione, quæ tunc habetur.

Tota igitur difficultas eſt de illo, qui eo quòd ſciat priorem Baptiſmum collatum fuiſſe, peccat baptizando denuò ſub conditione, irregularem enim hunc eſſe contendit Franc. Victoria in ſumma §. 35. de materia Baptiſmi. Cordub. in ſum. quæſt. 17. Maiol. lib. 3. cap. 14. n. 5. Catechiſm. Roman. tract. de Baptiſmo cap. de ſuis effectibus, & latè Sayr. cap. 8. cit. num. 23. Vgolin. cap. 35. §. 3. n. 4. Gordon. lib. 7. quæſt. 18. num. 96. & ſubdubitanter Filliuc. tract. 20. n. 182. Negant verò Nauarr. cap. 27. n. 246. Henriq. lib. 2. cap. 31. §. 1. & lib. 14. cap. 4. num. 4. Suar. diſp. 31. cit. ſect. 6. dub. 4. & 5. Auila dub. 3. diſput. 7. multos Magiſtros allegans. Bonacina diſp. 7. quæſt. 3. punct. 3. num. 4. Kon. diſp. 18. num. 38. cui ſententiæ tanquam veriori nos quoque adhęremus. Ratio eſt, quia conditio adiecta ſuſpendit actum, quare ille reuerà non baptizat, quia non vult baptizare, niſi poſita conditione negationis prioris Baptiſmi, quæ conditio cùm non exiſtat, neque ille vult baptizare. Iura verò imponunt pœnam rebaptizationi, qualis non eſt ea, quæ fuit tantùm conditionata, quia reuerà non eſt intentio ſufficiens rebaptizandi.

Quòd

Quòd ſi apponatur tantùm exteriùs ea conditio in fraudem legis, cùm tamen reipſa intendat rebaptizare; maior videbitur cauſa dubitandi, ex dictis tamen, ſoluitur: ſi enim hæc eius intentio ex aliquo ſigno externo colligi poſſit, cúmque appoſuiſſe duntaxat hanc conditionem in fraudem legis, vt vitaret pœnam ab illa impoſitam, reuerà eſſet irregularis, nihil enim deeſt, quandoquidem ponitur actio exterior ex intentione ſufficienti ad conſummandum in ſuo genere peccatum, quod punitur; & quoties à ſciente repetitur Baptiſmus, idque aliis conſtat, ſatis efficaciter colligitur, eam actionem exerceri animo hæretico, & ex iudicio morali, quòd Baptiſmus ritè collatus poſſit repeti, ita Præpoſit. in 3. p. quæſt. 66. art. 9. dub. 3. & Koninch loc. cit. ſi verò malus animus nullo modo prodatur exterius propter adhibitam conditionem; probabile quoque eſt vitari irregularitatem, inquit Koninch; ſicut neque excommunicatur internus tantùm hæreticus, etiamſi eo animo diſputet contra fidem, quamuis ſimulet ſe exercitij cauſa in ſcholis id facere, & tamen intendat virus ſuæ doctrinę diſſeminare, vti diximus lib. ſuperiori.

Consectarium V.

An ex iteratione ſacramentalium ſequatur irregularis?

13 Reſpondetur negatiuè cõtra Maiol. lib. 3. cap. 15. num. 3. qui Euchariſtiæ, calicum, altarium, & eiuſmodi alias iteratas conſecrationes, parere irregularitem, exiſtimauit cæteris omnibus repugnantibus, cùm nullus textus afferri queat, & cùm ne quidem ipſius Ordinis ac Confirmationis iteratio habeat adiunctam hanc pœnam, vti prima parte propoſitionis fuit demonſtratum.

Propositio II.

De irregularitate ex illicita ſuſceptione Sacramentorum.

Secluſa iteratione ſacrilega Baptiſmi, de qua hactenus diſputauimus, nulla alia illicita Sacramenti alicuius ſuſceptio præcisè ſumpta parit irregularitatem, niſi ſuſceptio Ordinis poſt contractum matrimonium. 14

Expositio et confirmatio propoſitionis.

Hæc propoſitio áliter oſtendi non poteſt, quàm expendendo ſingulos caſus, in quibus aliqui voluerunt contrahi irregularitatem propter ſacrilegam alicuius Sacramenti ſuſceptionem, & maximè Ordinis & Baptiſmi; de his enim omnibus duntaxat excitantur controuerſiæ: quod verò attinet ad illam exceptionem, quam addidi de ſuſcipiente Ordinem poſt contractum matrimonium etiam non conſummatum, præterquam in caſibus à canone permiſſis, dubium nullum ſupereſſe poteſt poſt Extrauag. Ioan. XXII. antiquæ, de voto, vbi apertiſſimis verbis idipſum definit; ſed de cõiugali ordinatione fuſiùs commodiori loco diſceptabitur.

DVBIVM

Dvbivm I.

An baptizatus ab hæreticis ſit irregularis?

15 PRimò itaque videtur baptizatos ab hæreticis eſſe irregulares. Innocent. enim I. epiſt. 22. cap. 3. hanc ait eſſe Romanæ Eccleſiæ legem, *Ex iis, qui ab hæreticis baptizati ſunt, neminem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare*, & Fœlix III. epiſt. ſuperiùs citata, idem omninò edixit.

Reſpondeo, hanc pœnam non fuiſſe inflictam tantùm in odium hæreticorum, quorum Baptiſma & Sacramenta polluere potius, quàm ſanctificare ſæpiùs dicunt PP. alibi adducendi, ſed propter peccatum communionis cum hæretico, & conſenſum in eius hæreſim, quod colligimus primò ex eo, quòd infantes ab hæreticis baptizati, non ſint irregulares, vti ſuperiùs oſtendimus ex duobus Conciliis Carthaginenſibus à Romana Eccleſia approbatis, quorum verba refert quoque Gratian. cap. placuit. 1. quæſt. 4. conciliauimúſque hæc decreta cum Fœlice III. Quare Vgolin. cap. 34. num. 5. & alij paſſim reiiciunt Maiol. libro 3. cap. 12. falsò aſſerentem hanc infantium irregularitatem. Secundò, quia fatentur æquè omnes cum Vgolin. vrgente neceſſitate poſſe ſuſcipi Baptiſmum ab hæretico, neque propterea contrahi irregularitatem, quia nimirum in vtroque iſto caſu nullum committitur peccatum, nulláque eſt conſenſio cum hæreticis. Ex quibus ſequitur hanc irregularitatem pœnalem eſſe, & ob peccatum hæreſis externæ quod in ea ſacrorum communione prohibita apparet, imponi. Quoties igitur in ea Baptiſmi ſuſceptione peccatum aberit, nulla irregularitas contrahetur; atqui poſt Extrauag. Ad euitanda, fas eſt ab hæretico Sacramenta ſuſcipere, niſi ſit nominatim denunciatus, vti diximus lib. de cenſur. cap. 7. q. 1. Non incurretur itáque modò vlla eiuſmodi irregularitas, vti ſapienter Præpoſit. in 3. part. quæſt. 5. de irregular. dub. 4.

Dvbivm II.

An fictè baptizatus, aut in articulo mortis ſit irregularis?

SEcundò. Qui differunt ſponte Baptiſmum vſque ad extremum vitæ exitum, prohibentur ordinari à Concil. Neocæſarienſ. cap. 12. & quamuis in eo canone hic Clericus Chriſtianus à presbyteratu tantùm prohibeatur, ex antiquo tamen vſu Eccleſiæ Romanæ etiam à clericatu reiiciebatur, vt ex epiſtola Cornelij Pontificis de Nouato agentis ab Euſebio relata lib. 6. cap. 32. colligitur, quin immò Balſam. in eum canon. Neocæſarienſ obſeruat idem factum fuiſſe ſua ætate in tonſura, ita vt qui in extremo ſpiritu tonſus fuerit, non reputetur omninò vt Monachus, ſed tanquam non ſponte tonſus, niſi ſuperuixerit, & dignam tonſurâ pœnitentiam ac vitam duxerit, eo quòd tonſura ſecundus Baptiſmus exiſtimatur ἡ ἀπόκαρσις δεύτερον λογίζεται βάπτισμα. 16

Reſpondeo, imprimis hanc irregularitatem non afficere niſi adultos, & fundari in præſumptione coactæ fidei, & Baptiſmo ficto animo ſuſcepti, quam videlicet metus mortis extorſerit; quare ſi ſuis moribus deinde abſterſerit eam ſuſpicionem ſimulatę fidei, & paucitas miniſtrorum Eccleſię

ita

ita poſtulet, in Sacerdotem promoueri poterit. Balſamon verò exiſtimat vtramque hanc cauſam ſimul neceſſariam eſſe, vt eiuſmodi poſſit ordinari, quod aliqui quoque cenſuerunt, eo quòd in illo canone habeatur particula, ϗ, ϰ̀; verùm hanc particulam ſiue Græcam, ſiue Latinam, non ſemper & neceſſariò coniunctiuè ſumi, innumeris exemplis obuiũ eſt, atque etiam in iure ita aliquando vſurpari obſeruauit Tuſch concl. 274. n. 58. Quare non videtur ex eiuſmodi particula hoc loco quidquam certi in vtramque partem colligi poſſe; quare inſpicienda eſt mens canonis, qui cùm ducatur præſumptione coactæ fidei, vbi illa præſumptio detergetur per probatos mores, non manet ampliùs cauſa dubitandi, ne ficto animo ſuſceptus fuerit Baptiſmus, quare tunc admitti nihil prohibebit ad clericatum; quia tamen aliqui poſſent ſimulare probitatem ea ſpe, niſi cogat paucitas miniſtrorum, non vult canon eiuſmodi clinicos Chriſtianos ſacris initiari; verùm non exiſtimo opus eſſe vlla diſpenſatione, quando vtraque illa cauſa concurrente aliquis ordinabitur, quod etiam viſum fuit gloſſæ in cap. vnic. diſt 57. vbi Canon ille Neocæſarienſ. refertur, & ratio mihi videtur euidens, quia poſitis illis duabus cõditionibus, quas canon requirit, ceſſat omnis ea præſumptio ſimulati Baptiſmi, propter quam ſolam reiiciebatur à ſacerdotio, neque ad ponendas eas conditiones, & conſequenter ad abolendam omnem præſumptionem, opus eſt diſpenſatione; quamuis enim quod obiicit Suar. fuerit præſumptio iuridica, tolletur iuridicè, quando iuridicè conſtabit de conditionibus requiſitis à iure ad ceſſationem illius præſumptionis. Quare neque obtinenda erit diſpenſatio Pontificia, vti contendit Maiol. lib. 3. cap 8. neque etiam Epiſcopi, ſicut volunt Turrecrem. in cap. 1. d. 57. cit. & Suar. diſp. 42. de cenſur. ſect. 1. num. 1.

Ex his porrò omnibus vides non fuiſſe hanc irregularitem niſi conditionatam, & non tam ratione culpabilis ſuſceptionis Baptiſmi, quàm præſumptione fictæ fidei inductam, nam qui præſumitur adhuc infidelis, aut non niſi fictè Chriſtianum agere, reuerà ordinari non debet, non tam ex iure Eccleſiaſtico, quàm naturali, & diuino, propter periculum irritandi Sacramentum, aut eius ſanctitatem violandi: vnde

Colliges primò, an ſit admittenda 17
irregularitas ex ficta ſuſceptione Baptiſmi, quam inuexit Maiol. lib. 3. cit. cap. 7. abſque vllo expreſſo iure, ſanè ſi illa fictio impediuerit valorem Baptiſmi, qui ita fuit baptizatus, non eſt reuera baptizatus, ac proinde iure diuino incapax eſt Ordinis, aliorúmque Sacramentorum; ſicut Baptiſmum ita fictè ſuſceptum atque inualidum erat, quæ incapacitas non tolletur, niſi per validum, & verum Baptiſmum, quo ſuſcepto manebit prior irregularitas, cuius tunc capax non erat: ſi verò fictio pugnabat tantùm cùm effectu Baptiſmi, id eſt, expiatione peccati originalis, cùm verè fuerit baptizatus, & ea fictio per pœnitentiam ſubſequentem tollatur, non manet ampliùs incapax Ordinum, niſi ea incapacitas fuerit ſtatuta ab Eccleſia, quod nullibi reperitur.

Colliges ſecundò, quoties quis metu aliáve ratione coactus ſuſcepit Baptiſmum, vnde præſumatur ficto tantùm animo ſuſcepiſſe, non eſſe ordinandum propter dubium Baptiſmi validi,

aut veræ fidei, non quòd irregularitas in Canone Neocæſarienſi extendenda ſit ad caſus ſimiles Baptiſmi per vim, aut metum accepti, vti facit Maiol. lib. 3. cap. 10. neque improbat Suar. ſect. 1. cit. num. 7. quia non ſumitur in ea extenſione argumẽtum à ſimili, ſed ab identitate rationis; verùm, quia hæc irregularitas non tam inducta eſt à iure Eccleſiaſtico, quàm à iure diuino & naturali, vti diximus, éſtque eadem omninò præſumptio, propter quam Eccleſia cauet, ne infidelis ſimulatè baptizatus, aut fidem profeſſus ordinetur; quare totum iſtud impedimentum eſt potiùs incapacitatis, quàm irregularitatis.

Colliges tertiò, falsò etiam dixiſſe Maiol. eod. lib. cap. 9. omnem dilationem culpabilem Baptiſmi eſſe cauſam irregularitatis, eo quòd gloſſa, & DD. ita interpretentur Canon. Neocæſarienſ. in cap. 1. diſt. 57. Cùm tamen neque gloſſa, neque vlli alij DD. id aſſerant; & quamuis demus Maiolo differri Baptiſmum, vt liberiùs peccetur, eáque de cauſa PP. in hos dilatores inuehantur, vti dicemus alibi, non ſequitur tamen illius dilationis, & negligentiæ pœnam eſſe irregularitatem; ad id enim adſtruendum afferri ius aliquod oporteret, nã Canon Neocæſarienſis reuerà de eo caſu minimè agit, neque eius ratio valet in hoc caſu: etſi quis enim ductus peccandi libidine baptizari diſtulerit, non idcircò præſumi debet ficto deinde animo ipſum ſuſcepiſſe.

Colliges quartò, quænam ſit ea irregularitas, quam colligunt ex Concil. Eliberitan. cap. 24. dum prohibet ad Clerum promoueri in aliis Prouinciis baptizatos in peregrinatione, neque enim ratione Baptiſmi ita ſuſcepti reiiciuntur, vt ibidem additur, quia eorum vita minimè cognita eſt; quare imprudenter omninò ad ſacra miniſteria promouerentur, vnde tam ſæpè cautum fuit, ne Clerici abſque ſuorum Epiſcoporum literis ab alienis Epiſcopis ordinarentur; qua de re alibi commodior erit dicendi locus.

Dvbivm III.

An ſuſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui, ſit irregularis?

Tertiò, eum, qui ordinatur ab Epiſcopo, qui dignitati renuntiauit, irregularem eſſe dicunt ex cap. 1 de Ordin. ad Epiſc. qui renunc. Epiſc. Sylu. verb. irregularitas. q. 8. 18 Angel. eod. verb. 1. num. 31. Sebaſtian. Medic. in ſum. tit. 9. q. 35. §. 6. Tolet. lib. 1. cap. 71. num. 2. Henriq. lib. 14. cap. 6. num. 6. Nauarr. cap. 27. num. 241. vbi dicit eſſe omnium ſententiam, Armill. verb. irregularitas, num 31. Tabiena eod. verb. 4. §. 5. in ſecundo delicto. Emanuel Rodriq. 2. part. ſumm. cap. 14. concl. vltima. Reginald. lib. 30. n. 27. Sayr. lib. 7. cap. 10. num. 27. licèt lib. 4. cap. 14. num. 7. contrarium docuiſſe videatur Vgolin. cap. 40. num. 3. qui omnes Speculatorem ſequuti ſunt, tit. de diſpenſationib. Probant, quia illa verba Pontificis, *quia indignum ſe fecit, exequutionem officij non habebit*, ſonant omnimodam priuationem, quæ fit per irregularitatem, non ſuſpenſionem, neque enim ſuſpenſus dicitur carere exequutione, ſed tantùm impediri, ne exequatur officium Ordinis, & ſanè per eiuſmodi verba imponitur irregularitas

laritas in cap. inquiſitionis, de teſtibus. Deinde Pontifex ait diſpenſari debere cum ita ordinato: vox autem diſpenſationis cadit in irregularitatem, non in ſuſpenſionem, quæ vti cæteræ cenſuræ, tollitur abſolutione, non diſpenſatione. Denique Pontifex permittit Epiſcopo diſpenſare cũ illo, qui à tali Epiſcopo fuit ignoranter ordinatus; atqui ſi iſte ordinatus erat tantùm ſuſpenſus, non fuiſſet opus illam facultatem facere Epiſcopis, quibus ex iure communi cap. nuper, de ſentent. excommun. licet abſoluere ab omnibus cenſuris latis à iure, & non reſeruatis, cuiuſmodi non eſt iſta ſuſpenſio; ideò igitur eguit Epiſcopus hac facultate, quia non erat à ſola cenſura, & ſuſpenſione danda abſolutio, ſed diſpenſatio ab irregularitate.

Reſpondetur nihilominùs in eo cap. 1 de ordinat. ab Epiſcop. qui renunc. Epiſcop. non imponi niſi ſuſpenſionis pœnam, non autem irregularitatem: ex ſimilitudine autem effectuum, quos habent hæ duæ pœnæ, in eo maximè, qui iam ordinatus eſt, eas confuderunt paſſim Summiſtæ hoc loco relati. Sequimur tamen gloſſam in illud cap. Panorm. num. 6. Flamin. lib. 1. de reſignat. quæſt. 17. Barboſa allegat. 48. de poteſtate Epiſcop. & in Collectan. in cap. citatum. Azor. part. 3. lib. 3. cap. 48. q. 13. Suar. diſp. 31. de cenſur. ſect. 1. num. 7. Alter. diſp. 9. de ſuſpenſionib. cap. 1. Bonac. diſp. 3. de ſuſpenſionib. in particular. quæſt. 1. punct. 9. num. 13. Filliuc. tract. 17. num. 76. Viuian. in Ration. in cap. cit.

Probatur hæc noſtra ſententia, quia irregularitas impedit omnium Ordinum exercitium, cùm tamen pœna illius capitis priuet tantùm exequutione Ordinis, quem à tali Epiſcopo ſuſcipit ex DD. omnium ſenſu, qui illam officij exequutionẽ, quam dicitur talis ordinatus non habere, ſecundùm ſubiectam materiam intelligunt; neque rectè obiiciebatur per ea verba non poſſe ſignificari propriè ſuſpenſionem, nam qui impeditus eſt, aut ſuſpenſus ab aliquo actu, aut officio exercendo, quamdiu ita impeditus manet, verè dicitur non habere exequutionem illius officij, & in cap. inquiſitionis, de accuſationib. cit. ſignificatur etiam tantùm ſuſpenſio, vt dicam inferiùs, immò cùm irregularitas primò & per ſe reſpiciat ſuſceptionem Ordinis, quam impedit, & ſecundariò tantùm exercitium Ordinis ſuſcepti; ſuſpenſio verò ſolius Ordinis iam habiti liberam exequutionem impediat, magis propriè eæ voces, *exequutionem officij non habebit*, potiùs ſuſpenſionem, quàm irregularitatem ſignificabunt; & quamuis tum ſupenſionem, tum irregularitatẽ abſque impropriet ate vlla ſignificare poſſint, ex ſubiecta materia diſpiciendum foret, vtram ex duabus iſtis pœnis indicarent; hîc autem cùm pœna irregularitatis ſit maior ſuſpenſione, neque culpa, quæ punitur, ſit vſque adeò grauis, & in pœnalibus benignior pars amplectenda ſit, potiùs de ſuſpenſione interpretari debemus, atque ita retinere propriiſſimam vocum ſignificationem, quamuis & alia de irregularitate non ſit impropria: verbum autem diſpenſandi, quo vtitur Pontifex, nihil officit, quia quoties ſuſpenſio habet rationem pœnæ, & impedimenti potiùs, quàm cenſuræ, tollitur per veram diſpenſationem, & non per abſolutionem; hæc autem ſuſpenſio cùm non modò tollat vſum Ordinis antea habiti, ſed etiam impediat ab aliorum acquiſitione, eſt pœna, quia eſt

impedimentum perpetuum, neque tollitur niſi per diſpenſationẽ, atque ea in parte magnam communionem habet cum irregularitate, neque eſt mera & pura cenſura.

Quod porrò attinet ad pœnam hoc capite impoſitam ordinato ab eo, qui Epiſcopatui ſuo renunciauit, diſtinguit Pontifex inter eum, qui renunciauit tantùm loco, & non dignitati Epiſcopali, & eum, qui vtrique ſimul renunciauit, ille tantùm renuntiat loco, qui Epiſcopatus officium, quod ſemper certo loco affixum eſt, ac proinde totam iuriſdictionem dimittit; dignitate verò ſe abdicat, qui quantum poteſt, priuat ſe ordine Epiſcopali, & quia ille tolli non poteſt, propter characterem indelebilem, quem imprimit, manét que perpetuò poteſtas Ordinis, illius vſu ſe priuat, atque ſi annuat Summus Pontifex, eámque renuntiationem admittat, nequit hic Epiſcopus Pontificalia ampliùs exercere, aut Ordines licitè conferre; quamuis ſi eos conferat, validè conferat propter poteſtatem Ordinis, quam perpetuò retinet, & abiicere non poteſt, quamuis eius vſum iam ſibi illicitum fecerit; quia verò ſunt aliqui actus Ordinis Epiſcopalis, qui etiam aliis inferioribus Prælatis non Epiſcopis, ſed Sacerdotibus duntaxat communicari poſſunt, cuiuſmodi eſt collatio minorum Ordinum, quæ conceditur Abbatibus, & conſecratio Altarium, Calicum, Eccleſiarum, aliæque eiuſmodi actiones; idcircò quoties Epiſcopus renunciat dignitati Epiſcopali, non intelligitur ex iure communi admitti ea renuntiatio à Pótifice, niſi quoad actus ita proprios dignitatis, & Ordinis Epiſcopalis, vt aliis inferioribus communicari non ſoleant, neque fortaſſis poſſint, cæteros enim actus omnes, qui conceduntur aliquando ſimplici Sacerdoti, vult adhuc licitos eſſe illi Epiſcopo, etiam vbi ſe ſponte ſua dignitate abdicauerit, niſi ea abdicatio totalis fuerit, etiam quoad iſtos actus expreſſos, illámque in ea amplitudine Pontifex vti poſſet, admiſerit, alioquin niſi hæc omnia exprimantur, cenſebitur facta ex præſcripto iuris communis, & cum ea exceptione, quam dixi, pertinet enim ad maieſtatem Ordinis Epiſcopalis, qui perſonæ Epiſcopi affixus eſt, oſtendítque latè Flamin. lib. 1. de reſignat. quæſt. 17. in omni renunciatione ſemper antiquæ dignitatis veſtigium aliquod in renunciante remanere ex diſpoſitione iuris communis.

Ait igitur Pontifex, Epiſcopum qui loco tantùm ſui Epiſcopatus renunciauit, poſſe validè & licitè conferre Ordines tum maiores, tum minores, ſi ab alio Epiſcopo rogetur; quare neque ipſe Epiſcopus, neque qui ab eo recipiet Ordinem quemcunque, ſuſpenditur, quia retinuit ſibi vſum poteſtatis Ordinis, quamuis cùm ampliùs non habeat ſubiectos, non poſſit quenquam abſque alterius Epiſcopi venia ordinare, quod ſi faciat, non incurretur vlla pœna præcisè, propter ordinationem intentatam cótra renuntiationem Epiſcopatus priùs factam, ſed propter vſurpatam alienam iuriſdictionem, aut propter Ordines ab alieno Epiſcopo abſque licentia proprij ſuſceptos, de quo caſu dicam inferiùs.

Secundò, ſi Epiſcopus renunciauit etiam dignitati, & conferat minores tantùm Ordines, nulla incurritur ſuſpenſio ab ordinato, quia per eam dignitatis renunciationem non priuauit ſe ille Epiſcopus poteſtate licitè conferendi Ordines minores vſque ad

ſubdia

ſubdiaconatum excluſiuè, nam ſubdiaconatus eſt iam Ordo ſacer, vt dicemus alibi; quia alij, quàm Epiſcopi, hos aliquando Ordines conferunt, & quod non Epiſcopis licet, permittitur Epiſcopo, etiam poſtquam ſua ſe dignitate exuit; debebit tamen obtineri venia Epiſcopi, cui ſubditur Clericus ordinandus, etiamſi huius conditionis non meminerit Pontifex, quia alibi ſtatuta erat pœna in eos, qui ſine debita iuriſdictione Pontificalia exercent.

Tertiò, qui ſuſcipit Ordines ſacros ab Epiſcopo, qui dignitati renuntiauerit, incurrit ſuſpenſionem, & impeditur ab exequutione Ordinis ita ſuſcepti, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter eos Ordines ſuſceperit, ita tamen vt ſi ſcienter ita fuerit ordinatus à ſolo Pontifice, diſpenſari poſſit; *ſi autem ignoranter id factum ſit, poterit, niſi craſſa & ſupina fuerit ignorantia, diſcretus Pontifex diſpenſare.* Circa quæ vltima verba non leuis quæſtio eſt, videtur enim Pontifex tunc tantùm facere poteſtatem Epiſcopis diſpenſandi cum ita ordinato ex probabili ignorantia, quandoquidem ſi ſupina ſit ignorantia, non poterit diſpenſare; ergo id tantùm poterit, quando ignorantia non fuerit ſupina, nec craſſa, ſed probabilis atque inculpabilis: tunc autem inutilis eſt diſpenſatio, quia cùm nulla fuerit commiſſa culpa, neque etiam contracta fuit pœna; quod totum confirmari poteſt ex cap. Apoſtolicæ, de Clerico excom. miniſtr. & ex cap. vt animarum, de conſtitut. in 6. quibus locis ignorantia excuſat à culpa, & conſequenter à pœna. Ignorantiam porrò craſſam & ſupinam appellari in iure ſimpliciter culpabilem, dum ſcilicet ignoratur, quod publicum eſt, diximus alibi, & tradunt DD. in cap. Apoſtolicæ, de Clerico excomm. miniſtr. & in cap. vt animarum, de conſtitut. in 6. Non apparet igitur, quam ob cauſam in eo caſu indigeat diſpenſatione, qui ignoranter fuerit ordinatus ab Epiſcopo, qui ſuæ dignitati renunciauerit. Hæc difficultas variè torſit gloſſam, Innoc. Panorm. & alios in hunc locum, vti latè diſcutit Alterius diſp. 9. cap. 1. & Suar. diſp. 31. de cenſur. ſect. 1. qui ſapienter viderunt in eo, qui ignoranter ignorantia probabili ſuſceperit Ordines ab eiuſmodi Epiſcopo non eſſe pœnam, ſed impedimentum quoddam Canonicum; cùm enim illi Epiſcopo prohibeatur omnis adminiſtratio, & vſus Ordinis, noluit Eccleſia eum, qui ab eo ſuſceperit Ordines, illorum quoque vſum ſuſcipiat; quare vt illos liberè exerceat, indigebit diſpenſatione, quam tamen poterit tollere Epiſcopus; in eo verò, qui aut ſcienter, aut cum ignorantia craſſa, quæ æquiualeat ſcientiæ, ordinatus eſt, hæc priuatio vſus Ordinis ſic accepti eſt pœna ſimul & impedimentum, in quo propter commiſſam grauem culpam contra prohibitionem Eccleſiaſticam ſolus Papa diſpenſare poterit.

Dubium IV

An ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, degradato, hæretico, Simoniaco, publico crimine infami, aut non conſecrato, vel non Epiſcopo, ſit irregularis?

Respondetur, cum omnem, qui recipit Ordines ab Epiſcopo a' 10

qua cenſura, vel pœna quæ ipſi liberum exercitium ſui Ordinis prohibeat, innodato, non habet exequutionem Ordinis ab ipſo Epiſcopo ſuſcepti, illámque priuationem talis exequutionis eſſe, vel ſuſpenſionis cenſuram, aut pœnam, vel ſimplicem prohibitionem & impedimentum, atque adeò impropriam quandam irregularitatem, non propriam, de qua diſputamus, contra Maiol. lib. 4. à cap. 22. vbi nonnullos veteres laudat, ſed illi nomen irregularitatis paulo latiùs vſurparunt pro quacunque prohibitione exequendi, aut ſuſcipiendi Ordinis, quod aliàs quoque monuimus.

Probatur hæc aſſertio ex vniuerſali regula iam indicata, nimirum Eccleſiam quoties prohibuerit alicui liberam collationem Ordinum, noluiſſe, vt is cui contra ſuam prohibitionem conferrentur, eorum liberum exercitium reciperet, abſque ſua diſpenſatione, tum ob execrationem ordinatoris, tum in pœnam ordinati, ſi ſcienter ab eo, cui prohibita fuerat ordinario, voluerit ordinari, quòd ſi ignorantia excuſetur à culpa, in pœnam tamen & ignominiam ordinantis, non patitur Eccleſia eiuſmodi ſacrilegam ordinationem valere quoad vſum, quem vnum poteſt Eccleſia tollere, impreſſum enim characterem & Ordinem collatum delere nequit; quam regulam ex Innoc. I. Damaſo & Vrbano II. fuſiſſimè oſtendemus dum diſputabimus de Sacramentis & Ordinibus collatis ab hęreticis, & ſchiſmaticis, atque excommunicatis. Interea adi cap. Daibertum 1. quæſt. 7. & cap. ſi qui à Simoniacis 1. quæſt. 1. & cap. ordinationes 9. quæſt. 1. & cap. 1. & 2. de ſchiſmaticis, quia nemo dat, quod non habet; cùm igitur hic Epiſcopus cenſura innodatus, ſchiſmaticus, irregularis, aut aliquo crimine, cui annexa ſit cenſura, maculatus, aut degradatus & depoſitus, retineat quidem characterem ac poteſtatem conferendi validè Ordines, eos quoque reipſa confert, ſicut & cætera Sacramenta conficiet, modò omnia ſubſtantialia adhibeat: at verò, quia caret exequutione, ſine exercitio ſui characteris & poteſtis Epiſcopalis, Ordinis vſum & exequutionem minimè conferet, atque eo ſenſu ſæpiùs Pontifices edixerunt illas ordinationes habendas eſſe irritas, nimirum quoad vſum.

Dices, veram irregularitatem ſaltim iure nouo Clement. VIII. contrahi ab eo, qui ordinatur ab Epiſcopo ſchiſmatico, in ſua enim conſtitutione an. 1595. ait Clem. ſic à ſchiſmaticis ordinatos impedire recipere quidem Ordinem, ſed non Ordinis exequutionem. Addit deinde, ne ita ordinati miniſtrare permittantur, *niſi cum ipſis ſuper irregularitate huiuſmodi occaſione, authoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.* Reſpondet Præpoſit. in 3. p. quæſt. 5. de irregular. n. 28. qui & quinque Theologorum è noſtra Societate conſultationem in Romano Collegio habitam refert, irregularitatem, cuius diſpenſationem neceſſariam eſſe dicit S. Pontifex contractam fuiſſe, non in ipſa ordinatione, ſed in ſubſequuta deinde exequutione Ordinis ab ſchiſmatico ſuſcepti, qui Ordinem quidem contulerat, ſed eius vſum minimè dare potuerat, præſcribit enim ibi Pontifex modum ſeruandum in reconciliatione Sacerdotum Græcorum cum Eccleſia, vúltque ipſis minimè permitti adminiſtrationem Ordinum, niſi cum ipſis fuerit diſpenſatum cum irregularitate, quam contraxerunt, propter functiones illius

Ordinis ab Epiſcopo ſchiſmatico ſuſcepti : verùm ſi id ignoranter fecerint,quia exiſtimabant inculpabiliter ſe eſſe in vera Eccleſia,reuerà non incurrunt ſuſpenſionem in ſua ordinatione, vti diximus , licèt priuati manſerint exequutione Ordinis , atque ita deinceps exercendo illum Ordinem,non contraxerunt irregularitatem,quia non violarunt cenſuram. Itaque dicendum eſt,vel Clementem agere tantùm de ſcienter promotis, vel irregularitatis vocem paulo latiùs vſurpaſſe.

Hinc etiam fit, vt ſi Græcus à Latino, & Latinus à Græco Epiſcopo ordinetur contra prohibitionem Eccleſiaſticam , cuius meminit Azor 2. p. lib. 3. cap.48. quæſ. 14. non facit propriè irregulares,vti contra Maiol. lib.4.cap.32.probant Turrian.lib.9.de cenſur.diſp.61.dub.3.& Filliuc.tr. 20. num. 203.

Hæc porrò omnia de prohibita exequutione Ordinis propter culpam ordinātis ſunt intelligenda de nominatim denunciatis, aut non toleratis excommunicatis , aliáve cenſura & pœna ſiue ſententia canonica illigatis;cū aliis enim ex fauore Extrauag. Ad euitanda , licet communicare in omnibus ſacris, ab iiſque omnia Sacramenta,atque etiam Ordines ſuſcipere.Vti latè diximus lib.de cenſuris cap 7.quæſt.1.per plurima conſectaria ; in eamque ſententiam paſſim abeunt recentiores : neque eſt quod Alterius diſp.9.de ſuſpenſ. cap.3.eam reuocet in dubium , eo quòd hæreticus non tantùm qua excommunicatus, ſed etiam qua hæreticus vitandus ſit manifeſtò, aut occultè, prout notorius, aut occultus hæreticus fuerit, & caret iuriſdictione atque exequutione ſui Ordinis, etiam qua hæreticus, præciſa omni cenſura & excommunicatione : quod idem de ſchiſmatico & Simoniaco dicendum eſt. Ex regula igitur vniuerſali tradita, cùm hi omnes careant exequutione Ordinis,illam non conferent ; ſed cùm hæretici,Simoniaci,atque ſchiſmatici ipſo iure ſint cenſura innodati , nunquam oſtendet Alteri. eos carere iuriſdictione , & exercitio Ordinis,ſecluſa omni cenſura,neque enim cùm hæc carentia iuriſdictionis ſit pœna tantùm Eccleſiaſtica , annexa eſſe poteſt alicui crimini iure naturali, aut diuino, quod ſuperiori quoque libro oſtendimus,dum diceremus nullam cenſuram eſſe inſtitutam à Chriſto, quamuis ipſe contulerit Eccleſiæ poteſtatem illas inſtituendi.

• Dixi porrò , hanc priuationem exequutionis Ordinis in ordinato ab Epiſcopo , cui fuit prohibita ordinatio , eſſe vel pœnam ſuſpenſionis, vel ſimplicem prohibitionem , & impedimentum , vt componerem diſſidia DD. circa eum , qui ex ignorantia probabili,& abſque culpa ab eiuſmodi inidoneo Epiſcopo fuit ordinatus , eum enim exequutionem ſui Ordinis liberam accipere docet Innoc. in cap.1. de ſchiſm. num.4. Panorm. in cap. veritatis, de dolo & contumac. num. 46. licèt fateatur aliam ſententiam eſſe probabiliorem, & in cap. ad probandum, de ſentent. & re iudicata, num. 15. & ibi Felin. num. 2. & Caſtro lib. 2. de lege pœnali , cap. 15. negant verò gloſſa in cap. ab excommunicatis 9. q.1. verb. quondam. & in cap. ſi qui à Simoniacis 1. q.1. & in cap 1. de ordinat. ab Epiſcop. qui Epiſcopat. renunt. verb. ignorantia. & in cap 2. eodem tit. verb. Epiſcopos , & in cap. cùm illorum , de ſent. excomm. verb. diſpenſare. Speculat. in tit. de diſpenſationib. §. iuxta. num.14. Couar. in

cap.

cap. Alma mater. 1. part. § 6. num. 6. Maiol. lib. 4. cap. 6. num. 3. quod diſſidium compoſui cum Suar. diſp. 31 de cenſur. ſect. 1 num. 63. &, qui eundem more ſublegit, Alter. diſp. 9. de ſuſpenſ. cap. 2. In iis enim, qui ſcienter & culpabiliter ita ordinantur, hæc prohibitio exercendi Ordines ſuſpenſio eſt; in aliis verò, qui abſque culpa propter ignorantiam probabilem ordinantur, eſt tantùm prohibitio & impedimentum quod abſque culpa contrahi poſſe nemo dubitat. Hinc fit vt iſte miniſtrans in ſuo ordine ita accepto, non incurrat irregularitatem; quamuis enim vbi ſciuerit ſe ita fuiſſe ordinatum, debeat abſtinere ab vſu Ordinis, eo modo contra prohibitionem Eccleſiaſticam, licèt inculpabiliter, ſuſcepto, donec obtinuerit diſpenſationem, quam dare poterit Epiſcopus iniuncta aliqua pœnitentia propter ſuſpicionem alicuius culpæ ſaltem leuioris, atque adeò ſi pergat exercere Ordinem ſuum ante obtétam diſpenſationem, peccet grauiter, eo quòd faciat contra legem eccleſiaſticam in re graui, neque ampliùs ignorantia excuſetur; quia tamen non violát vllam cenſuram, non reuerà nullam incurrerat ex ordinatione illa inculpabili, non poteſt contrahere irregularitatem, neque enim illa contrahitur miniſtrando contra quamcunque prohibitionem eccleſiaſticam.

Hac eadem diſtinctione vtendum erit circa illum, qui per vim & grauem metum cogitur ordinari ab Epiſcopo, qui non habet liberam exequutionem ſui Ordinis, ille enim non peccat contra legem eccleſiaſticam, quæ cum eo rigore & periculo non obligat, neque etiam contra legem naturalem, aut diuinam, cùm nulla fiat iniuria Sacramento, quod integrum omninò recipitur: quòd autem eius vſus ſit impeditus, donec ab Epiſcopo per diſpenſationem expeditus reddatur, non eſt iniurioſum eidem Sacramento, neque etiam intrinſecè malum eſt recipere Ordinem ſine expedito eius vſu, quoties impedimentum non ponitur à recipiente, ſed conferente, cuius ſacrilegio minimè cooperatur recipiens, quia cogitur ad eam receptionem, quam recuſare non poteſt abſque graui periculo. Cùm itaque eo caſu non peccet iſte ordinatus, non incurret ſuſpenſionem, impedietur tamen ab exercitio Ordinis ob defectum conferentis, in cuius execrationem ponitur ab Eccleſia hoc impedimentum, donec ita ordinatus ſuam legitimam excuſationem probauerit Eccleſiæ; quare qui dicunt cum Sylu. verb. Irregularitas, num. 9. & Nau. cap. 27. num. 244. iſtos ſic ordinatos non incurrere irregularitatem, ita ſunt exponendi, quòd reuerà non incurrant cenſuram vllam, aut pœnam eccleſiaſticam; qui autem volunt cum Maiol. lib. 4. cap. 25. contrahi ſuſpenſionem & irregularitatem, intelligendi erunt de impedita exequutione Ordinis ſic accepti, quæ neque propria ſuſpenſio, neque vera irregularitas eſt, vti fuit expoſitum.

Dvbivm V.

An ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprij, an ante legitimam ætatem, vel ſtatuta tempora, aut non ſeruatis interſtitiis, aut plures Ordines eodem die ſuſcipiens fiat irregularis?

Respondeo hos omnes nequidem iure antiquo incurrere ipſo facto

facto ſuſpenſionem, ſed tantùm ſuſpendens eſſe à iudice; ex conſtitutione tamen Pij II. quæ incipit, *Cùm ex ſacrorum*, ſuſpenſionem ipſo facto incurri. Quare vbi ea Pij conſtitutio vſu recepta fuerit, ſuſpenſio ipſo iure contrahetur; quod intelligendum duntaxat eſt de ſuſceptione cum dolo & culpa, & de maioribus Ordinibus, non autem de minoribus. Sed de his omnibus fusè tertia parte, vbi & quale peccatum committatur, & qualis ſit ea ſuſpenſio, ac quomodo contrahatur, diſputamus.

Nunc tantùm difficultas eſt, an qui plures Ordines maiores eodem die ſuſcepit, aut ſubdiaconatum cum minoribus, fiat irregularis; hanc quidem ordinationem prohibitam eſſe, immò & ita ordinatum ſuſpendi ab Ordine vltimo loco, aut ab aliis, quàm à primo, ſi tres recipiat eodem ordine ſupponimus ex dicendis tertia parte. Nunc quærimus duntaxat, an etiam fiat irregularis, ita enim docent Sylu. v. irregularitas quæſt. 3. Angel. eod. v. 1. num. 23. Nauar. cap. 27. num. 241. Henriq. lib. 14. cap. 6. num. 5. Auila 7. p. diſp. 9 ſect. 1. dub. 4. concl. 2. Sebaſt. Med. tit. 9. quæſt. 59. allegans Anton. 3. p. tract. 14. cap. 16. §. 16. Sayr. lib. 7. cap. 10. num. 22. plures alios referens, qui omnes aſſerunt id intelligendum eſſe de vno die, ſiue naturali, & vero, ſiue ficto, cùm videlicet ordinatus die Sabbathi continuat illius ieiunium in diem Dominicum, quouſque fuerit ordinatus nouo Ordine.

Verùm mihi videtur ex cap. 1. & 3. de eo, qui Ordinem furtiuè ſuſcepit, nihil aliud, quàm ſuſpenſionem colligi, non verò irregularitatem, cùm ibi tantùm prohibeatur miniſtrare ita ordinatus, niſi cum diſpenſatione Epiſcopi, eò quòd de iuris rigore nequeant in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare: non addit autem non poſſe promoueri; quod autem addit hunc poſſe deſpenſari à ſuo Abbate, ſi Religionem intret, non intelligitur de diſpenſatione ad ſuſcipiendos Ordines primò & per ſe, ſed de diſpenſatione in Ordinibus iam ſuſceptis exercendis, & conſequenter de aliis quoque ſuſcipiendis; ſicut enim ex eo quòd irregularitas primariò & per ſe prohibeat ſuſceptionem Ordinum, conſequenter etiam impedit exercitium ſuſceptorum; ita ſuſpenſio ex eo quòd primariò impediat miniſtrationem in ſuſceptis Ordinibus, impedit quoque, ne alij deinceps durante ipſa ſuſcipiantur; non tamen hæ duæ pœnæ, aut impedimenta confundi debent, quamuis propter magnam illam ſimilitudinem, quam habent inter ſe, facilè vna ſignificetur nomine alterius.

DVBIVM VI.

An qui per ſaltum, aut ante Confirmationis Sacramentum, vel aliqua cenſura ligatus, vel denique qui furtiuè Ordines ſuſcipit, fiat irregularis?

HI ſunt omnes reliqui modi, in 21
quibus ex ſacrilega & illicita ſuſceptione Ordinum naſci poſſet irregularitas, de quibus omnibus agimus tertia parte: quoad præſens autem inſtitutum ſatis fuerit, ſi paucis indicemus, an illicita eiuſmodi ſuſceptio pariat irregularitatem.

Et primò quidem per ſaltum promotus non fit irregularis, vt latè oſtendit Auila diſp. 9. ſect. 1. dub. 2. immò plures ne quidem ipſo iure ſuſpenſum exiſtimant, ſed ſuſpendendum duntaxat, qua de re vide

Alteri. diſput. 10. de ſuſpenſ. cap. 5. Ratio verò noſtræ ſententiæ eſt, quia nullibi reperitur in iure ſtatuta iſta irregularitas, cùm cap. vnic. de clerico per ſaltum promoto, neque irregularitatis meminerit, neque pœnæ ipſo iure impoſitæ, ſed tantùm imponendæ, vt ibidem exponit Viuianus in Rationali.

Secundò. Qui ſine Sacramento Confirmationis ordinatur, neque irregularis, neque ſuſpenſus eſt, quia ius nullibi id decernit, immò ita ordinatum non peccare, niſi venialiter exercendo Ordines, dixit Auila ſect. cit. dub. 3. ex Soto, Nau. & Henriq. qua de re alibi.

Tertiò. Qui cenſura aliqua innodatus ordinatur, non incurrit irregularitatem, quod quæſtione ſequenti per plura conſectaria demonſtro.

Quartò denique, neque qui furtiuè Ordines ſuſcipit, aliud quàm ſuſpenſionem incurrit; non fit verò irregularis, cùm id nulla ratione colligatur ex cap. 1. de eo qui furtiuè, quod vnicum afferunt aduerſarij, vt ſequenti quæſtione videbis.

PROPOSITIO III.

De irregularitate ex ſacrilega Ordinum vſurpatione.

22 Clericus miniſtrans in Ordine, quem non habet, irregularis efficitur, neque poteſt ad Ordinem ſuperiorem promoueri, manétque præterea ſuſpenſus per biennium, aut triennium à ſupremo Ordine priùs ſuſceptо, iuxta Epiſcopi ſui arbitrium.

EXPOSITIO, ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Confirmatio huius propoſitionis, cuius ſententia ſatis perſpicua videtur, petenda eſt ex intelligentia cap. 1. & 2. de Clerico non ordinat. miniſt.

PRIMA PARS.

Vſurpatio Ordinis facit Clericum irregularem.

Imprimis igitur Clericum exercentem Ordinem, quem non habet, 13
fieri irregularem, fatentur omnes, nam in capitulo primo citato, iubet Hormiſda, ſiue Honorius, eum, qui non ordinatus baptizauerit, aut aliud diuinum Officium exercuerit, nunquam ordinari, & ab Eccleſia abiici. Hoc autem exercitium diuinorum Officium, & Baptiſmus debent eſſe eiuſmodi, vt licitè fieri non poſſint à non ordinato, ſiue quia ex Chriſti inſtitutione, ſiue quia ex lege Eccleſiæ, aut conſuetudine ita illi actus ſunt annexi alicui Ordini, vt abſque illo vel inualidè, vel ſaltem illicitè exerceantur ſubſtantialiter, aut ſecundùm modum, ſunt enim aliqui actus, qui etiamſi quoad ſubſtantiam fieri poſſint à non ordinatis, immò & aliquando à laicis; dum tamen certo quodam ritu & apparatu fiunt, requirunt Ordinem aliquem, vt licitè & abſque ſacrilegio fiant; atque eiuſmodi Ordinis exercitium, omninò requiri ad contrahendam hanc pœnam irregularitatis, omnes æquè conſentiunt, qui idcircò poſtulant miniſterium ſolemne cum ſolemnitate propria talis Ordinis, éſtque ratio euidens; ſi enim actus, qui fit à non ordinato, neque ſecundùm ſuam ſubſtantiam, neque ſecundùm

ſecundùm modum, quo fit, eſt proprius certi alicuius Ordinis, non peccat, qui illum exercet, etiamſi ſine Ordine exerceat, aut ſi aliunde peccat, non tamen contra prohibitionem exercendi Ordinem, quem quis non habet, cùm in eo actu nulla ratione vſurpetur functio, ſiue munus talis Ordinis; non poterit igitur puniri, qui facit illum actum tanquam vſurpans Ordinem, quem non habet.

Debet præterea hoc exercitium vſurpatum eſſe cum peccato mortali, quare ſi vel ignorantia probabili, vel quapiam alia ex cauſa excuſetur, vel ab omni culpa, vel à mortali, qui actiones proprias Ordinis, quo caret, exercet, non fiet irregularis, quia, vt cap. 2. docuimus, ad contrahendam irregularitatem pœnalem, neceſſaria omninò eſt culpa mortalis.

Denique debet verum eſſe, & non fictum tantùm hoc miniſterium, quod omnes quidem fatentur, diſſident tamen in explicanda iſta fictione; nam aliqui volunt, vt iſte Clericus habeat intentionem faciendi ex officio, ita Auila diſp. 9. ſect. 2. dub. 13. allegans Nauarr. Eòdem recidit quod alij petunt, intentionem faciendi verum miniſterium, quod vſurpant, eo quòd neque cenſura, neque vlla alia pœna incurratur, niſi per actum perfectum & completum in ſuo genere, qualis omninò non eſt ille, qui interna intentione deſtituitur, cùm abſque illa ſit tantùm ſimulatio quædam: hæc tamen intentio in eo, qui ſcit ſe carere eo Ordine, cuius actus exercet, & impoſſibilis, aut inutilis eſt, vt ſapienter aduertit Suar. diſp. 42. ſect. 5. num. 18. vel enim per eas actiones ſacras conficitur aliquod Sacramentum, vel nullum conficitur; ſi primum, cùm qui ſcit ſe non eſſe ordinatum, v. gr. ſacerdotio, ſciat quoque ſe non poſſe conficere Euchariſtiam, aut dare veram ſacramentalem abſolutionem, impoſſibile eſt, vt ſeriò velit facere Sacramentum, quod nouit ſe non poſſe facere; atque ita ſi hæc intentio requiratur ad incurrendam irregularitatem, nunquam ea incurri poterit, quantumuis aliquis actiones externas Sacerdotij aliorúmque Ordinum proprias vſurpet, & Clericus non Sacerdos excipiens confeſſiones, ſed proferens formam ſine intentione abſoluendi, vitaret hanc irregularitatem; quòd ſi per has actiones nullum conficiatur Sacramentum, non apparet, quòd operetur intentio faciendi tanquam ex officio actiones externas cum apparatu & ſolemnitate proprij Ordinis, quem vſurpat. Quid enim, amabo, facit, quòd quis ſeriò exercens munus Diaconi cum ſolemnitate omni externa illi propria, intendat agere vt Diaconus. Cùm igitur DD. requirunt veram & perfectam actionem, volunt tantùm imprimis, vt ſeriò fiat ea actio, & non per iocum, hoc eſt, vt non fiat tantùm animo ridendi, & mimum agendi, ſiue repræſentandi ſacras actiones, ita vt non ſit ludicra tantùm repræſentatio; ſiue enim ea mimica repræſentatio non careat graui culpa, ſiue ſit aliquando honeſta quædam & pia talium actionum exhibitio, cùm tamen per eam actionem ludicram non verè quis miniſtret in Ordine, cuius ſunt eæ actiones, non contrahet hanc irregularitatem, quæ non infligitur, niſi propter veram adminiſtrationem in Ordine, quam quis non habet. Neque dicas aliquando hanc ludicram repræſentationem inducere ſuſpicionem de hęreſi, vnde tunc Maiol. lib. 4. cap. 13. num. 8. vult contrahi irregularitatem, quia alia eſſet irregularitas, quàm ea, de qua diſputa-

mus; grauitas autem delicti non ſufficit ad irregularitatem, niſi ea ſit expreſſa in iure.

Sufficit igitur vt quis ſeriò velit ponere totam illam actionem externam cum omni ornatu & ſolemnitate requiſita, vt dicatur vſurpare miniſterium alicuius Ordinis, vt ratione illius contrahatur iſta irregularitas; quia delictum quod punire voluit hac ſua lege Eccleſia, eſt ſacrilegium, quod committitur in vſurpatione exterioris actus alicuius Ordinis, ad quod ſatis eſt vera & ſeria voluntas faciendi totum iſtud exterius miniſterium, & eo modo, quo fieri tantùm poteſt ab ordinaro, etiamſi non intendat confectionem Sacramenti, aliúmve effectum, quem producit illud miniſterium, quando ab ordinato exercetur, hæc enim intentio vix abſque errore, aut hæreſi haberi poterit. Et ſanè qui ſolemniter baptizat, etiamſi non habeat intentionem baptizandi, tamen vſurpat totum officium, quod proprium Sacerdotis eſt, ſicut qui circa iam baptizatum priuatim eadem ſolemnia vſurparet; cui igitur iſte incurret irregularitatem, vt dicemus inferiùs, non autem primus ille, cùm vterque careat intentione baptizandi, vt velit tantùm facere illas actiones externas & cærimonias, quæ quia ex inſtitutione Eccleſiæ fieri non debent, niſi à Sacerdote, dum ab alio fiunt, vſurpatur miniſterium ſacerdotale. Neque dicas fictè rebaptizantem abſque intentione rebaptizandi & externum tantùm hæreticum non incurrere cenſuras, aut irregularitatem, nam per has pœnas punitur hæreſis, & error, qui quia non eſt in eo caſu, neque etiam contrahitur cenſura; at verò hoc loco punitur tantùm delictum vſurpandi externum miniſterium Ordinis, quo quis caret propter iniuriam, quæ fit religioni, & Eccleſiæ, quæ iniuria & noxa reperitur in eo actu externo ſeriò, & non per iocum poſito, licèt non ſit intentio conficiendi Sacramentum, aut obtinendi effectum, adquem actio illa externa fuit inſtituta.

SECVNDA PARS propoſitionis.

Qualis ſit iſta irregularitas.

DIxi Secunda parte noſtræ propoſitionis, irregularitatem, de qua agimus, eſſe duntaxat partialem, vtpote quæ tantùm impediat promotionem ad ſuperiores Ordines; ſuſpendit tamen per biennium, vel triennium ex arbitrio Epiſcopi ab Ordine vltimo loco ſuſcepto, quod totum perſpicuè traditur ab Vrbano III. epiſt. ad Legion. vel ad Lingonenſem Epiſcopum, vti vetuſta aliquot exemplaria habere obſeruauit Auguſtin. in notis ad iſtud cap. in prima antiqua collectione, eod. tit. Diaconum enim, qui fingens Sacerdotem Miſſas celebrare præſumpſerat. Negat Pontifex ad Sacerdotium eſſe promouendum, à Diaconatu autem *biennio, vel triennio pro prouiſione ſui Epiſcopi manere ſuſpenſum.* vbi vides imprimis imponi tãtùm irregularitatem quoad receptionem Ordinum nondum ſuſceptorum; quoad ſuſceptos verò non manere irregularem eiuſmodi Diaconum, ſed tantùm à Diaconatu ſuſpendi per aliquod tempus arbitrio Epiſcopi definiendum, modò vltra biennium non extendatur. quæ expoſitio litteræ conſentanea omninò eſt, vt dixit Gordon. lib. 7. quæſt. 8. num. 105. Kon. diſp. 18. num. 45. 24

Suar.

Suar. diſp.42. ſect. 4. num. 4. ſupponit quoque Hurtad. diffic. 2. diſp. 2. Bonac. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6. Præpoſit. quæſt. 5. de irregul. n. 33. contra Layman. lib. 1. tract. 4. part 5. cap. 3. Sayr. lib. 7. cap. 10. num. 11. vbi alios allegat, qui cùm dicant Epiſcopum poſſe diſpẽſare pro ſuſceptis Ordinibus, eo ipſo ſignificant hunc Clericum indigere ea diſpenſatione; atque adeò ſimpliciter irregularem eſſe, cùm & ea à ſuſcipiendis Ordinibus, & ab exercitio eorum quos habet, prohibeatur, ita tamen, vt à ſolo Pontifice diſpenſari poſſit quoad ſuſcipiendos Ordines; quoad ſuſceptorum verò exercitium ab Epiſcopo. Exprimitur autem Diaconatus, non quaſi in alijs liceat iſti liberè miniſtrare, ſed quia facta Epiſcopo poteſtate diſpenſandi quoad exercitiũ Diaconatus, cõceditur ſimul facultas diſpenſandi in omnibus inferioribus; denique triennij tempus quod præfinitur, non ſignificat hanc ſuſpenſionem eſſe temporalem, ſed tantùm ante illud tempus non poſſe Epiſcopum diſpenſare, eo verò elapſo poſſe, ſi velit: quæ tota expoſitio violenta omninò eſt, cùm noſtra plana ſit, & facilis, atque etiam benignior, ideóque in his pœnalibus præferendæ; cùm enim nunquam ſint ampliandæ pœnæ, multò minus id fieri debet per extortas explicationes.

Dices, Hormiſdam, ſiue Honorium iubere, vt ille Clericus vſurpans Ordinem, quem non habet, *abiiciatur ab Eccleſia*, quod ibid. Panorm. interpretatur de depoſitione & abiectione à Clero. quia iam factus eſt irregularis. Reſpondeo cum Hoſtienſi allegato à Panorm. his vocibus intelligi excommunicationem, per eam enim quis abiicitur ab Eccleſia, vti oſtendimus lib de cenſur. non autem per depoſitionem, quæ eſt ſolùm ablegatio à Clero.

CONSECTARIVM I.

An laicus vſurpans Ordinem ſacrum, fiat irregularis?

RATIO difficultatis eſt, quia hic titulus eſt tantùm de Clerico 25
non ordinato; ergo non comprehendit laicum, deinde cùm iubeat Pontifex vſurpantem iſta miniſteria deponi ex mente Panorm. non agit tertià niſi de Clerico. Hæ tamen rationes debiles admodum ſunt, quia iam docui non imperari depoſitionẽ, ſed excommunicationem; quoad titulum autem, antiqui codices legunt, *de non ordinato miniſtrante*, omiſſa voce *Clerico*; quam etiam in antiqua collectione edita ab Anton. Aug. expunctum reperies; præterquam quòd cùm conſtitutio Honorij, ſiue Hormiſdæ multo antiquior ſit ipſo titulo rubricæ, ad quam in collectione illa Decretalium reuocata fuit; per eiuſmodi titulum reſtringi non debet, vti obſeruat Hurtad. hoc loco. Deinde in eo cap. dicitur abſolutè, *ſi quis baptizauerit non ordinatus*, quibus verbis vides tum laicos, tum Clericos comprehendi. Atque ita ſentiunt Suar. 3. part. tom. 3 diſp. 3. ſect. 4. ſub fin. & tom. 5. diſp. 42. Gordon. lib 7. quæſt. 18. num. 102. Valent. tom. 4. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 1. Filliuc. tract. 20 num. 208. Kon. diſp. 18, num. 45. Hurtad. diſp. 2. diffic. 2. Auila diſp 9. ſect. 2. dub. 13. in vltima limitatione, qui ſequuti ſunt Paludan. in 4. d. 5. q. 2. ſect. 1. concl. 2. Anton. 3 part. tit. 29. cap. 1. ſub princip. Sylu. verb. Irregularitas.

 quæſt. 12.

allegans Calderin. Nauarr. cap. 29. num. 242. Tabien. verb. Irregularitas 4. initio. Maiol. lib. 4. cap. 13. n. 4. Præpoſit. q. 5. de irregular. dub. 6.

Contraria tamen ſententia traditur ab Angel. verb. Irregularitas. 1. n. 38. Roſella eod. verb. num. 2. Armilla num. 65. Sà verb. Irregularitas ex abuſu Ordinis. num. 5. Henriq. lib. 2. cap. 29. num. 5. & lib. 14. cap. 6. n. 1. Sayr. lib. 7. cap. 10. num. 6. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3. num. 3. Bonac. diſp 7. quæſt. 3. punct. 6. num. 1. Reginald. lib. 3. num. 192. Barboſa in collectan. cap. 1. de Clerico non ordinat. miniſtr. num. 5. quia nullibi fertur à iure hæc irregularitas aduersùs laicum, immò aliquo modo contrarium colligitur; quamuis enim non firmum adeò ducatur argumentum ex titulis & rubricis, vti diximus in ſcientia canonica. Cùm tamen antiqui omnes codices haberent vniuerſalem hanc inſcriptionem *de non ordinato miniſtrante*, & in vltima editione Gregoriana omnium caſtigatiſſima addita fuerit vox, *de Clerico non ordinato*, non leue indicium eſt, hanc fuiſſe lectionem antiquiſſimam, aut certè communiorem ſenſum DD. de Clerico non ordinato hos canones interpretari, & quidem cùm duo tantùm afferantur eo loco decreta Pontificum, quorum vnum, Vrbani nimirum III. agit de Diacono fingente ſe Sacerdotem; alterum verò Hormiſdæ de non ordinato baptizante, aut officium Eccleſiaſticum exercente, difficultas tantùm eſſe poteſt de mente huius ſecundi, de quo tamen non licet certò pronuntiare, cùm alibi non reperiatur integra illa Decretalis, & neque conſtet, an Hormiſdæ, an Honorij fuerit: quia tamen agit de ſolemni adminiſtratione Baptiſmi & officij Eccleſiaſtici, quæ facilè poſſent vſurpari à Clericis non ordinatis, eo quòd non ſint actiones annexę certo alicui Ordini ſacro iure diuino, ſed tantùm Eccleſiaſtico, videtur de illis tantùm agere Pontifex, non de laicis, qui non niſi rarò admodum hæc officia vſurpabunt; quæ ratio optima eſt, propter quam Eccleſia ſapienter omninò Clericis tantùm hanc pœnam irregularitatis impoſuerit, non verò laicis, cùm crimen, de quo agitur, frequentiùs à Clericis committi ſoleret, non verò niſi per rarò admodum à laicis, quibus omnibus adde vulgarem regulam de non ampliandis, ſed potiùs reſtringendis conſtitutionibus pœnalibus: quare hanc poſteriorem ſententiam omninò probandam eſſe exiſtimo.

Hinc fit primò, vt laicus ſolemniter baptizans non ſit irregularis, quod tradunt DD. proximè citati. Secundò laicus fingens ſe Sacerdotem, & abſoluens ſacramentaliter, non erit quoque irregularis, quod docent Sayr. num. 8. & plurimi ab eo relati, & ex noſtra ſententia iam ſtabilita neceſſariò ſequitur. Tertiò, neque erit irregularis laicus, qui cum ſtola & ſuperpelliceo concionem habuerit in Eccleſia tanquam Diaconus, quia non exercet actum Ordinis, eſſeque eam communem ſententiam teſtatur Layman loc. cit.

Consectarium II.

An Clericus adminiſtrans Sacramenta ſine Ordine neceſſario, fiat irregularis?

Respondeo affirmatiuè contra Præpoſit. quæſt. 5. de irregularit. dub. 6. vbi inclinat in contrariam ſententiam, 26

tentiam, nimirum non Sacerdotem adminiſtrantem Pœnitentiam, aut extremam Vnctionem, aut Sacerdotem non Epiſcopum confirmando, aut ordinando, non fieri irregularem, eo quòd ius nullibi id ſtatuit, nam in cap. 1. de Clerico non ordinat. miniſtr. ſermo tantùm eſt de baptizante, & exercente aliquod diuinum Officium abſque Ordine requiſito; nomine autem diuinorum Officiorum non intelligitur adminiſtratio Sacramentorum, vti olim obſeruauimus, & in hoc ipſo capite Baptiſmus diſtinguitur à diuinis Officiis; ergo & cætera Sacramenta.

Nihilominus perſtandum eſt in communi ſententia, quæ euidenter colligitur ex cap. 1. de Clerico non ordinat. miniſtr. ibi enim idcircò Diaconus fingens ſe Sacerdotem, eſt irregularis, quia exercet Ordinem, quem non habet, & in cap. 1. exercens diuinum Officium annexum alicui Ordini, quo caret, eandem incurrit irregularitatem; atqui adminiſtrans aliquod Sacramentum ſine Ordine ad eam adminiſtrationem validam, aut licitam requiſito, exercet reuerà Ordinem, quem non habet, & diuinum Officium alicuius Ordinis proprium; & quamuis fateamur nonnunquam diuinorum Officiorum nomine non comprehendi Sacramenta; aliquando tamen eo nomine ſignificantur abſque vlla vxoris impropriatione; neque enim ampla vocis ſignificatio eſt perpetuò impropria, quod etiam alibi obſeruaſſe me memini, quod contingere hoc loco perſuadet ſubiecta materia, non enim ſunt ferè alia diuina Officia, quæ poſtulent Ordinem, niſi quæ includunt aliquam adminiſtrationem Sacramenti, vt patet in Diacono & Subdiacono, quorum præcipua miniſteria ſunt circa Miſſæ ſacrificium, propriæ etiam actiones ſacerdotales ſunt in adminiſtratione Sacramentorum; quod idem de præcipuis actionibus Pontificalibus conſtat, neque credibile eſt impoſitam fuiſſe irregularitatem Clericis propter vſurpatas minores aliquas functiones Ordinum, quibus carent, permiſſúmque fuiſſe, vt præcipuas eorundem Ordinum actiones impunè exercerent, neque argumentamur à ſimili, quod genus argumenti in pœnalibus ſæpiùs damnauimus, ſed aſſumimus identitatem rationis, inhæremúſque ipſi textus litteræ, quæ neceſſariò intelligenda eſt de omnibus diuinis Officiis, ſiue functionibus & muneribus propriis alicuius Ordinis ſacri. Quod verò in eo cap. fiat peculiaris mentio Baptiſmi, non ſignificat alia Sacramenta à Clericis non ordinatis adminiſtrari poſſe abſque ſimili pœna, ſed quia id temporis frequentior erat querela inferiorum clericorum baptizantium ſolemniter, atque ita Diaconorum & Sacerdotum munera ſibi inconſulto ſumentium; quare ſacris ſanctionibus ſæpiùs caſtigata fuit ea temeritas, vt latè docemus 3. p. de miniſtro Baptiſmi, diſputantes, quo loco diuerſas PP. ſanctiones hac in parte conciliabimus.

Hinc fit primò, Clericum non Sacerdotem ſolemniter baptizantem etiam in extrema neceſſitate eſſe irregularem, quia illa neceſſitas tunc facit quidem licitam Baptiſmi collationem, non tamen eius ſolemnitatem, quæ minimè neceſſaria eſt, quod verum eſſe, etiamſi Diaconus ita baptizans eſſet Cardinalis, quia ea ſolemnitas annexa eſt iure Eccleſiaſtico ſoli ſacerdotio, volunt DD. relati à Sayro cap. 10. cit. num. 4. quod intelligas velim de Diacono, cui Epiſcopus, aut Parochus non fecerit veniam

prohibetur tantùm fieri Epiſcopus, quia Epiſcopalia exercuit, & Subdiaconus non poterit initiari Sacerdos, quia ſacerdotalia geſſit, poterat tamen Diaconus fieri Sacerdos, & Subdiaconus fieri Diaconus, quia horum Ordinum miniſteria non vſurparunt; erit igitur imprimis hic Subdiaconus celebrans Miſſam irregularis reſpectu Sacerdotij. Secundò erit ſuſpenſus triennio à Subdiaconatu, quæ omnia colliguntur ex cap. 2. citato. Erit etiam impeditus ne toto illo triennio ad Diaconatum promoueatur; quamdiu enim aliquis manet ſuſpenſus ab inferiori Ordine, nequit ad ſuperiores aſcendere. Quartò, ſublata ea trienali ſuſpenſione à Subdiaconatu, poterit ad Diaconatum promoueri, ſi attendamus textum illius cap. 2. Quintò. Ex vi tamen cap. 1. eod. tit. videtur ad nullum ſuperiorem Ordinem aſcendere poſſe hic Clericus, etiamſi non vſurparit actiones alicuius intermedij, atque ita hic Subdiaconus non poterit fieri Diaconus, quamuis ſolius Sacerdotij munera præſtiterit, quia in cap. 1. cit. abſolutè dicitur de tali, *non ordinetur*, quod omnes Ordines, quibus caret, omninò comprehendit.

Ad hunc etiam caſum de promoto per ſaltum, pertinet ea quæſtio, an fiat irregularis, qui exercet tantùm actiones Ordinis, quem habet, v. gr. Sacerdos ſine Diaconatu promotus ſola Sacerdotalia, Epiſcopus non Diaconus ſola Pontificalia, diſtinguenda ſunt nonnulla. Nam imprimis cùm ita promotus ſit ſuſpenſus ipſo iure, vti ſuperiùs indicaui, ſi miniſtret in Ordine etiam ita ſuſcepto, contrahet irregularitatem, non eam quidem de qua diſputamus, ſed alia ex violatione cenſuræ, de qua proxima quæſtione fusè dicetur. Secundò ſi exercendo Ordinem ſuperiorem neceſſariò exerceat Ordinem, quem omiſit, vt aliqui exiſtimant de Sacerdote celebrante, quem neceſſariò dicunt agere, quod eſt Diaconi recitando Euangelium, tunc hanc ipſam irregularitatem, quam explicamus modò, propter vſurpatum Ordinem, quem non habet, contrahet. Tertiò ſi Ordo ſupremus quem accepit, non potuit validè conferri abſque intermedio, quem omiſit illius actiones faciendo, eſt irregularis, quia exercet Ordinem, quem non habet. v. gr. Epiſcopus factus omiſſo Sacerdotio inualidè conſecratus fuit, & reuerà non habet Ordinem Epiſcopalem; quare ſi Epiſcopalia exerceat, fiet irregularis. Quartò denique ſi vltimus Ordo validè fuit acceptus ſine intermedio, videndum nihilominùs erit, an aliqua eius actio validè fieri poterit ſine Ordine prætermiſſo, v. gr. an Epiſcopus non Diaconus, non valeat conferre Diaconatum; ſi enim hoc concedamus, reuerà contrahet hanc irregularitatem, quia confert Ordinem quem non habet; & facit miniſterium, quod neceſſariò prærequirit Ordinem, quo caret.

CONSECTARIVM IV.

An ſimplex Clericus exercens actus minorum Ordinum, fiat irregularis, & quæ ſolemnitas requiratur ad exercitium ſolemne maiorum Ordinum.

RESPONDETVR ad primam quæſtionem, quod iam ſæpiùs monui, & iterũ dicã q. ſeq cùm ex inducta conſuetudine nihil ferè fiat à minori- 18

us Ordinibus, quod fieri non ſoleat laicis, vix poſſe propter vſurpata iſtorum minorum Ordinum miniſteria contrahi iſtam irregularitatem.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondi iam aliàs, attendendum eſſe ornatum externum, & varias circumſtantias, vt videamus, an aliquæ actiones, quādo non ſunt ſubſtantialiter actus alicuius Ordinis, ad illam tamen pertineant ratione modi quo fiunt, vt fuſiùs dicam q. ſequenti. Qua etiam in re attendendam eſſe diuerſarum Eccleſiarum conſuetudinem, ſapienter monet Layman cap. 3. citato; alicubi enim conceditur ſimplici Clerico, quod alibi non niſi à Diacono fieri ſolet. v.gr. quædam Eccleſiæ permittunt, vt Clerici in defectum Diaconi, aut Subdiconi adhibeantur tanquam cantores etiam Dalmatica induti ad cantandam Epiſtolam, aut Euangelium, aut Chriſti paſſionem, quod ex Nauarr. Henriq. & Auila probat, qui etiā fatentur licere tali Clerico Sacerdoti ſacrum calicem ad Altare porrigere.

Consectarium V.

At Clericus non ordinatus exercens ea, quæ ſunt iuriſdictionis, fiat irregularis?

29 Respondetvr non fieri irregularem, quia actus iuriſdictionis non ſunt omnia officia, de quibus ſolùm agitur cap. 1. de Clerico non ordinat. & actus iuriſdictionis non ſunt actus Ordinis, vti ſupponimus; quare Sacerdos abſoluens ſacramentaliter ſine iuriſdictione, aut baptizans ſolenniter, aut conferens Extremam vnctionem ſine licentia Parochi, aut Epiſcopi, non fit irregularis, quia peccat tantùm violando iuriſdictionem, non Ordinem ſacrum; neque non Sacerdos aſſiſtendo matrimonio loco Parochi, hanc pœnam incurret, quia illa Parochi aſſiſtentia non eſt actus Ordinis, immò neque propriæ iuriſdictionis; ſi tamen ille Clericus ſolemniter benediceret coniugibus, fieret irregularis, quia ſolemnis benedictio nuptialis pertinet ad ſolum Ordinem ſacerdotalem ex Eccleſiæ lege.

Consectarium VI.

An miniſtrans in Ordine quem cum aliquo defectu ſuſcepit, fiat irregularis?

Distingvendvm eſt de defectu ſubſtantiali, vel accidentali, ſiue ex culpa conferentis, ſiue accipientis contigerit. Et quidem quod attinet ad defectum ſubſtantialem, ſi ille totalis ſit, qui cum eo miniſtrabit in tali Ordine, reuerà erit irregularis, quia non accepit Ordinem; quare ſola ignorantia probabili poterit excuſari ab hac irregularitate contrahenda; ſi verò defectus ſit tantùm partialis, & collatus ſit tantùm partialiter ille Ordo, habeátque diuerſos partiales effectus, qui ſeorſim exerceri poſſunt, tunc abſque irregularitate facere poterit actionem correſpondentē illi partiali Ordini, quem ſuſcepit. Exemplum habemus in Sacerdote qui geminam poteſtatem accipit diuerſis actionibus, nimirum ad corpus Chriſti conficiendum, & ad lauanda peccata; ſi primum, illam tantùm 30

tùm

tùm poteſtatem recepiſſet, & audiret confeſſiones, atque abſolueret ſacramentaliter, fieret irregularis exercendo Ordinem, quo caret: ſi autem celebraret tantùm Miſſam, non fieret irregularis; neque repugnat cap.2. de Clerico non ordin. miniſtr. vbi celebrans Miſſam ſine manuum impoſitione, fit irregularis; per manuum enim impoſitionem non intellexit tantùm Vrban. eam, quæ fit ad conferendam poteſtatem abſoluendi peccata, ſed quia nunquam tempore diuiditur geminæ huius poteſtatis collatio; integram ordinationem vocauit manuum impoſitionem ſolito loquẽdi more; cùm tamen ille, de quo ibid. agitur, eſſet duntaxat Diaconus, & nullam partem Sacerdotij attigiſſet; quod obſeruauit ibid. gloſſa; & manifeſtum eſt ex integra Decretali, quæ legitur in antiqua illa collect. eod. tit. & in Conc. Lateranenſi ſub Alexand. III. part.50. cap.62. quam non viderunt, qui in hoc nodo ſoluendo ſolliciti adeò fuêre; quod verò attinet ad defectum accidentalem, certum eſt ex cap. 1. de Sacrament. non iterand. eum defectum eſſe ſupplendum priuſquam ita initiatus illum Ordinem exerceat, non tamen ſi quis eam legem violet, fiet irregularis, cùm ea pœna nullibi imponatur.

Propositio IV.

NVlla quamuis illicita Ordinis adminiſtratio parit irregularitatem, *niſi cenſuræ violationem* contineat.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

31 HÆc propoſitio eſt contra Maiol. qui lib.3. & 4. plures enumerat irregularitates ſine vllo expreſſo iuris textu.

Primò igitur vult illum, qui celebrat ſine Altari conſecrato ab Epiſcopo, eſſe irregularem, quia cap. nullus Preſbyter 1. & 2. de conſecratione. diſtinct.1. talis degradari iubetur, ita ille lib.3. cap.22. num.2. quia crimen, quod inducit depoſitionem, inducit aliquam irregularitatem ex regula generali, quam idem tradiderat lib. 1. cap.3. num.9. Verùm ſi ea regula vera ſit, intelligenda tantùm erit de depoſitione ipſo iure lata, non autem de depoſitione ferenda, alioquin irregularitas eam depoſitionem ſubſequens ferretur ab homine, quod factum eſſe iam conſtat: in illis autem locis à Maiolo allegatis eſt tantùm pœna ferenda; deinde in priori loco citato prohibetur, ne quis in locis ab Epiſcopo non conſecratis faciat Miſſas, *ſi deinceps ſacerdotij particeps eſſe voluerit*, quæ verba non ſonant irregularitatem, ſed ſuſpenſionem, aut depoſitionem ferendam; in ſecundo verò cap. citato non agitur de Sacerdote celebrante ſine Altari cõſecrato, quandoquidem crimen, quod ibidem ponitur, eſt commune tum Clericis, tum laicis, illi enim degradari, hi verò anathematizari iubentur. Sed primò de erigente in Eccleſia aliud Altare, quàm ſanctificatum ab Epiſcopo, vel (vt legitur apud Iuon. 3. part. cap.29.) ab eius miſſo. Secundò, ne dedicationem fingat, niſi ſit; quod non modò de ficta Altaris conſecratione, ſed cuiuſcunque alterius rei interpretatur glosſa; irregularitatis verò nuſquam ibi mentio eſt, ſed degradationis infligendæ Clerico, & Anathematis in laicum intorquendi.

Secundò in cap. 2. de raptoribus, iubetur vt Clerici, qui fauent raptoribus, quia vel eorum rapinis communi

municant, vel eleemoſynas recipiunt, vel pœnitentiam concedunt ſine debita reſtitutione, aut cautione, vel eorum ſepulturæ aſſiſtunt, *Ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur, & beneficio careant.* quibus verbis nullus dixerit imponi irregularitatem, ſed depoſitionem, quam ita tenetur Epiſcopus imponere, vt ne quidem ſine Papæ diſpenſatione poſſit reſtituere, vt ibid. obſeruat Panorm.

Tertiò Sacerdos, qui Miſſam defunctorum facit pro viuente, vt illi mortem impetret, exiſtimatur irregularis à Maiol. lib. 3. cap. 25. num. 6. verùm Conc. Toletan. XVII. cap. 5. ex quo deſumpta eſt vltima pars cap. quicunque 26. quæſt. 5. vti ibid. obſeruant emendatores Gratiani, non agit vlla ratione de irregularitate, ſed de depoſitione ferenda vnà cum pœna perpetui exilij, quam etiam PP. extendunt ad illum, qui huius ſacrilegij author fuerit.

Puniunt iidem Toletani PP. Concil. XIII. vt citato quoque cap. refert Gratian. eos, qui non Religionis, ſed mœroris teſtandi cauſa templa ſuis pallis & ornamentis exuerint, aut luminaria extinxerint, eiúſque facinoris authorem pronuntiant, *loco dignitatis ſuæ & honore priuandum ignobilitati perpetuæ manciparum.* quæ verba non dicunt irregularitatem, vti malè exiſtimauit Maiol. ſed pœnam ab homine ferendam, & facilè de priuatione beneficij, aut dignitatis Eccleſiaſticæ exponerentur.

35 Quartò Sacerdotem conficientem Euchariſtiam toto ritu Miſſæ prætermiſſo, irregularem dicit Maiol. lib. 3. cap. 26. num. 5. eo quòd abutatur ſacerdotali Ordine, atque adeò illo omníque eius vſu indignus ſit; quæ ratio grauitatem criminis oſtendit, non tamen hanc irregularitatis pœnam à iure inflictam fuiſſe, quod tamen probandum fuerat.

Quintò, Epiſcopum ordinantem per ſaltum Clericum, irregularem putat Maiol. lib. 4. cap. 1. num. 10. quia qui alium efficit irregularem, ipſe quoque irregularis efficitur: at verò per ſaltum ſcienter ordinatus irregularis eſt. Verùm vt ab hoc poſtremo ordiar, iam docuimus hac ipſa quæſt. propoſit. proxima, conſect. 3. hunc per ſaltum promotum manere quidem ſuſpenſum, non verò irregularem. Deinde principium illud vniuerſale, quod ponit Maiol. eum omnem, qui alium facit irregularem, fieri quoque irregularem, negatur à Nauar. cap. 27. num. 107. Couarr. in Clem. ſi furioſus, tertia part. initio num. 8. & aliis, nam generans filium ſpurium non eſt irregularis, etiamſi filium illegitimum faciat irregularem, & qui alium infamat, reddit illum irregularem; ipſe tamen talis non eſt. 36

Sextò denique cap. licèt, de electione, iubetur, vt Cardinalis electus in Pontificem à paucioribus, quàm à duabus partibus electorum, ſi Papatum vſurpare conetur, tam ipſe, quàm qui ipſum receperint, *excommunicationi ſubiaceant, & totius ſacri Ordinis priuatione mulctentur.* quod Maiolus lib. 4. cap. 1. num. 5. de irregularitate interpretatur contra Panorm. qui ibid. de depoſitione tantùm à iudice ferenda exponit, & quamuis ibi contineretur depoſitio ipſo iure, & conſequenter irregularitas, nihil tamen inde contra noſtram propoſitionem colligere liceret, quia delictum hoc loco commiſſum eſſet in exercitio iuriſdictionis, non Ordinis, de quo ſolo agimus, negamúſque vllum eiuſmodi exercitium niſi adiunctam habeat cenſuræ violationem, parere irregularitatem. 37

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De irregularitate ex violatione cenſuræ contracta.

Prima propoſitio. Quando & quomodo contrahatur iſta irregularitas. n. 1.
Prima pars. Incurri irregularitatem à Clerico per violationem cenſuræ Ordinis exercitium prohibentis. num. 2. & 3.
Secunda pars. Conditiones neceſſariæ ad contrahendam irregularitatem ex violatione cenſuræ. num. 4.
Secunda propoſitio. Quando non contrahatur irregularitas. num. 5.
Expoſitio & confirmatio propoſitionis. num. 6.
Conſectarium primum. An excommunicatus minori excommunicatione celebrans incurrat irregularitatem. num. 7.
Conſectarium ſecundum. An excommunicatus ſuſcipiens Ordines fiat irregularis. num. 8.
Conſectarium tertium. An ſuſpenſus ab aliquo Ordine fiat irregularis, ſi promoueatur ad ſuperiorem. num. 9.
Conſectarium quartum. An qui incurrit ſuſpenſionem ex ſua ordinatione, fiat irregularis propter actum Ordinis, quem in illa ordinatione miniſtrat. num. 10.
Conſectarium quintum. An illo ipſo actu, quo incurritur cenſura, ſimul illa violetur aliquando, & incurratur irregularitas. num. 11.
Conſectarium ſextum. An incurratur irregularitas ex violatione cenſuræ per actum Ordinis nullum, aut fictum. num 12.
Prima regula. num. 13.
Secunda regula. num. 14.
Tertia regula. num. 15.
Soluuntur variæ quæſtiones. n. 16.
Conſectarium ſeptimum. An quando Clericus concurrit ad aliquod ſacramentum, quod ipſe non conficit, fiat irregularis propter violationem cenſuræ. num. 17.
Conſectarium octauum. An incurratur irregularitas, quando fit actus Ordinis, qui ſecundùm ſuam ſubſtantiam non eſt prohibitus per cenſuram, ſed tantùm ſecundùm modum accidentalem Ordinis. n. 18.
Ratio dubitandi. n. 19.
Explicatio difficultatis, & reſolutio. num. 20.
An Epiſcopus interdictus à Pontificalibus ſit irregularis ſi cum illo apparatu celebret. num 21.
Conſectarium nonum. An incurratur irregularitas ex omiſſione vnius tantùm conditionis in cap. Alma mater, præſcriptæ. num. 22.
An Clericus aſſiſtens Choro tempore interdicti fiat irregularis. num. 23.
Sepeliens in loco interdicto ſine Officio ſacro, an ſit irregularis. num. 24.
An Clerici non ordinati miniſtrantes ſolemniter in loco interdicto ſint irregulares. num. 25.
Conſectarium decimum. An qui exercet ſolemnia alicuius actus, & non ipſum actum per cenſuram prohibitum ſit irregularis. n. 26.
Sacerdos excommunicatus conferens ſolemnia Baptiſmi, non ipſum Baptiſmum iam collatum, eſt irregularis. num. 27.
Et Parochus ſuſpenſus nuptias ſolemniter benedicens. num. 28.
Conſectarium vndecimum. An celebrans coram excommunicato, vel interdicto, ſit irregularis. num. 29.
Conſectarium duodecimum. An excommunicatus, vel interdictus, qui ſe præſente celebrare cogit, inducat irregularitatem. num. 30.

Conſectarium decimumtertium. An qui miniſtrat Sacramentum aliquod excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis. num. 31.

Conſectarium decimumquartum. Actus iuriſdictionis contra cenſuræ prohibitionem facti, non pariunt irregularitatem. num. 32.

Conſectarium decimumquintum. Enumeratio ſingularum quorundam actionum, quæ contra prohibitionem cenſuræ facta pariunt irregularitatem. num. 33.

Conſectarium decimumſextum. An violatio ceſſationis à Diuinis, inducat irregularitatem. num. 34.

HAnc quæſtionem explicabimus duabus propoſitionibus.

PRIMA PROPOSITIO vniuerſalis.

Quando & quomodo contrahatur iſta irregularitas?

1 DIco igitur Clericum peccantem mortaliter violando cenſuram aliquam per ſolemnem actum Ordinis ſibi per cenſuram, quâ irretitus eſt, prohibiti incurrere irregularitatem.

PRIMA PARS.

Incurri irregularitatem à Clerico per violationem cenſuræ illi ſui Ordinis exercitium prohibentis?

2 HÆc propoſitio vniuerſaliſſima eſt, & in ea amplitudine ſumpta à nemine negatur: duabus porrò partibus conſtat, in prima aſſero incurri hanc irregularitatem à Clerico violante cenſuram, qua irretitus eſt, & ab exercitio Ordinis prohibitus, ea eſt enim cenſuræ Clericorum maximè propria: in altera parte ſubiicio conditiones, quæ neceſſariæ ſunt ad huius pœnæ incurſionem.

Prima igitur pars omnium DD. quos adducere ſuperfluum foret, conſenſu firmata facilè colligitur ex toto titulo de Clerico excomm. miniſtr. & ex cap. 1. cap. is qui, & cap. is cui, de ſententia excomm. in 6. & ſingillatim diſcurrendo per omnes cenſuras oſtenditur. Et primò quidem excommunicatione maiori innodatum fieri irregularem, quoties Ordinis alicuius actum exercet. cap. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3. vbi Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui poſt excommunicationem præſumpſerit oblationem, aut ſacrificium matutinum, aut veſpertinum facere, ſicut priùs, non poteſt in alio Concilio *ſpem reconciliationis habere, neque altera recolligi, ſiue, vt habet alia lectio, reconciliari.* Hæc autem pœna, quæ irremiſſibilis ibi dicitur, non eſt cenſura, neque excommunicatio, vidimus enim cap. 2. cenſuram ex ſua natura non poſſe eſſe perpetuam, ſed emendato reo tollendam eſſe; erit igitur irregularis, vti argumentatur Suar. diſp. 1. ſect. 3. num. 1. Verùm cùm aliquando fuerit negata communio vſque ad mortem, poterit fortaſſis de ea reconciliatione intelligi hic textus; deinde ibi agitur tantùm de ſacrificio, non verò de aliis actibus Ordinis ſacri, ſicut etiam in toto titulo de Clerico excommun. miniſtrante, vt optimè expendit idem Suar. Quare malè allegant totũ titulũ DD. vt probent, naſci irregularitatẽ ex exercitio Ordinis ſacri cum excõmunicatione. Quare aliunde probanda erit noſtra propoſitio, nam in cap. 1.

de

de re iudicata in 6. & cap. 1. cap. is qui, & cap. cui, de ſent. excomm. in 6. dicitur ſuſpenſum miniſtrantem in officio ſui Ordinis fieri irregularem: ex ſuſpenſione autem argumentantur ad excommunicationem DD. neque immeritò; quamuis enim in pœnalibus argumentum non valeat à ſimili, efficax tamen eſt à parte ad totum; quod enim conuenit parti, conuenit quoque toti ratione illius partis: atque ſuſpenſio eſt veluti pars quædam ratione excommunicationis, quæ omnes effectus ſuſpenſionis, atque etiam multo plures complectitur, & quamuis differant in ratione formali, ſub qua iſtæ cenſuræ inducunt eaſdem priuationes, quoad efficacitatem, tamen ſiue priuationem ipſam actualem omninò conueniunt, quod videmus in omnibus effectibus phyſicis, atque in formis quoque moralibus, idē enim omninò efficiūt, ſine eiuſdē efficacitatis ſint, etiāſi à diuerſis agētibus, & propter diuerſos fines ponūtur, quod maximè in priuationibus contingit; quis enim neget tenebras ex priuatione cuiuſcūque luminis idē efficere, & indignitatē, ſiue incapacitatē moralē ad aliquē Magiſtratum, vndè vnde oriatur, ineptum reddere ſuum ſubiectum ad eam dignitatem. Cùm igitur excommunicatio æquè priuet Clericum excommunicatum exercitio ſui Ordinis, atque ſuſpenſio, ſitque eadem indecentia, vt iſte ingerat ſe miniſteriis ſibi prohibitis, iure merito violatio eiuſmodi prohibitionis in re tam ſacra punietur eadem pœna irregularitatis, illeque eſt totius Eccleſiæ ſenſus & praxis; immò gloſſa in cap. 1 de ſentent. excomm. in 6. verb. irregularitatem, obſeruat ex antiquis Canonibus ſolùm excommunicatum miniſtrantem in ſacris Ordinibus fuiſſe irregularem, ſed eam pœnam deinde ad ſuſpenſionem extenſam fuiſſe in cap. 1. de ſententia & re iudicata, & cap. is qui, & is cui, de ſent. excomm. in 6. & quidem ſi loquatur gloſſa de celebratione Miſſæ facta ab excommunicato, certum eſt antiquos Canones illi impoſuiſſe irregularitatem; de aliis autem miniſteriis maximè extra Sacramenta non afferuntur antiqui Canones ſatis euidentes, vti obſeruauimus.

Hinc porrò habemus ſuſpenſum quoque incurrere irregularitatem ex ſolemni exercitio ſui Ordinis, ex iuribus allatis, ex quibus à ſuſpenſione ad excommunicationem argumentati ſunt DD. ita enim Diuinis ſe ingerere vetatur ſuſpenſus, vt non agat in ſuo officio ſicut priùs; neque diſtinguendum eſt, inter ſuſpenſionem, quę fit à Canone, & eam, quæ fit ab homine, vtraque enim affert irregularitatem, vti obſeruat Panorm. in cap. ſicut, de cohabitatione Cleric. & mulierum, num. 4. Innocentium & Hoſtienſem allegans, cùm iura abſolutè loquantur de ſuſpenſione, quæ eiuſdem naturæ eſt, ſiue ab homine, ſiue à iure feratur, neque ſibi contrarius eſt Panorm. in cap. cùm dilectus, de conſuetudine, num. 17. cùm dixit ſuſpenſum à Canone celebrantem non manere irregularem, ſed tantùm ſuſpenſum à iudice, quod etiam aſſeruit Felin. in cap. paſtoralis. § cùm autem, de officio delegati. n. 128. nam hi DD. per ſuſpenſionem à Canone intelligunt illam, quæ imponitur à Canone propter defectum aliquem, & non propter delictum, eius enim violatio reuerà non affert irregularitatem, vt tradit Couarr. in Clem. ſi furioſus 1. part. §. 1. n. 5. Auila 7. part. diſp. 3. dub. 11, concl. 3. & alij inferiùs allegandi; per ſuſpenſionem verò

rò à iudice intelligit Panorm. & Felin. eam quæ propter delictum commiſſum infligitur, quæ ſola vera cenſura eſt, & ex cuius ſolius violatione per Ordinis prohibiti miniſterium contrahitur irregularitas; vnde idem Felin. in cap Apoſtolicæ, de exceptionibus, num. 17. ait ſuſpenſum ſiue à Canone, ſiue à iudice fieri irregularem ſi celebret, adducitque in eam rem varias gloſſas. Diſtinguendum etiam minimè eſt inter ſuſpenſionem, quæ eſt cenſura, & illam quæ eſt mera pœna, nam ob vtriuſque violationem contrahi irregularitatem omnes DD. æquè conſentiunt, & definitur cap. 1. de re iudicata in 6 vbi iudex per ſordes aliquid minus iuſtum committens ſuſpenditur per annum ab officio, quæ ſuſpenſio cùm ſit definiti temporis, pœna eſt, non cenſura, vti aliàs obſeruauimus, de illo tamen iudices ita ſuſpenſo dicitur in eodem capite, quòd ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ſe ingeſſerit Diuinis, irregularitatis laqueo ſe inuoluet. Ratio quoque manifeſta eſt, neque enim ſuſpenſio cauſat irregularitatem, quia perpetua eſt, aut certi tẽporis definitĩ, aut indefinita quoad durationem, ſed quia ſuſpendit à ſacris miniſteriis, quod tam efficaciter præſtat ſuſpenſio, quæ eſt pœna, atque illa quæ eſt cenſura, quamdiu vtraque durat.

Venio ad interdicti cenſuram, nam ex quocunque interdicto ſiue perſonali, ſiue locali naſci irregularitatem, agnoſcunt omnes DD. & ex aliis duabus cenſuris argumentantur, quia interdictum quoque priuat Clericos exercitio ſuorum Ordinum ſiue abſolutè, ſiue ſecundùm quid reſpectu alicuius loci, vnde interdictum dicitur continere vel actu, vel formaliter ſuſpenſionem à Diuinis; deinde illuſtrem textum habemus in cap. is cui, de ſentent. excomm. in 6. ibi enim ille, cui fuit interdictus ingreſſus in Eccleſiam, eſt quoque diuinorum celebratio interdicta, vbi vides rationem adæquatam, propter quam iſte interdictus fit irregularis, reddi à Pontifice ex eo, quod illi fuerit prohibita diuinorum celebratio; quoties igitur aliquis diuina celebrabit contra prohibitionem vi alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ ſibi factam, euadet irregularis. dixi, contra prohibitionem cenſuræ, nam ſi fuerit ſimplex prohibitio facta vel à ſuperiore, vel à Confeſſario, eius violatio non inducet irregularitatem, vt patet, eſtque euidens ratio; cùm enim irregularitas ſit impedimentum Canonicum, non contrahitur, niſi in iis caſibus, in quibus illud contrahi voluit Eccleſia, maximè cùm noluerit eadem Eccleſia relinquere poteſtatem Prælatis imponendi hanc pœnam ad puniendа crimina, dum ipſis viſum fuerit, ſed duntaxat in caſibus iure expreſſis, in quibus non ſunt eiuſmodi ſimplicium prohibitionum, aut mandatorum infractiones, niſi ſimul contra aliquam cenſuram Eccleſiaſticam peccetur. Vides deinde in textu allegato non reſtringi hanc irregularitẽ ad Miſſæ ſacrificium, aut aliquem actum peculiarem, ſed ad Diuinorum celebrationem extendi; ita vt ille interdictus non agat in ſuo officio, ſicut priùs, in gerendo ſe Diuinis. Hoc porrò interdictum ingreſſus Eccleſiæ partim locale, partim perſonale eſt; locale quidem, quia, vti oſtendimus aliàs, vi illius non interdicitur abſolutè & ſimpliciter celebratio, ſed tantùm in Eccleſia, à cuius aditu iſte remouetur: atqui etiam in interdicto locali non prohibetur eadem celebratio, niſi in loco interdicto; qui

igitur

igitur in illo Diuina facier, æquè in curret irregularitatem, quod etiam definitur cap. is qui, §. is verò, de ſent. excomm. in 6. Neque quod aliqui inutiliter conãtur, reſtringenda eſt ea definitio, ad eum, qui ſua culpa cauſam dedit interdicto locali, atque ita ipſe ſpecialiter interdictus eſt, nam Pontifex ait, quemcunque, *niſi priuilegiatus exiſtat ſuper hoc, vel à iure ſit ei conceſſum*, fieri irregularem Diuina celebrãdo in eo loco interdicto. Deinde hoc interdictum perſonale eſt cùm dirigatur primò & per ſe ad perſonam, & non ad locum, & tamen ex eo quòd includat ſuſpenſionem Diuinorũ reſpectu alicuius loci determinati, incurritur irregularitas per eius violationem; ergo multò magis id faciet interdictum, quando abſolutè eadem Diuina reſpectu cuiuſcunque loci prohibebit, eo quòd ſit perſonale, ſiue generale, ſiue ſpeciale, quæ in ea extenſione ampliſſimæ prohibitionis Diuinorum conueniunt. Habemus igitur Clericum ex violatione cenſuræ ipſum ſummouentis à Diuinis celebrandis incurrere irregularitatem, quod intelligendum eſt de quocunque ſiue denuntiato, ſiue non denunciato, cùm Extrauag. Ad euitanda, non faueat cenſurâ affectis, & nunquam permittat illis ſe ingerere ad Diuina.

SECVNDA PARS.

Conditiones neceſſariæ ad contrahendam irregularitatem ex violatione cenſuræ.

4 VIdẽdum ſupereſt, an omnis violatio huius cenſurę hanc pœnam afferat, quod præſtiti altera parte noſtræ propoſitionis, vbi aſſignaui cauſas neceſſarias ad pœnam.

Exigo verò imprimis violationem mortalem, quod omnes docent, quia hæc irregularitas eſt pœna, & non merum impedimentum, & idcò incurritur ex aliquo delicto, non defectu duntaxat; poſtulat igitur culpam ſibi commenſuratam, ac proinde grauem, cùm ipſa grauis ſit, & omnia quæ de neceſſitate ſimilis culpæ ad cenſuram dicta ſunt, valent etiam hoc loco; vnde vides illud omne, quod eam violationem peccati mortalis immunem reddet, liberare ab hac irregularitatis pœna, ſiue metus, ſiue ignorantia probabilis, ſiue quidpiam aliud ſit.

Secundò exigo actum Ordinis per cenſuram prohibiti, qui ſi ſit ſola receptio, & non miniſterium, non violatur cenſura, qua Clericus vt Clericus eſt, innodatus fuit; perceptio enim Sacramentorum, aut aliquid quidpiam, quod non ſit exercitium Ordinis, commune eſt etiam laicis, vel non eſt circa Diuina, vel non poſtulat miniſterium vllum ſacrum; ſi verò ſit quidem miniſterium ſacrum, ſed gerenti non competens, defectu characteris, non violat reuerà cenſuram ab illius miniſterio ſummouentem, illa enim ſupponit Ordinem in eo, cui eius miniſterium inhibet, quæ omnia clariora fient in conſectariis.

Tertiò, requiro actum ſolemnem, hoc eſt, vt ille actus fiat cum eo ritu & apparatu, cum quo non poteſt fieri ex Eccleſiæ conſtitutione, niſi ab habente talem Ordinem, & non à laico, aut etiam Clerico, qui ſimili Ordine careat; obſeruandum enim eſt, actus quoſdam Ordinum eiuſmodi eſſe, vt ſecundùm ſuam ſubſtantiam fieri validè poſſint à laico, qui etiam cantare poterit Epiſtolam, aut Euangelium in Miſſa, etiamſi hi actus pertineant ad quoſdam Ordines ſacros, vt patet:

alij verò actus ne quidem ſecundùm ſuam ſubſtantiam poni queunt, niſi ab ordinatis, vnde dicuntur ſolemnes eſſe per ſeſe, ſiue potiùs ſunt ſubſtantialiter actus proprij quorundam Ordinum, & conſecratio Eucharistiæ, abſolutio ſacramentalis, Confirmationis collatio, atque ipſiuſmet Ordinis adminiſtratio, qui omnes actus eſſentialiter requirunt Ordinem ſacerdotalem in eo, à quo fiunt, alioquin nulli omninò ſunt; cùm igitur requiro ad incurrendam irregularitatem actum ſolemnem Ordinis, non exigo ſemper omnem apparatum, & ritum externum ex Eccleſiæ inſtitutione adhiberi ſolitum, ſed eum duntaxat, qui neceſſarius eſt, vt ille actus dicatur proprius alicuius Ordinis, & qui illum ponit, verè violet cenſuram exercendo Ordinem, à cuius actibus per cenſuram prohibitus eſt; ſi enim ille idem actus eo modo, quo ab illo exercetur, poni potuit à non ordinato, non eſt cur damnemus illum violatæ cenſuræ, & prohibitionis ſibi factæ, quia reuerà non fecit actum ſui Ordinis, ſed alium illi ſimilem, qui à non ordinato æquè fieri ſolet: quare Sacerdos excommmunicatus baptizans priuatim, nulla adhibita ſolemnitate, non incurret irregularitatem. E contrario verò, ſi exequatur actum ſubſtantialiter alicuius proprium, etiamſi nullam adhibeat externam ſolemnitatem, euadet tamen irregularis, quia ſecluſa omni illa ſolemnitate actus, qui fit, eſt proprius talis Ordinis, atque in eius exercitio violatur cenſura, quæ muneta illius Ordinis exercere prohibebat; quare Sacerdos excommunicatus conſecrans ſine teſtibus ſacris, & abſque vllo alio ritu, ſed tantùm proferens in panem & vinum verba conſecratoria cum intentione debita, erit irregularis. ita Auila 7. parte, diſput. 9. ſect. 2. dub. 2. Suar. diſp. 12. ſect. 2. num. 23. & alij omnes.

PROPOSITIO II.

Quando non contrahatur irregularitas.

LAicus cenſura aliqua irretitus 5
malè vſurpans rei diuinæ celebrationem, aut Sacramenti alicuius collationem, aut Clericus hæc omnia perficiens laicorum more, nunquam fit irregularis.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

HÆc regula æquè certa eſt, ac 6
prior, cui opponitur, & ex qua neceſſariò ſequitur; ſi enim ſola violatio cenſuræ per miniſteriũ alicuius Ordinis parit irregularitatem, qui eiuſmodi miniſterium non exercebit, etiamſi aliunde peccet contra cenſuram, qua innodatur, non incurret irregularitatem iſtam; atqui neque laicus, neque etiam Clericus exercere vnquam poſſunt miniſterium Ordinis, quo carent, nam etiamſi ponant ſimilem aliquem actum, non tamen actum proprium illius Ordinis, ſed actum nullum, aut fictum & ſimulatum, quod de actibus, qui ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſentialiter poſtulant poteſtatem Ordinis, à quo fluant, perſpicuum eſt; neque enim non Sacerdos vnquam Euchariſtiam conſecrabit, etiamſi ſimulet: alij autem actus, qui ſecundùm ſuam ſubſtantiam communes ſunt ordinatis, & non ordinatis, ſecundùm eam ſubſtantiam poni poterunt à non ordinatis; ſic tamen non erunt materia

huius irregularitatis, quia cum ſolemnitate, quæ illos anneĉtit alicui Ordini, nunquam verè fient à non ordinato, atque ita ex illis irregularitas, de qua agimus, non incurretur à laico, & à non ordinato. Hæc omnia lucem accipient ex conſectatiis, quæ ſubiicio.

CONSECTARIVM I.

An excommunicatus minori excommunicatione celebrans incurrat irregularitatem?

7 RESPONDEO negatiuè. Eſt enim perſpicuus textus cap. ſi celebret, de Clerico excommunicato miniſtr. rationem reddit Maiol. lib. 3. cap. 19. num. 23. & cap. 21. num. 2. poſt Speculat. tit. de diſpenſation. §. iuxta, verb. Item nota; quia licèt hæc excommunicatio, quæ ex communicatione cum excommunicato contrahitur, ſit quædam ſuſpenſio, non tamen eſt ſuſpenſio canonis, ſed Dei. Verùm hæc diſtinctio ſuſpenſionis à quibuſdam antiquis Canoniſtis inducta teiicienda eſt, quia ſuſpenſio Dei alia non eſt, quàm ſuſpenſio quam affert quodlibet peccatum mortale, quod quandiu non eluitur, impedit à Sacris tum recipiendis, tum adminiſtrandis Ratio igitur, propter quam excommunicatio minor non faciat irregularem miniſtrantem Sacramenta, perſpicua manet ex priori noſtra propoſitione; diximus enim hanc pœnam incurri per violationem cenſuræ exercendo actum Ordinis ſibi per eam cenſuram prohibiti, cùm omnia iura loquantur de vſu actiuo ex officio contra prohibitionem factam: atqui excommunicatio minor priuat ſola receptione Sacramentorum, non autem eorum adminiſtratione, in qua ne quidem venialiter peccat, niſi ea adminiſtratio ſit ſimul receptio, vt contingit in Miſſa, quod totum cap. ſuperiori, quæſt. 4. ſtabiliuimus.

Hinc etiam fit, vt qui ſuſpenſus eſt à perceptione Sacramentorum, cùm ea ſuſpenſio æquiualeat excommunicationi minori, & ſit pœna communis laicis, violetúrque abſque Officij diuini, aut Ordinis alicuius exercitio, non incurrat etiam irregularitatem, vti Innoc. Hoſtienſ. Panormit. & alij DD. relati à Sayro lib. 4. cap. 7. n. 8. annotarunt.

CONSECTARIVM II.

An excommunicatus ſuſcipiens Ordines fiat irregularis?

RAtio dubitandi eſt, quia ex noſtra propoſitione generali quælibet violatio cenſuræ non inducit irregularitatem, ſed ea duntaxat, quæ fit per exercitium Ordinis per cenſuram prohibiti; hic verò qui excommunicatione aliáve cenſura irretitus ſuſcipit Ordines, nullum actum Ordinis exercet, vt vides; ergo non fit irregularis: nihilominùs cùm cenſura ita impediat receptionem Ordinum, vt eos recipientem reddat inhabilem, qui ad ſuperiores promoueatur, & prohibeat exercitium iam ſuſcepti cum cenſura, vt conſtat ex cap. 1. de eo, qui furtiuè Ordin. ſuſcipit, & cap. cùm illorum, de ſententia excomm. Nihil deeſſe videtur ad irregularitatem, atque ita nominant Panorm. in cap. 1. de eo qui furtiuè ordin. ſuſc. num. 3. Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 76. in 7. effectu. 8

Nauarr. cap. 27. num. 141. quibus adde Speculator. Tabien. Sylu. & alios, quos allegat & ſequitur Maiol. lib. 4. de irregul. cap. 34. & Auila 7. part. diſp. 9. ſect. 1. dub. 6. concl. 2.

Reſpondeo nihilominùs hanc pœnam, quam iura imponunt ſuſcipientibus Ordinem cum aliqua cenſura, non eſſe veram & propriam irregularitatem, ſed ſuſpenſionem duntaxat, cùm prohibeat ab exequutione Ordinis ita ſuſcepti, quod eſt proprium munus ſuſpenſionis, neque impediat à ſuſceptione Superioris, niſi conſequenter, quatenus ab eius exequtione prohibebit, quandiu non tolletur, ſuſpenſio enim & irregularitas prohibent ab exercitio Ordinis, atque ab eius ſuſceptione, ſed diuerſo modò, quia ſuſpenſio directè & primariò vetat exercitium Ordinis, & indirectè, ac conſequenter eius ſuſceptionem, quæ non fit niſi in Ordine ad exercitium; irregularitas verò primariò reddit incapacem ſuſceptionis Ordinum, & conſequenter ipſorum exercitij: quare cùm pœna, quam incurrunt, qui cenſura aliqua irretiti ſactum Ordinem ſuſcipiunt, primariò prohibeat Ordinis ita ſuſcepti exequutionem, erit ſuſpenſio tantùm, & non irregularitas; atque ita exiſtimant Couarr. in cap. Alma mater 1. part. §. 6. num. 6 Suar. diſput. 31. ſect. 1. num. 57. Alter. diſput. 10. de ſuſpenſ. cap. 6. & Nauarr. in cap. conſideret. §. cantus. de pœnit. d. 5. ait duntaxat, ita cum cenſura ordinatum non accipere ſui Ordinis exequutionem, vbi vides meram ſuſpenſionem. Neque aliud probant iura adducta, nám cap. 1. de eo qui furtiuè ordin. ſuſc. dicitur eum, qui furtiuè ſuſceperat Subdiaconatum, ſi ſub anathemate prohibitus id fecerit, non poſſe Papæ diſpenſatione promoueri ad Sacerdotium; vnde aliqui colligunt inhabilitatem ad ſuperiorem Ordinem, ac proinde irregularitatem, nihil efficit; ibi enim agitur de furtiua ſuſceptione Ordinum, quæ punitur ea inhabilitate ad ſuperiorem Ordinem, ita tamen, vt eius diſpenſatio ſit multo difficilior, ſi cum ea furtiua ſuſceptione coniuncta fuerit violatio præcepti Superioris, qui Ordines ſuſcipere prohibuerat interminato anathemate, nunc enim hæc ſuſpenſio non poterit laxari ab Epiſcopo, niſi ille reus ſuſcepto habitu Religionis aliquandiu laudabiliter vixerit, alioquin enim adeundus erit Pontifex ad hanc diſpenſationem obtinendam: itáque ratione illius excommunicationis non additur noua pœna ſiue ſuſpenſionis, ſiue irregularitatis furtiuæ ſuſceptioni, propter adiunctam cenſuram, ſed tantùm ratione illius nouæ circunſtantiæ maleficæ, aggrauatur eo quòd difficiliùs remittatur. Secundò hæc pœna deinde manifeſtò explicatur cap. 3. eod. tit. quod de iuris rigore ita ordinatus nequeat in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, vbi vides ſuſpenſionem; quod verò cap. 1. dixerat Pontifex neque ad vlteriorem Ordinem aſcendere poſſe, idcircò dixit, quia cùm exercitium Ordinis vetitum eſt, eius quoque ſuſceptio prohibita ſit oportet. Denique iſte non incurrit excommunicationem, niſi propter furtiuam ſuſceptionem contra prohibitionem cum communicatione excommunicationis; quare non ſuſcipit Ordines cum excommunicatione, aut illa ligatur, ſed incurrit excommunicationem per Ordinis ſuſceptionem. Vnde vides in eo capite non agi de noſtro caſu, qui eſt de eo, qui cenſura irretitus deinde ſuſcipit Ordines, an incurrat irregularitatem,

quod

quod negamus, quia non violat cenſuram per miniſterium Ordinis, à quo fuerat prohibitus; in cap autem cùm illorum, de ſentent. excomm. habetur tantùm ſuſpenſio ab exequutione Ordinis ſuſcepti cum excommunicatione propter Clerici percuſſionem incurſæ.

CONSECTARIVM III.

An ſuſpenſus ab Ordine aliquo fiat irregularis, ſi ad ſuperiorem promoueatur?

9 HÆc quęſtio non videtur multùm differre à ſuperiore, nonnihil tamen diſſimilis eſt; in priori enim illa quærebamus in vniuerſum, an quando violatur aliqua cenſura per Ordinis ſuſceptionem, incurratur irregularitas, quod negauimus. Hîc verò quærimus ſigillatim de ſuſpenſione ab exercitio Ordinis inferioris ſigillatim, an illa ita impediat receptionem ſuperioris, vt non modò noua ſuſpēſio ab exequutione Ordinis ſuſcepti, ſed etiam irregularitas contrahatur. Ratio dubitandi eſt, quia in receptione Ordinis ſuperioris reperitur ſemper quoddam exercitium inferioris, nam Subdiaconus, dum accipit Diaconatum, gerit ſe pro Subdiacono, ſiſtit enim ſe inter Subdiaconos cum habitu Subdiaconi, & ſolet cantare etiam Epiſtolam, antequam ordinetur ad Diaconatum: violat igitur cenſuram per miniſterium ſui Ordinis, ac proinde eſt irregularis.

Reſpondeo nihilominus cum Zerola 2. p. praxis, v. irregularitas, dub. 2. Sorbo in compendio priuilegior. v. Ordines ſacri. & Sayr. lib. 4. theſauri, cap. 16. n. 22. hunc minimè eſſe irregularem, quia in ea ſuſceptione Ordinis ſuperioris nulla eſt neceſſariò implicata adminiſtratio Ordinis inferioris, à quo ſuſpenſus eſt, neque enim omnes, v. g. Subdiaconi, qui ſimul promouentur ad Diaconatum, cantant Epiſtolam ſolemniter, ſed vnus duntaxat; quòd verò ſiſtant ſe omnes cum ornamentis Subdiaconi, non parit irregularitatem, nam in ſumendis illis veſtibus, non eſt aliquod exercitium Ordinis, vt patet. Itaque qui cum apparatu Subdiaconi accederet ad Altare, & Sacerdoti facienti aſſiſteret, ſi tamen nullum actũ ſui Ordinis exequeretur, non fieret irregularis, propter illam præſentiam cum indumentis Ordinis, à quo fuerat ſuſpenſus.

CONSECTARIVM IV.

An qui incurrit ſuſpenſionem in ſua ordinatione, fiat irregularis propter actum Ordinis, quem durante ordinationis ſolemnitate miniſtrat?

NONNVNQVAM aliqui ſuſpenſionem incurrunt, dum contra leges canonicas ordinantur, vti fuſiùs exponemus inferiùs; ſtatim verò atque ordinati ſunt, ſolent in ſuo Ordine miniſtrare; Diaconi videlicet, & Subdiaconi canunt ſolemniter Epiſtolam, vel Euangelium, & Sacerdotes vnà cum Epiſcopo conſecrãt, quæritur igitur, an Titius, qui eò quòd per ſaltum promotus fuerit ad Diaconatum, incurrit ſuſpenſionem, ſi in eadem Miſſa, in qua ordinatur, canat ſolemniter Euangelium, fiat irregu- 10

 laris,

latis, aut Sacerdos, qui poſt contra-ctum matrimonium conſecratur, & in illa ſua conſecratione ſuſpenſionem contrahit, maneat irregularis, ex eo quòd in eadem Miſſa ſimul cum Epiſcopo ordinante cõſecret; exercet enim actum Ordinis, à quo ſuſpenſus eſt; nihil autem aliud requirebamus ad hanc irregularitatem, quàm vt violaretur cenſura per exercitium Ordinis ab ipſa prohibiti. Itaque Couarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 3. n. 5. ait ſuſcipientes maiores Ordines in loco interdicto fieri irregulares, quia exercent Ordinem contra prohibitionem interdicti, & idem alij aſſerunt apud Henriq. lib. 14. cap. 6. n. 4. litt. V. & X. & cap. 3. n. 6. in quibus eſt Maiol. & Nauarr. Auila quoque 7. p. diſp. 9. ſ. 2. dub. 10. con. 3. tempore interdicti ordinatum, ſi ſolemniter, & publicè in eadem Miſſa canter Epiſtolam, aut Euangelium, irregularem fieri exiſtimat.

Reſpondeo nihilominus cum eod. Henriq. locis citatis. Bartholom. Medina lib. 1. Inſtructio. confeſſo. cap. 11. §. 8. Sayr. lib. 4. n. 23. Suar. diſp. 31. de cenſur. ſ. 1. n. 71. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 3. n. 5. hunc minimè fieri irregularé, quia actiones quas id temporis exercent ordinati, non cenſentur moraliter diſtinctæ ab ipſa ordinatione, ſed eius quædam aut partes, aut appendices; iura verò tum noua, tum vetera, quæ imponunt irregularitatem ſuſpenſo, qui in ſuo officio, ſicut priùs, miniſtrauerit, loquuntur de miniſterio, quòd extra ipſam ordinationem ſit, & quòd aliquo tempore phyſico ſequatur ordinationem. Quare neque ex ſtylo Curiæ eſt, vt Sacerdos ante legitimam ætatem ordinatus diſpenſetur ab irregularitate, ſi extra illam ſuam ordinationem nondum celebrauit, ſed ſolùm vt abſoluatur à ſuſpenſione quam incurrit, vt Scholiaſtes Nauarri ad conſil. 97. de ſimonia, n. 8. obſeruauit, licèt ibid. Nauarr. n. 9. & 10. videatur hîc agnoſcere irregularitatem, quam omninò reiicit ſtylus Curiæ, quandoquidem in ea nunquam diſpenſat, neque communis hominum ſenſus fert, hunc dici primum ſactum, aut primum celebrari à Sacerdote, quando in illa ſua ordinatione conſecrat. Mitto alias cauſas, ex quibus poſſit excuſari eiuſmodi irregularitas, vt quòd non fiat hoc Ordinis exercitium ex præſumptione, vt requirunt iura, ſed ex neceſſitate quadam, ne ſe infamet ille, cui imperatur recitatio Euangelij, v. g. poſt ſuam ordinationem in Diaconum, hæreo in noſtra propoſitione, nempe hîc non eſſe vllum miniſterium Ordinis extra ordinationem ipſam.

Dices, in illa ſaltem ordinatione eſſe quoddam exercitium Ordinis inferioris, ac proinde ratione illius fit ita ordinatus irregularis. Reſpondeo hoc exercitium eſſe valde improprium, & tantùm quatenus Ordo inferior affert capacitatem proximam ſuſcipiendi ſuperiorem, quod fuſiùs expoſuimus cap. 7. de cenſuris, q. 12. regula 3. conſ. 2. & 4. Iura autem, quæ impon͠ut irregularitatem propter violatam ſuſpenſionem ex miniſterio Ordinis, loquuntur de miniſterio longè alio illius Ordinis, vt patet.

Consectarivm V.

An illo ipſo actu, quo incurritur cenſura, ſimul illa violetur, & contrahatur irregularitas?

Exemplvm eſt in illo, qui ſub pœna excommunicationis ipſo fa- 11
cto

cto incurrendæ prohibitus eſt celebrare, vel abſolutè, vel in certo quodam loco; ſi enim celebrat contra eam prohibitionem, reuerà incurrit excommunicationem, quæritur an etiam ſimul fiat irregularis, eo quòd faciat contra cenſuram.

Reſpondeo cum Suar. diſp. 71. ſ. 1. n. 77. & diſp. 42. n. 3. Bonacin. diſp. 7. de irregul. q. 3. p. 5. n. 8. nullam incurri irregularitatem, quia illo primo actu reuerà non violat cenſuram ille Clericus, ſed illum contrahit, quæ duo longè diuerſa ſunt, non incidit porrò quis in irregularitatem, quia per exercitium alicuius Ordinis ſacri contrahit excommunicationem, vel quamlibet aliam cenſuram, ſed quia iam contractum violat; quare ſi deinde ſecundò ille, de quo agimus, celebret, fieret irregularis, quia reuerà per illum actum violat cenſuram, quæ Ordinis exercitium prohibebat.

Hinc fit, vt prohibitus ſub excommunicatione ipſo facto contrahendæ, ne Ordines ſuſcipiat, ſi ordinetur, non fiat irregularis, quia ordinatione ſua contrahit excommunicationem, non tamen aut excommunicatus ordinatur, aut in illa ordinatione continuata miniſtrat iam priùs excommunicatus, vti diximus conſect. ſuperiori, & prius naturâ ordinatur, quàm excommunicatur, quandoquidem cauſa excommunicationis eſt ordinatio ſuſcepta contra prohibitionem: vbi autem iam eſt excommunicatus, nihil agit, vnde maneat irregularis, ſicuti demonſtrauimus. Ita Sylu. verb. Irregularitas q. 13. allegans Antonin negat illum, cui in aliquo loco celebratio Miſſæ prohibetur ſub pœna excommunicationis, fieri irregularem prima vice, qua celebrat, conſentit Maiol. lib. 3. cap. 18. vbi etiam ait illum, cui Epiſcopus prohibuerit propter ſuam ignorantiam, alias Miſſas facere, quàm pro defunctis, aut de Beata, fieri irregularem prima vice, qua violabit eiuſmodi præceptum interminata excommunicatione ſibi factum; malè tamen addit eum, cui ſimile præceptum factum fuerit de non celebrando ſimpliciter, aut non recipiendis Ordinibus, etiam dum primum Sacrum faciet, manere irregularem, eo quòd quando præceptum fuit nudum, inquit, de non promouendo, aut non exequendo, qui illud violat, abutitur ordine; quando verò præceptum fuit qualificatum de non celebrando in certa Eccleſia, aut non recipiendis Ordinibus à certo Epiſcopo, qui ſecus facit, abutitur tantùm aliqua qualitate, non ipſo Ordine, quod diſcrimen inane eſt, nam reuerà in vtroque illo præcepto prohibetur vel ordinatio, vel exequutio, licèt in vno prohibeatur abſolutè, in alio tantùm ſecundùm quid, & cum quadam conditione: quare in vtriuſque præcepti illius violatione æquè reperitur abuſus Ordinis, quod apparet in eo, qui celebrat in loco interdicto; illi enim non fuit prohibita celebratio, niſi ſecundùm quid, & in tali tantùm loco; quare illa prohibitio eſt qualificata, cuius tamen violatione incurritur irregularitas, vti oſtēdimus prima propoſitione, & manet in vtroque iſto caſu & præcepto contrahi cenſuram per eam violationem præcepti, non autem contra cenſuram fieri.

Vnde quoque reiicies, quod addebat Maiol. in eod. cap. 18. allegans Specul. tit. de diſpenſat. §. iuxta. verb. Item ordinatus. nimirum reum commiſſi criminis, cui ex iuris præſcripto infligenda eſt ſuſpenſio, ſi prohibeatur à ſuperiore ne celebret, in pœnam talis criminis incurrere irregularitatem,

rem, violando illud præceptum etiamſi nondum lata fuerit à iudice ſuſpenſio, eo quòd præceptum Superioris tunc habeat vicem ſuſpenſionis, ac proinde eoſdem faciat effectus. Verùm cùm reuerà nondum lata fuerit cenſura, reuerà non violabitur per celebrationem, quamuis factam contra prohibitionem Superioris delictum cõmiſſum punientis; quare ex regula poſita non incurretur irregularitas, neque enim verum eſt hanc prohibitionem æquiualere cenſuræ & ſuſpenſioni quoad effectus iuris, quamuis quoad peccatum, ſiue obligationem ad culpam eiuſdem fortaſſis ſit efficacitatis; quare niſi illud præceptum ſuperioris ſimul habeat adiunctam ſuſpẽſionem, reuerà nullus erit locus irregularitati ex eius violatione.

Aliud verò dicendum eſt, quando cenſura iam impoſita fuit, licèt cõditionaliter, qui enim eam violabit per ſacrum miniſterium, fiet omninò irregularis. v. g. ſi quis ſuſpenſus fuerit donec ſatisfecerit, aut donec ipſum pœnituerit, ſi interea celebret, erit irregularis, vt contra Innocent. in cap. vlt. de Clerico excomm. miniſtr. n. 3. & alios quoſdam Canoniſtas ſtatuit Suar. diſp 26. ſ. 2. n. 5. & ex illo pro more ſuo Alteri diſp. 9. de ſuſpenſ. cap. 2. & Sayr. lib. 4. Theſaur. cap. 16. n. 30. quia reuerà illis verbis imponitur ſuſpenſio, quæ durabit, donec ponatur conditio præſcripta à iudice; & quamuis ex ea definitione certi temporis colligamus eam ſuſpenſionem potiùs eſſe pœnam, quàm propriam cenſuram, monuimus tamen propoſitione prima ex ſuſpenſione, quæ eſt mera pœna, æquè oriri irregularitatem, atque ex ea, quæ eſt vera cenſura; idcircò Canoniſtæ, quos impugnamus, negant hanc ſuſpenſionem eſſe pœnam Eccleſiaſticam, ſed tantùm eſſe ſuſpenſionem quoad Devm, vt loquuntur, & afferre effectum intrinſecum peccati, quòd quamdiu non abſtergitur, impedit ne licitè fiat ſacrum miniſterium, & idcircò Sylu. v. Irregularitas q. 27. exiſtimat hanc ſuſpenſionem: Suſpendo te donec pœnitueris, non parere irregularitatem, quia eſt tantùm ſuſpenſio reſpectu Dei, & ad eam tollendam non eſt opus facto hominis; ſecùs autem exiſtimat de ſuſpenſione donec quis ſatisfecerit; ſi enim ante eius abſolutionem aliquis celebret, vult eſſe irregularem; vtrobique tamen eſſe pœnam Eccleſiaſticam ex eo patet, quòd impediat ab omni officio Eccleſiaſtico ita abſolutè prolata; peccatum tamen non impediret à qualibet officij Eccleſiaſtici & clericalis actione. Deinde aliquando ea ſuſpenſio continet ſuſpenſionem à beneficio, vt cap. quia ſæpè, de elect. in 6. & cap. præſenti, de officio ordinar. in 6. conſtat autem peccatum ex ſuo effectu intrinſeco non ſuſpendere à beneficio. Parùm autem accommodatè affertur cap. vlt. de cohabitat. Clericor. & mulier. vbi dicitur Clericum concubinarium eſſe ſuſpenſum quoad ſe; illud enim longè diuerſum eſt à ſuſpenſione, de qua diſputamus, & quæ expreſſis verbis à iudice fertur, quamuis ſub quadam conditione; quare vera omninò ſuſpenſio eſt, & vt talem agnouit gloſſa in cap. 2. de cenſibus in 6. verb. ſuſpenſio.

***

Con

Consectarium VI.

An incurratur irregularitas ex violatione cenſuræ per actum Ordinis nullum, aut fictum.

12 QVamuis non poſſit propriè dici exerceri Ordo ſacer per actum nullum & inualidum, aut fictum, quia tamen talis actus quoad ſpeciem externam inter actus Ordinis cenſetur, & vt talis etiam ponitur ab operante, idcircò nominari ſolet actus talis Ordinis, ſed nullus & inualidus. v. gr. ſi quis Sacerdos fingat ſe dare abſolutionem, aut illam reuerà & ex animo dare velit, quam tamen reipſa non dat, quia caret poteſtate; ſi panem hordeaceum, aut acetum conſecret, ſi Epiſcopus fœminam ordinet, nihil planè efficient.

Hæc autem nullitas, & inualidus actus oriri poteſt primò defectu alicuius conditionis, ſiue in materia, ſiue in ſubiecto, ſiue in operante, quia aut materia non eſt apta, vt panis hordeaceus ad conſecrationem Eucharistiæ, aut ſubiectum eſt incapax illius actionis, vt fœmina ordinationis, excommunicatus abſolutionis à peccatis, aut operans caret poteſtate, quia, v. gr. non eſt ordinatus, aut caret intentione perficiendi talem actum. Secundò ex conſcientia erronea operantis, qui exiſtimat ſe actum Ordinis efficere, aut ordinatum eſſe, cùm tamen non ſit.

Obſeruandum tamen eſt primò, cenſuram non incurri niſi per actus perfectos, & conſummatos in ſuo genere, quod fusè oſtendimus alibi.

Secundò irregularitatem aliáſve pœnas aliquando imponi à iure propter actus, quos ipſum inualidos & defectuoſos eſſe ſupponit, imò ideò illos punit, quia mali ſunt; quare licèt inualidi & inutiles ſint, modò tamen ponātur, incurretur pœna illis impoſita, vti dictum fuit lib. de cenſuris. v. gr. rebaptizatio eſt actus nullus, ſicut & abſolutio data ab excommunicato denuntiato, aut alio quopiam Sacerdote carente iuriſdictione; qui tamen rebaptizat, quamuis inutiliter, reuerà plectetur pœna in iure lata, & Sacerdos excommunicatus denuntiatus abſolutionem ſacramentalem inualidam, licèt conferens fiet irregularis.

Tertiò denique aduertendum eſt agere nos duntaxat hoc loco de pœna irregularitatis, quæ præcisè oritur ex violatione cenſuræ, qualis ea tantùm eſt, quæ ex exercitio alicuius Ordinis contra prohibitionem cenſuræ facto incurritur; quibus obſeruatis, ſic ex principiis poſitis implicatiſſima quæſtio definienda videtur.

Prima Regvla.

PRimò, quoties actus Ordinis eſt nullus, aut inualidus tantùm ratione materiæ, aut ſubiecti, in quo fit, toties incurritur irregularitas, ſi talis Ordinis miniſterium per cenſuram fuerat prohibitum, atque ita Sacerdos excommunicatus conſecrans acetum, & Epiſcopus etiam excommunicatus ordinans fœminam, incurret irregularitatem ratione violatæ cenſuræ, nimirum excommunicationis, quæ priuat vſu actiuo Ordinis ſacri, quia reuerà ibi

 eſt

eſt actiuus vſus Ordinis,& poteſtatis per illum collatæ, quantum eſt ex parte operantis; ille autem vſus ſimpliciter prohibetur per cenſuram,ſiue ſequatur effectus, ſiue non, quia impeditur per impedimentum tantùm ipſi operanti extrinſecum: quare verè violatur cenſura in eo actu, ſicut ſi defectu contritionis in pœnitente abſolutio nulla eſt, violaretur cenſura, & contraheretur irregularitas à Sacerdote excommunicato abſoluente, licèt inualidè.

SECVNDA REGVLA.

14 SEcundò, quoties actus Ordinis eſt nullus ex defectu ipſiuſmet Ordinis in operante, aut eius intentionis, quia reuerà operans non vult illum Ordinem exercere, ſed id duntaxat fingere, non incurritur irregularitas præciſè ex violatione cenſuræ illius Ordinis vſum prohibentis. Ratio aperta eſt, quia reuerà tunc non violatur cenſura, cùm nulla ratione ab Ordine proficiſcatur ille actus, qui proinde dici nequit eſſe illius Ordinis, qui vel non eſt, vel non agit, cùm operans ex illo agere nolit. Ita qui rebaptizat ſine intentione rebaptizãdi,non incurrit irregularitatẽ, vt ex cõmuni ſentẽtia docebimus alibi. Qui externam hæreſim fictè tantùm profitetur,reuerà neque pœnas,neque cenſuras hæreticorum incurrit, quod monuimus nuper: dixi autem defectum Ordinis impedire violationem cenſuræ ex miniſterio Ordinis, non autem defectum iuriſdictionis;quamuis enim duæ illæ poteſtates Ordinis & iuriſdictionis concurrere aliquando debeant ad valorem & efficacitatem alicuius actus, inde fit eundem actum formaliter eſſe Ordinis & iuriſdictionis, & ſi non ſit actus iuriſdictionis, erit tamen neceſſariò actus Ordinis, quandoquidem in eodem actu entitatiuo ſunt duo reſpectus formales,& duæ rationes, à quarum vna habet, vt ſit actus Ordinis, ab altera, vt ſit actus iuriſdictionis, quæ rationes quamuis in eo actu ſint inſeparabiles quoad eius valorem & efficacitatem, non tamen quoad exiſtentiam. Itaque manebit actus Ordinis ſolius, & non iuriſdictionis, atque adeò inefficax. Exemplum habes in excommunicato denuntiato, qui defectu iuriſdictionis inualidè abſoluit pœnitentem in Sacramento, dicitur tamen exercere actum Ordinis, quantum in ipſo eſt, ac proinde incurrit irregularitatem, vt fatetur Suar. diſp. 11. ſect. 2. num. 15. & alij communiter, quia reuerà violat cenſuram.

TERTIA REGVLA.

TErtiò, quoties ex conſcientia erronea aliquis committit peccatum ſimile illi, cuius eſt reus Clericus, qui cùm ſit excommunicatione, aut alia cenſura innodatus, miniſtrat in ſuo officio, non efficitur irregularis v. gr. qui exiſtimabat falsò ſe eſſe excommunicatum, peccat quidem celebrando cum conſciẽtia illius cenſuræ, non tamen eſt irregularis, atque vbi nouerit ſe non fuiſſe excommunicatum, non tenebitur petere diſpenſationem ab irregularitate, quamuis quamdiu illa conſcientia excommunicationis, eiúſque violationis perſeuerabit, debeat ſe tanquam irregularem gerere. quod idem dico de eo, qui exiſtimat actionem, quam exercet, eſſe Ordinis, & ſufficientem ad irregularitatem, propter cenſuram, qua innodatur, aut denique,quia putat ſe eſſe ordinatum,cùm 15

non

non ſit: aut actionem, quam exercet ad Ordinem, quo pollet, cùm non ſit alterius, quo ipſe caret, aut à quo non fuit ſuſpenſus. ita Panorm. in cap ſi verò, 2. de ſentent. excomm. num. 7. Felin. in idem cap. Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 1. num. 14. Sayr. lib. 7. cap. 10. num. 14. Ratio omnium iſtorum eſt, quia iſta violatio cenſurę in caſibus enumeratis,& propter ſolam conſcientiam erroneam eſt potiùs in actu, & affectu interno, quàm in externo opere, quod vi cenſuræ: at verò propter ſolum internum affectum non poteſt dici violari cenſura, neque proinde ex ea violatione incurri irregularitas; ſicut neque contrahitur ipſamet, & cenſura propter actum tantùm exiſtimatum, aut ex conſcientia erronea malum,vti cap.5. dictum fuit, neque enim qui percuſſit laicum, exiſtimans ſe percuſſiſſe Clericum, incurrit excommunicationem, cap. ſi quis ſuadente, q. 17. q. 4 vt Panorm.Felin. & Vgolin. tradunt locis citatis. Ex quibus aliquot quæſtiones facilè ſoluuntur.

Soluuntur ſingulares quæſtiones.

6 PRimò enim Sacerdos excommunicatus, qui ſine debita intentione abſoluit ſacramentaliter, non incurrit irregularitatem ex violatione cenſuræ. ita Suar. diſp. 11. ſect. 2. num. 14. quia ille actus vt procedit à tali operante, & ex eius intentione, non eſt vſus Ordinis, ſed fictio quædam.

Secundò, Clericus inferior excommunicatus, fictè vſurpans miniſterium Ordinis ſuperioris, Diaconus, v. gr. celebrans Miſſam, aut Subdiaconus cantans ſolẽniter Euangelium, non fit irregularis ex hac violatione cenſuræ. ita Suar. diſp. 11. ſect. 2. citat. num. quia irregularitas, quæ imponitur Clerico miniſtranti cum violatione cenſuræ illum à ſuo miniſterio prohibentis, imponitur miniſtranti in officio ſuo, vt expreſsè loquuntur iura, cap. is cui, de ſent. excomm. in 6. & cap. ſi quis Epiſcopus. 11. quæſt.3. & iam oſtendimus imponi irregularitatẽ tantùm propter actũ Ordinis verũ, non fictũ, tũc enim reuerà ille Clericus non agit vt Clericus ordinatus, ſed vt iniquus homo, vſurpans ſibi miniſterium indebitum, propter quod crimen poterit plecti irregularitate, vt habetur in tit. de Clerico non ordinato miniſtr. de qua dicemus inferiùs; non tamen tanquam violans cenſuram, actum, quem exercuit, prohibentem, quia hæc cenſura ſupponit poteſtatem actus exercendi in eo,cui tale exercitium prohibet, alioquin vana & inutilis eſſet.

Tertiò, laicus excommunicatus conferens aliquod Sacramentum, aut ſacrum miniſterium vſurpans, non fit irregularis tanquam reus violatæ cenſuræ; quia iſta irregularitas non eſt impoſita niſi Clericis, qui contra prohibitionem cenſuræ,qua innodantur, pergunt in ſuis officiis miniſtrare. Et ſanè dici non poteſt celebrare, quamuis celebrationem ſimulet; quare non continetur in cap. ſi celebrat, de Clerico excomm. miniſtr. præterquam quòd ille ipſe titulus ſatis apertè excludit laicum, etſi gerentem ſe pro Sacerdote.

Quartò. Diaconus excõmunicatus miniſtrans Euchariſtiam ſine licentia Sacerdotis, fit irregularis,quia reuerà operatur vt miniſter ex officio ſuo deputatus ratione ſui Ordinis,à quo habet poteſtatẽ miniſtrandi hoc Sacramentum priùs à Sacerdote confectũ:

vnde quædam oritur ſubordinatio ad Sacerdotem, & aliqua dependentia in ea diſpenſatione corporis Chriſti; ea tamen pertinet potius ad iuriſdictionem, quàm ad Ordinem; quare etſi defectu illius iuriſdictionis peccet Diaconus miniſtrans Euchariſtiam, verè nihilominus exercet actum Ordinis, à quo cum ratione excommunicationis, vel ſuſpenſionis prohibeatur, fiet irregularis; ſicut Sacerdos excommunicatus, qui alienis ouibus Euchariſtiam miniſtraret; aut Epiſcopus, qui ſibi non ſubditos, aut in aliena diœceſi ordinaret, reuerà facerent actum ſui Ordinis, etſi peccarent defectu iuriſdictionis neceſſariæ; quare ſi innodarentur aliqua tunc cenſura, nemo negaret illos incurſuros irregularitatem, quæ fusè diſputat Suar. ſect. cit. num. 24.

Consectarium VII.

An quando excommunicatus concurrit tantùm ad aliquod Sacramentum, quod ipſe non conficit, fiat irregularis propter violatam cenſuram?

17 Exemplum eſt in Parocho aſſiſtente matrimonio, aut in Sacerdote miniſtrante Euchariſtiam, & non conficiente, aut in Clerico miniſtrante Sacerdoti excommunicato, vel interdicto celebranti.

Reſpondeo hæc omnia definienda eſſe ex regula ſuperiùs poſita, videndúmque an hic concurſus, aut cooperatio ad Sacramenti confectionem, etiamſi non ſit ipſamet confectio, ſit nihilominus actus Ordinis ſacri; cùm enim illum omnem prohibeat cenſura modo explicato cap. ſuperiori, reuerà in eo exercitio violabitur cenſura, & irregularitas inde incurretur.

Singulos verò caſus propoſitos facilè fuerit definire.

Reſpondeo ad primum, de Parocho aſſiſtente matrimonio, illum, ſi nihil aliud præſtet, quàm quod ſui præſentiam tanquam teſtis exhibeat, ex conſtitutione Tridentini, non fieri irregularem, cùm nullum ea in re actum Ordinis exerceat, vt ſæpiùs monuimus.

Ad ſecundum dico, Sacerdotem excommunicatum diſpenſantem Euchariſtiam ab alio præ-conſecratam, fieri irregularem, quia illa diſpenſatio conuenit Sacerdoti ex officio, & ratione Ordinis, vti conſtabit ampliùs tertia parte; cùm enim vi Ordinis accipiat poteſtatem ad corpus Chriſti verum conficiendum, accipit quoque ad illud diſtribuendum.

Ad tertium. De miniſtrante Sacerdoti excommunicato vitando, irregularem illum fieri dixit ſæpiùs gloſſa in cap. is qui, de ſentent. excomm. in 6. & in cap. illud, de Clerico excomm. miniſtr. & in cap. fin. de exceſſib. Prælat. verb. Irritas & inanes. in Clement. Archiepiſcopo, de priuilegiis, verb. celebrati. Panorm. in cap. illud, de Clerico excomm. miniſtr. n. 7. & in cap. fin. de exceſſib. Prælat. in 6. Antonin. tract. de cenſuris num. 87. Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 21. n. 17. citans Speculat. quibus nouiſſimè adhæſit Alter. lib. 1. de excomm. cap. 2. circa fin. quod idem aſſerunt de Sacerdote, qui patitur ſibi miniſtrari ab excommunicato vitando, quia vterque iſte violat cenſuram in exercitio rei ſacræ.

Verùm cùm ad irregularitatem, de qua agimus, debeat violari cenſura circa aliquem actum Ordinis ſacri, quem

quem ipſa prohibet, & qui miniſtrat excommunicato, nullum actum Ordinis exerceat, poteſt enim à laico fieri, aut à Clerico non ordinato, profectò non incurrit irregularitatem, vt optimè dixit Ioan. Andr. in addit. ad Speculatorem, tit. de diſpenſatio nib. § iuxta, & tradunt Henriquez lib. 14. cap. 7. num. 4. Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 1. n. 25. Auila 7. p. diſp. 9. ſect. 2. dub. 9. Sayr lib. 7. cap. 10. num. 17. qui addunt id verum eſſe, etiamſi iſte miniſter eſſet ipſemet cenſura innodatus, quia reuerà nullum in eo miniſterio ſupponitur eſſe exercitium ſacri Ordinis, propter quod ſolum contra prohibitionem cenſuræ factum incurritur irregularitas.

Consectarivm VIII.

An incurratur irregularitas, quando fit actus Ordinis, qui ſecundùm ſubſtantiam ſuam non eſt per cenſuram interdictus, ſed tantùm ſecundùm modum accidentalem?

8 Certvm eſt aliquando per cenſuras non prohiberi quoſdam actus ſacros ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed tantùm ſecundùm aliquem peculiarem modum, quo fiunt, v. gr. ſuſpenſo Epiſcopo à Pontificalibus non prohibetur ſimpliciter & abſolutè Miſſæ ſacrificium, ſed cum apparatu duntaxat Pontificali; interdictum generale locale non prohibet ſimpliciter & abſolutè Clericis celebrationem diuinorum Officiorum, ſed duntaxat ne celebrent ſine conditionibus præſcriptis in cap. Alma mater, quod verius multò eſt, quando actus illi ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſunt communes quoque laicis, vt Baptiſmus, aliíque plures actus, qui non prohibentur Clericis vi cenſuræ, niſi ſecundùm aliquem modum accidentalem, ſine quo ſubſtantialiter poni poſſent; alij verò ſunt actus, qui ſubſtantialiter ſunt annexi alicui Ordini, & per cenſuram exerceri prohibentur, etiamſi abſque omnibus extrinſecis adiunctis & ſolemnibus ritibus ponerentur, vt confectio Extremæ vnctionis, Euchariſtiæ, Ordinis, aliíque ſimiles; vti etiam obſeruauimus in expoſitione primæ propoſitionis.

Qværitvr itaque, an quoties ponitur actus cum illo ſuo modo accidentali, ſecundùm quem tantùm à cenſura prohibitus eſt, incurratur irregularitas? Ratio dubitandi eſt, quia, vt dixi prima propoſitione, ad hanc irregularitatem ſufficit exercitium miniſterij per cenſuram prohibiti: atqui reuerà ille actus cum eo ritu & apparatu prohibitus eſt per cenſuram, & exercetur cum eodem apparatu: ergo reuerà violatur cenſura per exercitium Ordinis ſacri, vt patet in Pontifice à Pontificalibus ſuſpenſo, & nihilominus faciente Sacrum cum apparatu Pontificali; tam enim videtur violare cenſuram, & fieri irregularis, quàm ille qui contra prohibitionem cenſuræ ſimiliter baptizat; Baptiſmus enim non eſt exercitium Ordinis, niſi cum ea ſolemnitate, ratione cuius ſolius violatur ſuſpenſio ab Officio. Aliunde tamen non eſſe irregularem hunc Epiſcopum, eò quòd in ea celebratione nihil exerceat proprium characteris Epiſcopalis, plerique mox adducendi ſibi perſuaſerunt; vnde Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3 num. 4. in vniuerſum pronuntiat, ad hanc irregularitatem 19

requirt, vt exercitium Ordinis fuerit ſecundùm ſubſtantiam prohibitum, & non ſecundùm modum duntaxat accidentalem.

Ampliùs tamen explicanda eſt hęc doctrina, quæ alioquin falſa eſt, vt videmus in ſuſpenſo baptizante ſolemniter, & in celebrante Diuina, ſine moderatione capitis Alma mater; etiamſi enim non ſit prohibitus actus ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſi tamen ponatur cum ea ſolemnitate, ſecundùm quam per cenſuram prohibitus fuit, reuerà incurreretur irregularitas.

Diſtinguenda igitur eſt duplex ſolemnitas; licèt enim vtraque ſit accidentalis actui ſubſtantialiter conſiderato, vna tamen eſt illi eſſentialis, quatenus eſt actus ſacer, & talis Ordinis exercitium. Altera eſt ipſi omnimodè accidentalis, ſiue conſideretur præcisè ſecundùm ſubſtantiam, ſiue vt eſt actus quidam ſacer, & certi Ordinis exercitium. v. gr. Baptiſmo ſecundùm ſubſtantiam ſpectato, accidentalis omninò eſt apparatus exterior, & cærimoniæ, quæ ex præſcripto Eccleſiæ obſeruantur. nam ſiue cum illis, ſiue ſine illis fiat, erit ſẽper idem ſubſtantialiter, eumdémque pariet effectum: at verò prout ille ipſe Baptiſmus eſt actus, & exercitium Ordinis ſacri, à quo ſolùm licitè fieri ex inſtitutione Eccleſiæ poteſt, eadem ſolemnitas eſt ſubſtantialis; cum ea enim ab alio quàm à Sacerdote, vel Diacono fieri nequit. quod idem de recitatione Epiſtolæ, aut Euangelij in Sacro dicendum eſt, apparatus enim ille, quo cum iſta recitantur à Subdiacono & Diacono ratione ſui miniſterij, eſt accidentalis illi recitationi, quæ ſemper erit eadẽ etiam phyſicè, vt tamen eſt recitatio ſacra, & Ordinis ſacri miniſterium, eadem ſolemnitas eſt ſubſtantialis, quia cum ea fieri nequit, niſi à Diacono, aut Subdiacono. At verò Miſſæ apparatus, miniſtrantium turba, & cætera eiuſmodi accidentalia, ſunt Miſſæ tum ſubſtantialiter in ratione ſacrificij conſideratæ, tum quatenus eſt actus ſacer, ſiue Ordinis ſacri.

Quando igitur DD. requirunt ad irregularitatem ex violatione cenſuræ, vt exercitium Ordinis fuerit ſecundùm modum accidentalem, intelligendi ſunt non de ſubſtantia phyſica actus, ſed de actu vt ſacer eſt, & ex modo quo fit, & ſolẽnibus adhiberi ſolitis ad certum Ordinem ſacrum ita determinatur, vt ab eo tantùm, qui illo Ordine initiatus eſt, & non ab alio quopiam licitè fieri poſſit; ſi verò fuerit tantùm accidentalis actui, etiam vt ſacer eſt, conſiderato, reuerà quamuis ille modus prohibeatur, non tamen prohibetur miniſterium Ordinis, ſiue actus ſacer, ac proinde licèt peccetur contra talem prohibitionem, non tamen irregularitas, quia minimè violatur cenſura per exercitium Ordinis, aut miniſterij prohibiti; vbi tamen neceſſe foret ad eiuſmodi irregularitatem, v. gr. ſi Abbati, aut Epiſcopo Pontificalium veſtimentorum vſus fuerit interdictus; ſi nihilominùs illis baptizet indutus, non fiet irregularis, quia reuera hæc omnia ornamenta ſunt extrinſeca Baptiſmo, non tantùm quatenus Baptiſmus eſt, ſed etiam quatenus eſt actus Ordinis cuiuſdam ſacri, quaſi vt hic poſtulet fieri cum eo apparatu, ſed ratione dignitatis baptizantis, quem non decet, niſi cum ea pompa operari. Atque ex iis ſolues ſingulares quæſtiones in Confectario poſitas.

Nam primò, quod attinet ad Epi- 21
ſcopum

ſcopum ſuſpēſum à Pontificali in appatatu, nihilominus Pontificali ſacrificantem, illum irregularem faciunt Calderin. de interd. memb. 2. q. 3. Angel. verb. ſuſpenſio 3. n. 3. Nauar. cap. 27. n. 163. Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 19. n. 5. & 6. Negant verò Sylu. verb. ſuſpenſio q. 5. vbi citat Hoſtien. Archidiaconum, Roſellam & alios. Couarr. in Clem. ſi furioſus. p. 1. §. 1. Zerola in praxi Epiſcop. verb. Irregularitas, verb. decimooctauo, & verb. ſuſpenſio, dub. 6. de Graſſis lib. 4. deciſion. cap. 25. n. 3. & probant, quia hoc nullo iure reperitur expreſſum. Vera tamen ratio eſt, quia nullum miniſterium ſibi prohibitum tunc exercet Epiſcopus, neque ſi cum eadem ſuſpenſione baptizaret cum apparatu Pontificali, vnde Vgolim. tab. 1. cap. 14. §. 1. n. 2. vbi hanc noſtram ſententiam docet, ſapienter aduertit nomine Pontificalium aliquando ſignificari inſignia quædam ornamenta illius dignitatis, vt pedum, mitram, cæteraque eiuſmodi; aliquando verò munera propria Pontificum, collationem nimirum Ordinum, chriſmationem baptizatorum, conſecrationes templorum, & alia, quæ vel à Chriſto, vel ab Eccleſia ita alligata ſunt characteri & Ordini Epiſcopali, vt ab alio neque licitè, neque plerumque validè fieri poſſint. Si igitur Epiſcopus poſt ſuſpenſionem à Pontificalibus aliquod munus Sacerdotis, alteriúſve inferioris Ordinis exerceat, etiam cum ornamentis Pontificalibus, non fit irregularis, quia ea ornamenta non ſunt diuina Officia, neque ipſe tunc exequitur aliquod officium ſibi prohibitum, etiamſi in actibus ſacris ſibi conceſſis, aut potiùs non prohibitis vtatur veſtibus, à quibus tunc iubetur abſtinere. At verò ſi aliquod munus Pontifici proprium etiam ſine ornamentis Pontificiis exequeretur, fieret irregularis, quia violaret cenſuram in exercitio miniſterij ſibi per illam prohibiti.

Consectarium IX.

An incurratur irregularitas ex omiſſione vnius tantùm conditionis in cap. Alma mater, præſcripta.

Secundò quærebatur in ſuperiori conſectario, an qui tempore interdicti celebrat diuina Officia ſine conditionibus præſcriptis in cap. Alma mater, incurrat irregularitatem, omiſſa quacunque ex illis conditionibus? Reſpondi verò, aliàs in celebratione diuini Officij cum omiſſione alicuius ex iis conditionibus committi peccatum mortale, quia tunc reuerà violatur tota ſubſtantia, vt ita dicam, interdicti; verùm exigebam duo iſta ſimul, nempe celebrationem diuini Officij, & ſimul omiſſionem conditionis præſcriptæ; ſi enim omitteretur ea conditio, & non celebrarentur Diuina, negabam committi peccatum mortale ſaltem in illa actione externa, quia reuerà non erat externa violatio interdicti, atque ita ſententiam communem interpretabar; qua diſtinctione vtendum mihi videtur iterum hoc loco; itaque quoties Clericus peccabit in violãdo interdictum, eo quòd celebret diuina Officia pertinentia ad aliquem ſacrum Ordinem in loco interdicto, ſine aliqua conditione ex iis, quæ continentur in cap. Alma mater, toties incurret irregularitatem, cùm reuerà violet cenſuram per miniſterium alicuius Officij ſacri; 22

ſi

ſi verò eiuſmodi conditionem omittat, v. gr. ianuas aperiat, aut pulſet campanas, ſed deinde non celebret Diuina, reuerà non fiet irregularis, etiamſi habuerit animum ita celabrandi Diuina, cùm enim tunc reuerà nullus actus Ordinis ſacri exerceatur, non incurritur irregularitas, de qua agimus, vt aduertit Alter. diſp. 9. de interd. cap. 3. & alij paſſim.

Vnde etiam ſequitur, non ſufficere ad hanc irregularitatem, vt Clericus pulſet campanas, aperiat ianuas, & admittat excommunicatos, vel interdictos contra prohibitionem cap. Alma mater, dum diuina Officia, aut Sacrum ab illis celebrantur, niſi & ipſe tunc celebret, quia alioquin nullum actum Ordinis ſacri exequitur, & proinde non incurrit hanc pœnam, vti docet idem Alter. Couarr. in cap. Alma mater, 2.p. §. 4. num. 6. Auila p. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub. 9. & plures Magiſtri apud ipſum, contra Sylu. verb. Interdictum 5. q. 1. & alios relatos à Couarr. loco citat. qui malè arguunt ex eo, quòd iſte participet in crimine criminoſo cum principali, qui fit irregularis, debebit eandem pœnam cum eo incurrere, nullibi enim habetur in iure, participationem in crimine criminoſo inducere irregularitatem.

Atque ex his manet confirmata doctrina noſtri conſectarij, nempe incurri irregularitatem, quoties ponitur actus ſacer per cenſuram prohibitus, etiamſi ſit tantùm prohibitus ſecundum modum ipſi accidentalem in ratione actus phyſici, ſi vel ille modus ſit ſubſtantialis in ratione actus Ordinis ſacri, vel ſi prohibitio cadat in ipſam ſubſtantiam actus non ſecundùm ſe ſpectatam, ſed ſub tali modo, aut conditione, vt hoc loco; prohibetur enim per interdictum generale locale quodlibet diuinũ Officium, non nudè & ſimpliciter, ſed publicum, & ſine conditionibus cap. Alma mater, neque ſola omiſſio illarum conditionum vetatur, ſed ipſamet celebratio Diuinorum, ſine illis conditionibus; quando igitur ea diuina Officia pertinebunt ad exercitium ſacri Ordinis, ſi fiat contra præſcriptas conditiones, reuerà ponetur actus ſacer per cenſuram inhibitus, non ſimpliciter, ſed cum eo modo, atque ita nihil deerit ad incurrendam irregularitatem, cuius meminit Pontifex cap. is qui, §. is verò, de ſentent. excommunic. in 6.

Hinc porrò ſequitur Clericos recitantes horas canonicas in choro tempore interdicti, contra prohibitionem cap. Alma mater, non fieri irregulares, quia non faciunt actum Ordinis ſacri, aut illi annexum, niſi fortaſſis ille, qui fungitur vice hebdomadum, qua de re dicemus inferiùs; quare etiamſi illi Clerici violent interdictum, non tamen id faciunt per exercitium Ordinis ſacri, quod tamen requiritur ad hanc irregularitatem; quod idem de Clerico perſonaliter interdicto, & in choro horas cum aliis recitante, dixit Suar. diſp. 34. ſect. 4. n. 26. De excommunicato verò etiam choro aſſiſtente, aut cum alio ſocio priuatim recitante, ſimilia tradit diſp. 12. ſect. 2. n. 12. & 19. cùm id totum à non Clerico præſtari ſoleat. 22

Secundò, qui non interdictus, neque alia cenſura ligatus ſepelit in loco interdicto, ſed ſine officio, in quo fit exercitium Ordinis ſacri, non fiet irregularis, quia etiamſi ea ſepultura ſit prohibita, & proinde ita ſepeliens grauiter peccet, atque incurrat excõmunicationem, aliáſve pœnas alibi expoſitas, cùm tamen nullum actum Ordinis exerceat, non erit irregularis. Ita Auila dub 8. diſp. citat. 23

Tertiò

25 Tertiò Religioſi & Clerici non ordinati miniſtrantes etiam ſolemniter in Ordine ſacro in loco interdicto, & ſine moderatione cap. Alma mater, non fiunt irregulares ex tali violatione interdicti, quia reuerà non exercent actum Ordinis, cùm Ordine careant, vti diximus aliàs; quare non erit ſufficiens ea violatio cenſuræ ad irregularitatem.

Consectarium X.

An qui exercet ſolemnia alicuius actus, & non ipſum actum per cenſuram prohibitum, fiat irregularis.

26 Respondeo. Quoties iſta ſolemnia actum quem veſtiunt, faciunt eſſe Ordinis ſacri, toties eiuſmodi ſolemnium exercitium contra prohibitionem cenſuræ factum ab ordinato parere irregularitatem. Ratio manifeſta eſt ex dictis, quia in illis ſolemnibus eſt aliquod exercitium Ordinis ſacri, vt patet, quandoquidem ille ipſe actus, quem veſtiunt, non eſt actus talis Ordinis, niſi ratione ipſorum; ſi igitur quis per cenſuram prohibitus eiuſmodi Ordinem exercere, vſurpet nihilominùs iſta ſolemnia, reuerà violabit cenſuram, qua innodatur per exercitium Ordinis ſacri; igitur irregularitatem, de qua agimus, incurret.

27 Hinc fit primò, vt Sacerdos excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, conferens ſolemnia Baptiſmi, & non ipſum Baptiſmum, quia iam priuatim miniſtratus fuit, fiat irregularis, non autem ſi ſolum Baptiſmum abſque ea ſolemnitate exhiberet, ita Suar. diſp. 1. ſ. 2. n. 20. & alij paſſim, quia iſta ſolemnia ex Eccleſiæ inſtitutione fieri nequeunt, niſi à Sacerdote, aut de eius licentia à Diacono, vrgente neceſſitate, vti dicemus 3. part. operis.

Secundò Parochus cenſura innodatus nuptias ſolemniter benedicens, quia ille actus pertinet ad ſacrum Ordinem, & fieri debet à Sacerdote ex Eccleſiæ inſtitutione; quod idem dicendum de aliis benedictionibus frugum, oliuarum, veſtium ſacerdotalium, puerperæ ad Eccleſiam redeuntis, & ſimilibus; quoties enim fieri non poterunt ordinariè, & ex Eccleſiæ lege, niſi ab habente Ordinem aliquem ſacrum, toties parient irregularitatem. vide Henriq. lib. 14. cap. 7. §. 1. Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 1. num. 5. Philiarch. lib. 4. cap. 13. Sayr. lib. 7. cap. 10. n. 6. & alios. 28

Consectarium XI.

An celebrans coram excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis?

Ratio dubitandi eſt, quia iſte reuerà violat cenſuram per exercitium Ordinis ſacri, neque enim excommunicatio & interdictū obligant duntaxat eum, quem afficiunt, ne Diuinis aſſiſtat, ſed etiam omnes alios, ne cum illis communicent in Diuinis, ſiue ne Diuina coram illis faciant, vt cap. ſuperiori diximus; nihil igitur ampliùs requiri videtur ad contrahendam irregularitatem. 29

Dico nihilominus hunc celebrantem minimè fieri irregularem: ita Auila 7. part. diſp. 9. ſect. 2. dub. 7. Henriq. lib. 14. cap. 7. num. 3. Couarr. in cap. alma mater 4. part. §. 6. num. 9. Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 1. num. 25. Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 21. num. 17. Alter. lib. 1. diſp. 13. cap. 2. Suar. diſp. 12. ſect. 1. num. 10. Neque videtur ampliùs dubitari poſſe poſt claram definitionem cap. is qu, de ſentent. excomm. in 6. vbi redditur optima ratio, quia nimirum ea irregularitas nullibi expreſſa eſt in iure; quare malè Maiol. allegans Abbatem in cap. ſignificauit, de ſentent. excomm. excipit excommunicatos à Pontifice; ſi quis enim coram ipſis celebret, irregularem fieri dixit, verùm nullibi ea exceptio, aut irregularitas reperitur in iure, niſi de quadam irregularitate impropria loquantur, ſic enim appellant aliqui excommunicationē maiorem, eo quòd tum à ſuſceptione Ordinum, tum ab eorum exercitio prohibeat, & quia Clerici, qui communicant in Diuinis cum excommunicatis à Papa, incurrunt maiorem excommunicationem, ideò dicuntur fieri impropriè irregulares, atque ita celebrantem coram eiuſmodi excommunicatis proximum dixit irregularitati. gloſſa in cap. cit. is qui, verb. notatis. Dici etiam poſſunt in eadem gloſſa in cap. Epiſcoporum, de priuilegiis in 6. verb. Ingreſſum, proximi contrahendæ irregularitati, qui præſentibus excommunicatis celebrant, quia in illo cap. Epiſcoporum, interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ, atque ſi deinde intra Eccleſiam ſaltem celebrent, fiunt irregulares, & cap. is cui, de ſentent. excommunic. in 6. Et quamuis hanc pœnam ad ſolos exemptos reſtringant Auila, Couarr. & Henriq. locis citatis, atque Nauar. cap. 25. n. 95. & cap. 27. num. 154. vbi communem eſſe DD. ſenſum teſtatur, cui adhæſit etiam Suar. diſp. 34. ſect. 4. ſub fin. Nos tamen quæſt. ſuperiori, & lib. de cenſur. cap. 219. ea verba, *etiamſi exemptus ſit*, ampliatiua eſſe, & non reſtrictiua diximus, vult enim Pontifex nullam exemptionem excipi poſſe aduersùs hanc pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ propter admiſſum ad Diuina excommunicatum vitandum; vniuerſalis igitur noſtra regula de incurrenda irregularitate ex violatione cenſuræ per miniſterium ſacri Ordinis, intelligenda eſt de violante cenſuram, qua quis eſt innodatus.

Falsò verò Maiol. & Alter. locis citatis dixerunt celebrantem coram Epiſcopo excommunicato denunciato, ſi ſub finem Miſſæ leni capitis inclinatione poſtulet ab illo facultatem benedicendi populo, fieri irregularem: nam neque ea irregularitas in iure expreſſa eſt, neque ratio vlla eam perſuadet, vt conſtat ex dictis.

Quæ verò diximus de celebrante coram excommunicato, valent quoque in celebrante coram interdicto, vt aduertunt Armilla verb. interdictum num. 61. Suar. diſput. 34. ſect. 4. num. vlt. Sylu. verb. interdictum 6. quæſt. 3. & alij paſſim, & ſanè eadem ratio vtrobique valet.

CONSECTA

CONSECTARIVM XII.

An excommunicatus, vel interdictus, qui ſe præſente celebrare cogit, incurrat irregularitatem?

30 EPiſcopus, v.gr. vitandus, excommunicatus, vel interdictus denuntiatus facit authoritatiuè, vt loquuntur, coram ſe Miſſam, aut alia Diuina celebrari. Hunc porrò irregularem fieri docet gloſſa in Clem. Archiepiſcopo, de priuilegiis, verb. celebrari. & Panorm. in cap. illud, de Clerico excommun. miniſtr. n.8. quibus deinde magno conſenſu adhæſere poſteriores omnes Canoniſtæ, Summiſtæ ac Theologi, quos dabit Sayr. lib.2. cap.15. num. 5. & lib.7. cap.10. num.18. Auila 7. part. diſp.9. ſect.2. dub.6.

Verùm ſapienter dixit Layman lib.1.tract.5.p.5.cap.3.num.4. hanc irregularitatem ex ſola DD. authoritate haberi, quod etiam priùs aduerterat Kon. diſp.18.dub.6. ſub fin. vbi tamen ſignificat, moleſtum eſſe à communi ſententia diſcedere, diſceſſit tamen quoad interdictum Epiſcopum, qui ſe præſente celebrare facit. Suar. diſp. 34. ſect. 4. numero 17. & excommunicatum ita adhæret communi ſententiæ, vt apertè ſignificet eam in rigore iuris falſam eſſe, diſput.12.ſect.1. à num. 4.

Verùm cùm nobis certum ſit ex prima part. ſcientiæ canonicæ, Doctores non condere ius, ſed illud interpretari, cùm etiam nulla alia irregularitas, quàm quæ iure exprimitur, incurratur vnquam, & denique cùm pœnæ ſint reſtringendæ, niſi euidenter irregularitas, de qua agimus, vel habeatur in iure, vel firma ratione, & neceſſaria conſequutione deducatur, non exiſtimo illam inuehendam eſſe, quamuis ipſam DD. communi ferè conſenſu admittant, cùm enim vnius gloſſæ, & Panormitani authoritate ducti in eam ſententiam iuerint, non pugnamus niſi cum gloſſa & Panormitano; deinde qui emunctioris naris fuere, & iſta expenderunt ſubtiliùs, vt Suar. fatentur ex iure nihil haberi; quare num.5. ſectionis illius primæ citatæ, ad conſuetudinem, quæ eam irregularitatem receperit, recurrit; conſuetudinem verò oſtendit ex communi DD. ſenſu eandem irregularitatem admittentium; atque ita euidenter oſtendit ſolam DD. authoritatem non poſſe hoc loco iure omninò ſilente, nobis legem imponere, id enim foret contra ipſummet ius, quod expreſsè edicit nullam contrahi irregularitatem ab homine, & non expreſſam in lege. Ex hac verò communi DD. ſententia non efficaciter argui conſuetudinem quæ iuri ſcripto æquiualet, duò mihi perſuadent, primùm quòd hi DD. non meminerint huius recepti moris, neque de conſuetudine iſta quidquam habeant, ſed communem quendam interpretum ſenſum, vt in aliis quoque communibus opinionibus non colligimus receptam conſuetudinem, ſed ex aliis iudiciis alibi relatis. Deinde non conſentiunt DD. in huius irregularitatis terminis, cùm aliqui ad ſolos Sacerdotes excommunicatos, qui coram ſe faciunt celebrari, reſtringant cum Suare: alij ad om-

nes excommunicatos, qui id præſtiterint, extendunt cum Couarr. Nauarr. & Auila: alij etiam ad eos, qui licèt nulla cenſura ſint impediti, iubent tamen Sacerdotes cenſuratos celebrare, ex quo diſſidio manifeſtum fit, non conſtare de recepta iſta irregularitate, quandoquidem nec dum apparet quínam illam contrahere debeant.

Expendamus porrò, an ex aliquo iure eiuſmodi irregularitatem DD. colligant, quod negauit iam pridem Ioann. Andr. relatus à Panorm. in cap. cit. num. 8. vbi etiam refert ex Hoſtienſi ſolum excommunicatum celebrantem, aut concelebrantem fieri irregularem; ipſeque Panormit. ait idem ſibi videri dicendum de illo, qui authorizat eam celebrationem, cùm ipſe ſit excommunicatus; quæ particula diminuens oſtendit Panormitanum non niſi cum aliqua formidine ſuam ſententiam aſſeruiſſe, & vnam gloſſam in Clem. de priuilegiis, ſuperiùs allatam, & quam ſingularem appellant, ſequutum fuiſſe; ſed neque illa gloſſa quidquam aliud affert pręter cap. illud, de Clerico excomm. miniſtr. vbi Pontifex miſericordia motus aduersùs Epiſcopum, qui ſpe veniæ poſt excommunicationem iuſſerat coram ſe Diuina celebrari, non vult illi pœnam, quam Canon excommunicato Diuina celebranti, aut illorum celebrationi ſe ingerenti, pręſcribit infligere; inde verò inferunt DD. cum gloſſa citata, eum qui excommunicatione prohibitus ingerit ſe Diuinis, fieri irregularem; ſed quàm apta ſit iſta conſequutio, planè non liquet, nam ibi non dicitur, quænam ſit illa pœna, neque neceſſarium eſt eam eſſe irregularitatem; immò cùm dicat Pontifex noluiſſe ſe imponere eam pœnam huic reo, non loquitur de pœna, quę ipſo iure & facto incurratur, qualis eſt omnis irregularitas, ſed de alia quæ ab homine imponenda eſt; ex præſcripto tamen canonum, de quibus egimus q. ſuperiori, vnde Codex Vaticanus legit, *pœnam quam Canones minantur*, vbi in noſtro vulgato habemus, *pœnam, quam Canon infligit*, vti in noua emédatione annotatum eſt, & gloſſa in verb. Canon, ait has pœnas contineri hoc eodem titulo, cap. latores, vbi deponi iubentur qui excommunicati Diuina celebrare præſumpſerint, & cap. fraternitati, vbi iidem omnibus beneficiis ſpoliandi dicuntur, & cap. ſi quis Epiſcopus 11. quæſt. 3. vbi etiam ſine ſpe reconciliationis deponuntur. Denique iſtâ pœnâ, quam non vult infligere Pontifex, quam tamen Canones minantur, aut ipſa imponunt, punitur communicat o in Diuinis, cùm excommunicatus eorum celebrationi ſe ingerit: illud autem fit, quoties excommunicatus Miſſam audit, ſiue illam celebrari iubeat, ſiue non, & ad omnes excommunicatos ſiue Sacerdotes, ſiue non Sacerdotes, æquè pertinet; quod tamen plures aduerſarij negant; immò etiam excommunicatus, qui coram alio excommunicato iuberet celebrari, eandem pœnam incurreret, quia reuerà ſe ingerit actiuè celebrationi Diuinorum, id tamen minimè concedent aduerſarij. Vides itaque ius non fauere huic fictitiæ irregularitati.

Ratio verò, qua ducuntur aliqui, infirma prorſus eſt, quòd enim quis dicatur agere, quod per alium præſtat, volunt hunc excommunicatum, qui coram ſe celebrari iubet, per illũ celebrare, atque ita eandem cum ipſo incurrere irregularitatem; atqui eodem modo celebrabit per alium, qui iubebit

iubebit coram alio quopiam excommunicato celebrare, vt ſæpiùs arguebamus: neque dicas cum Suare, illum ſolum, qui intereſt ſacrificio, quod fieri iubet, virtualiter & moraliter gerere ſe per modum celebrantis, qui neceſſariò intereſt ſacrificio. nam vt quis dicatur agere virtualiter, quod per alium gerit, ſatis eſt, quod illi vices ſuas mandet; deinde non excommunicatus, qui vel excommunicatum, aliáve cenſura notatum celebrare iuberet ſe præſente, fieret quoque irregularis, quod concedit Nauarr. cap. 47. num 145. & Couarr. in cap. Alma mater, 1. part. §. 6. n. 9. ſed rectè negat Henriq. lib. 14. cap. 7. num. 3. & Auila 7. parr. diſp. 9. ſect. 2. dub. 6. allegans doctos recentiores, quibus etiam adhæſit Suar. diſp. 12. ſect. 1. num. 7. Denique omnis iſta virtualis & interpretatiua celebratio, quæ tribuitur excommunicaro iubenti coram ſe celebrari, inſufficiens omninò eſt ad pœnam irregularitatis ſilentibus omnibus iuribus inducendam, requiritur enim actualis, & formalis actio Ordinis ſacri per cenſuram prohibita, vt ex violatione cenſuræ irregularitas contrahatur. Ex his vides, quid ſentiendum ſit de interdicto, aut ſuſpenſo, qui ſe præſ\u00e9re Diuina peragi imperat, non enim incurrer irregularitatem, cùm ea nullibi exter in iure, & ſolùm arguant DD. ex iis, quæ de excommunicato in ſimili caſu falsò exiſtimant ſtatui in cap. illud, de Clerico excomm. miniſtr. quod hactenus expendimus, præterquam quòd in his pœnalibus argumentum à ſimili ductum non valet, vt conſtat ex ſcientia canonica.

Consectarivm XIII.

An qui miniſtrat Sacramentum aliquod excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis?

Respondeo, ſacrilegam quidem eſſe eiuſmodi Sacramenti adminiſtrationem, vt ex cap. ſuperiori conſtat; nego tamen ex ea ſequi vllam irregularitatem, ad eam enim non requiritur quacunque violatio cenſuræ, etiam per exercitium Ordinis ſacri, ſed neceſſarium eſt, cenſuram violari ab eo ipſo, qui illa ligatur, vti iam monui conſect. 10. atqui in caſu noſtri conſectatij, Sacramenti miniſter non eſt à ſuo officio ſuſpenſus, neque proinde eſt principalis violator interdicti, adde nullibi in iure hanc reperiri irregularitatem. 31

Dices. Quando interdictum eſt locale, miniſtrum non prohiberi à ſuo officio, & tamen ſi violet eiuſmodi interdictum, & in eo loco exerceat actum Ordinis ſacri, irregularitatem incurret, vti diximus prima propoſitione: ſicut autem prohibetur per hoc interdictum conferre Sacramenta in eo loco, ita per interdictum perſonale, aut excommunicationem alterius, prohibetur miniſtrare illi perſonæ excommunicatæ, vel interdictæ.

Reſpondeo, in vno caſu, & non in alio, decerni irregularitatem à iure, quod in hac materia duntaxat attendendum eſt; neque deeſt ratio, propter quam ita ſtatuerit legiſlator; cùm enim interdicta localia frequentiora ſint, & magis publica, quàm perſonalia, in quorum proinde vio-

cuique fuerit aſſignare illas actiones, quæ ſi fiant contra prohibitionem cenſuræ, generent irregularitatem, eas tamen paucis hic percenſere viſum fuit.

Primò, quæcunque actiones fient tantùm more laicorum, abſque periculo irregularitatis fient, vt iam monui: vnde auditio Diuinorum, receptio Sacramentorum, benedictiones quæ à ſolis laicis fieri poſſunt, & ſolent, abſque hac pœna exercebuntur.

Secundò, recitatio Horarum in choro, vbi quis non fungitur officio hebdomadarij, aut alio, quod ex inſtitutione Eccleſiæ requirat ſacrum Ordinem, immunis erit irregularitatis.

Tertiò idem dicendum eſt de actibus minorum Ordinum, quia licèt attento iure habeant aliquid non commune laicis, nunc tamen ex recepta conſuetudine etiam à non ordinatis omni prorſus modo exercentur, vt ſuperiùs monui.

Quartò omnes actus, qui iure ordinario pertinent ad Ordinem Epiſcopalem, ſiue ille diſtinctus reipſa ſit à Sacerdotali, ſiue eius quædam duntaxat extenſio, qua de re 3. part. fuſiùs inquiremus, ſi fiant ab Epiſcopo cenſurâ innodato, reuerâ cauſant irregularitatem; quinam verò ſint eiuſmodi actus Epiſcopales, conſtabit ampliùs ex dicendis 3. part.

Quintò Abbates, quibus ex priuilegio aliqua Epiſcopalia indulta ſunt, vt collatio minorum Ordinum, ſi ea munia faciant violando cenſuram, qua ſunt innodati, manent irregulares, quia ea ſunt reuerâ ſacri Ordinis exercitia, vnde non fiunt niſi ab Abbate Sacerdote.

Sextò, idem dicendum erit de Sacerdote ſimplici ex priuilegio Pontificio confirmante, aut aliquid aliud, quod iure ordinario ad Epiſcopum, aut Abbatem pertineret, exercente, quia etiam in eo Sacerdote hæc omnia ſunt actus Ordinis, vti obſeruauit Suar. diſp. 12. ſect. 2. n. 20. & 21.

Septimò, interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ intra eam celebrans, fit irregularis, non verò ſi alibi celebret, quia prior illa tantùm celebratio ipſi prohibita eſt, non poſterior, vnde facilè fuerit deducere quibus in caſibus contrahatur iſta irregularitas, quod etiam ſigillatim diſquirit Sayr lib. 4. cap. 7. à num. 14.

Consectarium XVI.

An violatio ceſſationis à Diuinis inducat irregularitatem?

Respondeo non inducere, ſiue ceſſatio generalis, ſiue particularis ſit. ita gloſſa in cap. ſi Canonici, de officio Ordinarij in 6. verb. Ceſſare, quam ſequuntur magno conſenſu DD. quos dabit Sayr. lib. 5. cap. 14. num. 9. exceptis paucis quibuſdam ibid. adductis; qui circa ceſſationem generalem, quando imponitur ab eo, qui poteſt interdicere, contrarium ſentiunt, eo quòd in Clem. .. de ſentent. excomm. ceſſatio generalis à Diuinis comparetur interdicto. Verùm alibi obſeruaui hanc comparationem non fieri quoad omnia, ſed tantùm quoad obligationem, quam habent Religioſi ſeruandi æquè ceſſationem generalem à Diuinis, atque interdictum, quando ab Eccleſia matrice ſeruabitur, & in vtroque caſu incurrere excommunicationem ibidem latam. Ratio porrò noſtri conſectarij euidens eſt, cùm enim ceſſatio non ſit cenſura, & ab interdicto differat, vti loco citato fusè explicuimus, eius violatio irregularitatem afferre non poteſt. 34

Quæstio

QVÆSTIO III.

De irregularitate contracta ex aliis delictis.

Unica propoſitio. num. 1.
Confirmatio. num. 2.
Dubium primum. An hæreſis faciat irregularem. num. 3.
Variæ ſententiæ. ibid.
Vera ſententia. num 4.
Expenduntur varia iura. num. 5.
Dubium ſecundum. An ſchiſmatici ſint irregulares. num. 6.
Dubium tertium. An ſimonia pariat irregularitatem. num. 7.
Dubium quartum. An ſacrilegium & peccata contra Religionem faciant irregularem. num. 8.
Conſectarium vnicum. Enumerantur peccata, quibus eſt annexa irregularitas. num. 9.

PRÆTER crimina hoc capite & ſuperiore enumerata, ſunt alia quædam, de quibus diſputant DD. an inuehant irregularitatem, quæ omnia hac quęſtione comprehendam: ſit itaque

PROPOSITIO VNICA.

1 NVLLVM aliud eſt crimen præter hactenus explicata, cui per ſe fuerit annexa irregularitas, ſed tantùm ratione infamiæ,& eiuſmodi criminis notorietate conſequutæ.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

2 HÆC vniuerſaliſſima propoſitio certò aliter conſtare non poteſt, quàm expendendo ſingula crimina, ex quibus DD. volunt naſci irregularitatem[1], etiam ſecluſa omni infamia. Supponendum autem imprimis eſt, nos nomine irregularitatis, vti iam ſæpiùs diximus, intelligere impedimentum canonicum, non autem naturale, ſiue diuinum; quare impropriè loquitur Maiol. lib. 5. cap. 1. dum peccatum mortale inter irregularitates numerat; etſi enim quandiu quis eſt in peccato mortali, nequeat promoueri ad Ordines, aut ſuſceptos exercere, id tamen non prouenit ex aliqua prohibitione Eccleſiæ, ſed ex indecentia naturali, & ſublato per pœnitentiam illo peccato tollitur totum hoc impedimentum abſque vlla alia diſpenſatione, quæ tamen neceſſaria foret ad tollendam irregularitatem; debet igitur eſſe tale peccatum, cui in iure imponatur ea pœna, alioquin neque propter illud peccatum etiam crebrò commiſſum, ſiue propter conſuetudinem illud committendi, neque propter perſeuerantiam in eo commiſſo per impœnitentiam, incurritur irregularitas, ſecluſa infamia & notorietate, quia nihil planè eſt in iure, quòd conſuetudini peccandi, aut impœnitentiæ imponat eam pœnam, quando ipſi peccato non fuerat impoſita, & ſecluditur omnis infamia.

DVBIVM I.

An hæreſis faciat irregularem?

COMMVNIOR quidem ſententia affirmat, hæreſi annexam eſſe irregularitatem per ſe; quare nihil omninò intereſt, ſiue publica, ſiue occulta ſit hæreſis, modò externa ſit. ita Nauarr. cap. 27. num. 105. & conſil. 19. de hæreticis. Angel. verb. irregularitas 1. num. 26. Sylu. eod. verb. quæſt. 24. & verb. crimen. quæſt. 2. Vgolin.

Vgolin. cap. 36. num. 1. Fœlicianus de cenſur. cap. 7. Lamb. de iure patronat. 1. part. lib. 1. quæſt. 7. Tolet. lib. 1. cap. 69. Valent. tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 3. ſpecie irregular. Azor tom. 1. lib 8. cap. 11. quæſ. 13. & cap. 21. q 8. Suar. de cenſur. diſp 43. ſect. 1. num. 4. & tract. de fide diſp. 25. ſect. 5. num. 1. Penna in directorio part. 3. in quæſt. 126. Mendoſ. lib. 3. in Concil. Illiberitan. cap. 28. & 29. Sanch. lib. 2. in Decalog cap. 25. n. 2. Sanctarell. de hæreſi. cap. 25. num. 1. Turrian. de cenſur. lib. 9. diſput. 62. dub. 1. Filliuc. tract. 20. num. 228. Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. dub. 7. Kon. diſp. 18. dub. 7. Ricciul. lib. 5. de iure perſonar. cap. 17. Gordon. lib. 7. quæſt. 48. cap. 19. num. 110. Maiol. lib. 5. cap. 46. num. 1. Bonac. diſp. 7. de cenſur. quæſt. 3. punct. 7. num. 1. & alij complures, qui ducuntur ex communi potius perſuaſione, quàm certo vllo iure, vti ſtatim apparebit.

Quare alij nullam aliam agnoſcunt irregularitatem hoc loco, niſi ratione infamiæ, quando hæreſis publica eſt, & infamiam generat; ſi enim occulta ſit, aut ſine infamiæ nota poſt abſolutionem ab excommunicatione per eam contracta, poſſe abſque vlla noua diſpenſatione promoueri ad Ordines, aut in iam ſuſceptis miniſtrare hæreticum iam conuerſum. itaque docent eruditi recentiores, Auila 7. p. diſp. 4. dub. 2. concl. 3. Philiarch. lib. 4. c. 15. Sà verb. Irregularitas ex defectu animæ num. 2. Henriq. lib. 14. cap. 4. num. 6. & cap. 5. num. 2. Sayr. lib. 7. cap. 12. num. 16. Reginald. lib. 30. tract. 2. num. 193. in illam inclinat Tanner. in 3. part. diſput. 6. quæſt. 10. num. 200. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. num. 12. Alij autem dicunt, hanc irregularitatem eſſe quidem peculiarem hæreſi, illíque annexam, cum ea tamen conditione, vt ad illam incurrendam crimen debeat eſſe publicum ex peculiari iure, quod vbi eiuſmodi pœna plectit hæreſim, ſemper eam publicam eſſe ſupponit. ita Hurtad. diffic. 4. num. 13. diſp. 2. de irregular. & Garc. 11 part. de beneficiis. cap. 10. num. 84. Idémque probabile dixit Ferdinand. à Caſtro tr. 4. diſp. 4. p. 4. num 2. & vt ipſemet allegat in tract. de irregular.

Qvæ ſententia cum hac ſaltem limitatione veriſſima mihi videtur; 4 quare hæreſis non inducit irregularitatem, niſi ſit publica & notoria, ſiue ea irregularitas dicenda ſit tantùm ex infamia, vt in aliis quibuſdam delictis notoriis contingere dicemus q. ſequenti, ſiue ſit irregularitas ex delicto; quod tamen ex peculiari iuris diſpoſitione debeat eſſe publicum. Probatur, quia nullibi in iure fertur iſta irregularitas, niſi ſit crimen hæreſis publicum, quod ſingulos textus, qui allegari ſolent, expendenti conſtabit.

Specvlator igitur tit. de diſpen- 5 ſationibus. §. iuxta, num. 16. vbi hæreticum etiam poſt conuerſionem exiſtimat manere irregularem, affert cap. inter ſollicitudines. de purgat. canonic. Verùm certum eſt ex integra Decretali Innocent. III. quæ refertur lib. 2. Regiſtri eius, nullam imprimis in ea fieri mentionem irregularitatis, ſed ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quam Senonenſis Archiepiſcopus vnà cum aliis inflixerat, Decano Niuernenſi, propter ſuſpicionem de hæreſi ortam ex captata familiaritate cum hæreticis in villa, quæ vulgò dicitur *Charitas*. Secundò ſuſpenſus] fuit ille Decanus *propter vehementem infamiam, & graue ſcandalum*. Tertiò Pontifex, ad quem

deinde miſſus fuerat, mollit ſententiæ rigorem, & purgationem canonicam illi indulget, ſed *quartadecima manus ſui Ordinis*, hoc eſt, vt coram quatuordecim eiuſdem Ordinis viris Catholicis & probatæ virtutis purgetur; quamuis enim numerus compurgatorum ſit Epiſcopo arbitrarius, propter tamen delicti & ſcandali grauitatem, atque perſonæ conditionem augetur & minuitur. Quartò vult ibi purgari, vbi fuit infamatus. Quintò purgatione præſtita iubet illi reſtitui beneficium, à quo fuerat per Archiepiſcopum Senonenſem ſuſpenſus; in pœnam tamen familiaritatis cum hæreticis iubet manere ab officio ſuſpenſum, donec ſcandalum ſopiatur. Sextò denique, ſi deficiat in purgatione, mandat eidem Archiepiſcopo, vt illum Eccleſiaſtico mucrone percellat, ab officio & beneficio deponat, atque in arctum Monaſterium ad agendam pœnitentiam detrudat. Ex quibus omnibus nihil planè colligitur ad aſtruendam irregularitatem hæreſi per ſe, & ſecluſa omni notorietate, annexam, cùm agatur tantùm de eo, qui infamia laborabat, & graue ſcandalum crearat omnibus, neque ſermo ſit vllus de irregularitate, ſed de ſuſpenſione illata ab homine per ſententiam.

Allegat ſecundò Speculator cap. conuenientibus. 1. q. 7. quod ex varijs locis primæ actionis ſeptimæ Synodi conflatum eſt. Verùm conſtat ibi maximè agi de Clericis & Epiſcopis, qui ab hæreticis fuerant ordinati, an in eodem Ordine eſſent deinde ab Eccleſia recipiendi, quod non neceſſariò trahitur ad Clericos, qui à fide deſciuerant ad hæreſim, & deinde redibant in Eccleſiam. Et licèt concederemus de his etiam Clericis hæreticis agi, iſti publici & notorij erant, quandoquidem in publica Synodo poſtulabant recipi; deinde alia quæſtio eſt, an dum iſti hæretici redeunt ad Eccleſiam, debeant in pœnam prohiberi ab Ordinũ exercitio, aut à promotione ad gradum vlteriorem; an verò ſi ſimpliciter admittantur ab Eccleſia, abſoluantúrque ab hæreſi, maneant adhuc irregulares, indigeántque noua diſpenſatione: hoc poſtremum nullibi ſimpliciter & abſolutè definitur, ſed ſolùm quæſitum fuit, an cum ea pœnitentia admittendi eſſent in Eccleſiam Clerici hæretici, & ab hæreticis ordinati; qua de re fuêre varij canones alibi expendendi, neque enim nos de ea pœna & prohibitione imponenda ab Eccleſia modò diſputamus, ſed ſolùm de irregularitate iam impoſita, cuius nullibi fit mentio, aut ſi alicubi fiat, agitur de hæreſi publica & notoria, neque contrarium euincitur ex cap. citato conſtitutionibus, vt malè dixerat Speculator, & alij ipſum deinde ſequuti.

Affert tertiò cap. nos conſuetudinem 12. diſt. vbi Donatiſtæ conuerſi prohibentur Promoueri in Primates. Verùm imprimis non agitur ibi de Donatiſtis occultis. Secundò hæc Gregorij conſtitutio pugnat cum aduerſariis, vt eam legenti conſtabit; eſt verò ep. 75. lib. 1. Regiſtri, petierant enim Numidiæ Epiſcopi à Gregorij prædeceſſore per Hilarium Chartularium S. R. E. ſeruari omnes conſuetudines, quas ab ipſo Petri tempore, *in ordinationibus vetuſtas longa ſeruauerat*, quam omnem conſuetudinem, quæ nihil fidei catholicæ derogat, inuiolatam permanere concedit Gregor. ſiue de Primatibus conſtituẽdis, cæteríſque capitulis agatur, *Exceptis*, inquit, *his qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum perueniunt*, *quos pro-*

uebi ad primatus dignitatem, etiam cùm Ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus: ſufficiat autem illis commiſſæ ſibi plebis tantummodo curam gerere, non autem etiam illos Antiſtites, quos Catholica fides in Eccleſiæ ſinu edocuit, & genuit ad obtinendi culmen primatus anteire. Ex quibus vides vetuſtam fuiſſe conſuetudinem in Africa redeuntes ex Donatiſtis non modò aſciſcendi in clerum, ſed etiam ipſos Epiſcopos eodem ordine & gradu ſuſcipiendi, atque in Primares deinde eligendi, cui conſuetudini derogat Gregor. quantum ad poſtremum hoc caput, vult enim Epiſcopos è Donatiſtis conuerſos in ſuo quidem gradu perſeuerare, non tamen in Primatum dignitatem eligi, quæ prohibitio non eſt irregularitas, vt vides. Quid verò Primates in Africa maxime haberent ſupra Epiſcopos, inquiſiuimus alibi. Malè igitur mentem Gregorij percepit gloſſa, dum ait, eum prohibuiſſe, ne vt Archiepiſcopi & Primates promouerent è Donatiſtis redeuntes in Epiſcopos, cùm manifeſtè conſtet ipſum agere de Epiſcopis, qui ad primatus dignitatem prouehebantur, & alios Antiſtites præcedebant, & tales Primates fieri prohibet ex Epiſcopis quondam Donatiſtis, non verò Donatiſtas fieri Epiſcopos, quod omninò concedit, cùm ait ſufficere, ſi curam habeant commiſſæ ſibi plebis, neque æquum eſſe, vt cæteros Antiſtites, qui ſemper in Eccleſiæ ſinu educati fuerunt, præcedant aliquando. Falsò etiam eadem gloſſa indicat diſpenſatum fuiſſe à Gregorio cum Africanis, cùm potiùs eorum conſuetudini derogaret, neque quicquam indulſerit, ſed potiùs detraxerit.

Quartò affertur cap. ſaluberrimum, 1. q. 7. vbi redeuntes ab hæreſi permittuntur, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, prohibentur autem ad vlteriores promoueri. Verùm hinc primò colligitur, hæreticos non eſſe abſolutè irregulares, ſed tantùm circa ſuſceptionem Ordinum, cùm poſſint abiurata hæreſi in Ordinibus priùs ſuſceptis miniſtrare; quod dixit Angel. verb. Irregularitas 1. n. 28. quæ eadem totidem verbis habet Sylu. eod. verb. q. 5. n. 7. Neque inde licet argumentari ad laicos, de quibus neque in hoc canone, neque in aliis fit vlla mentio quoad iſtam etiam partialem irregularitatem, quia etiamſi hæc pœna imponatur Clericis tantùm ratione hæreſis, quæ eadem eſt in laico, potuit tamen aliter puniri idem crimen in vno genere perſonarum, aliter in alio, & ſanè alia longè erat ratio & modus admittendi in Eccleſiam laicos hæreticos; alia verò ratio ſuſcipiendi Clericos, de iis enim ſæpiùs in variis Synodis diſceptatum eſt, nũquam verò de laicis, eo quòd Clerici ratione ſuæ dignitatis & adminiſtrationis diuinorum Sacramentorum maiorem infamiam & impedimentum viderentur contraxiſſe; cùm igitur in cap. cit. dicatur duntaxat Clericos redeuntes in Eccleſiam poſt abiuratam hæreſim non poſſe promoueri ad vlteriores Ordines; in ſuſceptis tamẽ miniſtrare permittantur, neque abſoluta irregularitas reſpectu Clericorum hæreticorum, neque partialis reſpectu laicorum colligi poterit.

Reſpondent Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 13. Suar. diſp. 43. ſect. 1. n. 2. Sanch. lib. 2. in Decalogum, cap. 25. n. 3. hanc facultatem Clericorum ab hæreſi deficientium exercendi Ordines iam ſuſceptos, intelligendam eſſe obtenta prius diſpenſatione, quam Epiſcopi dare poterunt, cùm ſolus Papa poſſit pro ſuſcipiendis nouis Ordi-

nibus diſpenſare. Hæc tamen diſpenſationis neceſſitas, vt Clericus conuerſus ab hæreſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, non modò ex cap. citato ſalubertimum, colligi non poteſt, cùm illius nuſquam meminerit, ſed cum eo apertiſſimè pugnat. Leo enim in illa ſua epiſtola tertia ad Ianuarium, diſertè affirmat, illam eſſe canonum conſtitutionem, quámque præcipit cuſtodiri, *vt in magno habeant beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inueniuntur Ordine, ſtabilitate perpetua maneant.* Beneficium igitur in eodem Ordine permanendi oritur ex canonum conſtitutione, non verò per diſpenſationem obtinetur, & ſanè circa hos Clericos in variis Synodis ita ferè perpetuò ſtatutum fuiſſe conſtabit 3. p. huius operis; interim adi Sanctarell. qui tract. de hæreſi cap. 35. dub. 1. aliqua in hanc rem congeſſit; additque Leo rationem, propter quam negetur promotio ad ſuperiores Ordines, nimirum quòd ſuperſit ſemper aliqua ſuſpicio & nota prioris ſceleris & erroris. *Quod ſi*, inquit, *cum grandi examine promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere ſuſpectis.* Quare ſi omnis ſuſpicio & infamia abſtergi poſſet, nihil prohiberet etiam ad Ordines non ſuſceptos eiuſmodi Clericum conuerſum promoueri, vti dicam cap. ſeq. q. 1. Deinde vnde habent laudari DD. ſolum Pontificem quoad promotionem diſpenſare poſſe cum iſto Clerico quondam hæretico, non autem Epiſcopum, niſi circa vſum Ordinum iam ſuſceptorum: quod enim ait Sanch. quoties canon permittit diſpenſationem in aliquo caſu, eo ipſam illam concedere Epiſcopo, æquè valet in promotione hoc loco, nam & illa æquè fieri poteſt cum diſpenſatione, atque adminiſtratio Ordinis iam habiti, & æquè vtramque permittit Leo, cùm neutrius meminerit, ſed tantùm dicat licitam eſſe eam adminiſtrationem, nō promotionem, quod DD. interpretantur de licita adminiſtratione cum diſpenſatione, promotionem autem eſſe illicitam etiam cum diſpenſatione, quod non eſt explicare canonem, ſed nouum condere, vti patet, neque deinde ſatis ſibi ſe conſentiunt, nam quoad vſum Sacerdotij negant ab Epiſcopo poſſe diſpenſari, ſicut neque quoad vſum Pontificalium cum Epiſcopo hæretico, propter Bullam Pij V. an. 1566. id priuilegium Inquiſitoribus negantis. ita Suar. ex communi ſententia cit. ſect. 1. n. 6. Sed neque conſtat, an ea Bulla recepta fuerit, neque an ea deroget Epiſcoporum ordinariæ poteſtati, quam hi DD. agnoſcunt. Quare Clericos conuerſos ab hæreſi poſſe abſque vlla diſpenſatione ſuis Ordinibus vti, ſapienter aſſerit Hurtad. diſp. 2. diffic. 5. n. 10.

Affertur quintò, cap. 2. de hæreticis in 6. §. hæretici. Alexander enim IV. hæreticos ad nullum beneficium Eccleſiaſticum, ſeu officium publicum admitti patitur; nomine autem officij publici intelligunt Ordines, qui continent miniſteria publica. Sed nunquam hæc vox, *publicum officium*, abſolutè poſita ſignificat Ordines in iure; deinde hoc loco non poteſt ſumi in eam ſignificationem, malè enim Pontifex decerneret collationem publici officij factam hæretico, irritam & inanem fore, ſi per officium publicum intelligeret Ordines, quorum collatio irritari nequit: neque loquitur tantùm Pontifex de hæreticis, qui promouendi ſunt ad clericatum, ſed de omnibus etiam coniugatis; quare nomine publici officij intelligit quãcunque dignitatem, & miniſterium publi-

publicum, idcircò gloſſa exemplificat in Notarij & iudicis officio, quia, vt ait Viuian. in Rational. ad hoc cap. 2. omnes hæretici eorúque credentes, fautores, recuperatores, defenſores, & filij, de quibus omnibus agit hoc caput, ſunt excommunicati & infames; *infamibus autem portæ non debent patere dignitatum.* cap. infamibus. de regulis iuris in 6. & l. infamiæ. C. de Decurion. Denique in rubric. cap. 15. eod. lib. & tit. vbi eadem quoque pœna filiis hæreticorum ſtatuitur, dicitur illos eſſe inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum, & officium ſæculare, vt videas nomine officij publici in cap. 2. non fuiſſe ſignificatos Ordines, in toto etiam iſto titulo de hæreticis agi de publicis & notoriis certiſſimum eſt.

Aſſertur ſextò Bulla Clem. VII. quæ incipit, Cùm ſicut, edita Bononiæ an. 1530. die 15. Ianuar. quam integram refert Penna in Bullario appoſito ad Director. Inquiſitor. facit autem poteſtatem Clemens Inquiſitoribus, eorúmque Cómiſſariis, diſpenſandi ab irregularitate hæreticos & Apoſtatas ad fidem redeuntes; ſupponit igitur irregularitatem ab illis fuiſſe contractam, agítque de diſpenſatione danda *extra iudicialiter*, & de Lutheranis occultis, & diſtinguit etiam irregularitaté ex hæreſi & apoſtaſia à fide ortam, ab illa quam celebrantes Diuina, cenſuris, tam à iure, quàm ab homine latis innodati contraxerint, quæ omnia ex ipſo contextu patent.

Reſpondeo Pontificem fecere ampliſſimam facultatem Inquiſitoribus abſoluendi Lutheranos occultos, & diſpenſando ipſos ab omni inhabilitate & irregularitate, vndecunque fuerit contracta, ſiue ex hæreſi, ſiue ex violatione cenſuræ per hæreſim incurſæ, ſiue aliunde propter diuerſas opiniones DD. quorum aliqui volút ex hæreſi etiam occulta naſci irregularitatem, alij negant, Pontifex nihil omninò voluit definire, ſed tantùm vniuerſaliſſimam ampliſſimamque poteſtatem diſpenſandi & abſoluendi concedere: in priuilegiis autem ſupponi potius quàm definiri opiniones varias DD. certiſſimum eſt; quare ex eo Clementis reſcripto nihil omninò colligi poteſt ad certò ſtabiliendam hanc irregularitatem ex hæreſi, & ſecluſa omni infamia ac notorietate criminis contrahendam.

Denique certum videtur cap. ad abolendam, de hæreticis, vbi Lucius III. declarat omnes hæreticos perpetui anathematis vinculo innodari, & Clericos hæreticos iubet totius Eccleſiaſtici Ordinis prærogatiua nudari, & curiæ ſæculari tradi animaduerſione debita puniendos, loqui de publicis hæreticis, qui vel à Romana Eccleſia, vel à ſingulis Epiſcopis cum Concilio Clericorum, vel Sede vacante, ab ipſis Clericis cum concilio, ſi opus fuerit, vicinorum Epiſcoporum fuerint hæretici iudicati. Deinde quoad pœnam hanc depoſitionis requirit Pontifex, vt ſi Clericus, vel Religioſus fuerit in hæreſi manifeſtè deprehenſus, & noluerit ſuum errorem arbitris Epiſcopi abiurare, puniatur ea pœna, in quibus omnibus vides ſermonem eſſe de notorio & infami hæretico.

His omnibus accedit ratio, propter quam Clericis fuit impoſita irregularitas ſaltem partialis, & circa ſuſceptionem nouorum Ordinum, in antiquioribus canonibus ſuperiùs relatis, quæ alia profectò non fuit, quàm ſcandalum & periculum, quod erat in ordinatione eiuſmodi hominum, de quorum fide manebat aliqua ſuſpicio.

quæ ratio ſupponit publicam hæreſim, hinc fit, vt omnes leges Eccleſiaſticæ in hac cauſa dirigantur ad Paſtores & Epiſcopos, qui hos Clericos admittere debent, vt caueant periculum; & quamuis in ſuſceptis Ordinibus illos miniſtrare patiantur, ne tamen illos ad ſuperiores promoueant, non prohibent autem ipſis hæreticis, ne poſtulent ordinari, neque illos inhabiles declarant, vbi fuerit occulta hæreſis, nullúmque manebit periculum aut ſcandali, aut fictæ conuerſionis, aut inconſtantis animi. Itaque nihil eſt, vnde iſti dicantur irregulares, quæ fuit etiam mens grauiſſimorum DD. qui dum texunt catalogum pœnarum, quas ius inflixit hæreticis, nuſquam meminêre irregularitatis, vt videbis apud Diaz in pract. can. cap. 114. Iul. Clar. lib. 5. §. Hæreſis. Caſtr. lib. de iuſta hæretic. punit. & aliis.

Quæ diximus de hæreticis, eadem valent in Apoſtatis à fide, quodcunque tandem ſit diſcrimen inter illa duo crimina, quod alibi excutietur, quia quoad hanc pœnam, iura eodem modo loquuntur, & DD.

Dubium II.

An Schiſmatici ſint irregulares?

6 Secundum peccatum, propter quod incurritur irregularitas, eſt ſchiſma, ex mente Maiol. lib. 5. cap. 46. n. 1. & iam docuerat Speculator tit. de diſpenſationibus, §. iuxta, n. 17. propter cap. 1. de ſchiſmat. idémque cenſuit Raymun. in ſum. verb. Schiſma. Vgolin. cap. 36. §. 3. n. 7. Azor. 1. p. lib. 8. cap. 20. q. 8.

Diſtinguunt alij, ſi enim ſchiſma fuerit coniunctum hæreſi, vti ſæpiùs contingit, eodem modo de irregularitare horum Schiſmaticorum atque hæreticorum ſentiendum erit; quare ſi hæretici ratione illius criminis, ſecluſa omni notorietate & infamia, ſint irregulares, & hi quoque ſchiſmatici erunt irregulares; alij verò Schiſmatici qui non ſunt hæretici, neque enim primatum Romanæ Sedis negant, ſed pro Pontifice legitimo alium agnoſcunt, non ſunt irregulares, niſi fortaſſis ratione infamiæ, quæ diſtinctio in noſtra ſententia, qui negauimus hæreſi eſſe annexam irregularitatem, ſi abſit infamia & notorietas, ſuperflua omninò eſt, ſiue enim ſchiſma ſit coniunctum hæreſi, ſiue ſine illa, nunquam inducet irregularitatem, niſi ratione infamiæ & notorietatis.

Dico igitur contra Specular. & alios relatos, ſchiſmati nullibi eſſe impoſitam irregularitatem. ita Suar. diſp. 43. ſect. 2. n. 7. Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 36. n. vlt. Sanctarell. de hæreſ. cap. 43 dub. 1. n. 13. Gordon. lib. 7. q. 18. n. 115. & alij, quia iura quæ afferunt aduerſarij, nihil eiuſmodi affirmant, nam in cap. 1. de ſchiſmatic. quod vnum obiicit Speculator, ordinationes factas ab Octauiano, Guidone Cremenſi, & Ioanne de Struma, Pſeudo-pontificibus irritas eſſe definit Alexand. III. in Conc. Lateran. quod intelligendum eſt quoad executionem Ordinis ita ſuſcepti, & inhabiles eoſdem Schiſmaticos reddit ad omnia beneficia & dignitates Eccleſiaſticas, qua in re, ait, ſe inſiſtere veſtigiis ſui Prædeceſſoris Innocentij, ſecundi nimirum, non primi, vt malè intellexit Tancredus, Innocentius autem II. ordinationes factas à Petro Leonis irritauit.

Secundò cap. quia diligentia, de electione, oſtendit Schiſmaticum eſſe inhabilem, & ineligibilem ad dignitates Eccleſiaſticas; de irregularitate

verò

verò nihil prorſus loquitur.

Tertiò, cap. quia contra, 24. q. 1. agit duntaxat de laicis pacem turbantibus, quos militiæ cingulo vult priuari, & ſi ignobiles ſunt, exilio atque pœna corporali puniri; ſi verò nobiles exiſtant, bonorum proſcriptionem pari iubet: vt mirum profectò ſit, homines doctos vſque adeò parum ſapere in adducendis iuribus, quæ quotidie verſant, vt hoc textu vti voluerint ad probandam irregularitatem ſchiſmati fuiſſe impoſitam.

Neque accommodatior eſt ſanctio Nicolai II. in Concil. Lateran. edita, quæ refertur cap. in nomine Domini, diſt. 23. ſed non integra & pura, vti obſeruauit Baron. an. Chriſti 1039. n. 6. & nos alibi dicemus; vbi enim Ioannem Mincium Velitrenſem Epiſcopum electum in Pſeudo-Pontificem, & Benedictum nominatum, omni ſacerdotali honore priuauit, ſtatuit vt deinceps, qui ita electus inthronizatus & ordinatus fuerit, ſimili ſententia percellatur, & eadem pœna puniatur; cùm igitur ſermo ſit de pœnis infligendis, in iis non poteſt cenſeri irregularitas.

Dvbivm III.

An Simonia pariat irregularitatem?

7 Ita affirmat Speculator tit. de diſpenſationib. §. iuxta, num. 16. & eum de more ſequutus Maiol. lib. 5. cap. 45. num. 1. qui textus aliquot allegant, ſed parùm appoſitè, loquuntur enim de ſuſpenſione duntaxat, quando ſimonia fuit commiſſa in Ordine, vel in beneficio; neque inter pœnas à iure impoſitas vllibi reperiri irregularitatem, conſtabit facilè ex ſingulis locis, quæ adducuntur, & iis, quæ dicemus alibi; interim adi Ferdinand. à Caſtro tract. 13. diſput. 3. punct. 24. & 25. vbi omnes pœnas Simoniæ inflictas ſigillatim enumerat; quare reiicienda eſt hæc irregularitas, niſi ratione infamiæ, vti dicemus, vt etiam reiiciunt Suar. diſp. 45. ſect. 4. Gordon. loc. cit. & alij paſſim recentiores. Neque dicas Simoniæ crimen æquiparari hæreſi atque idololatriæ, ac proinde eaſdem pœnas communes habere; reſpondeo enim, quidquid ſit de grauitate huius criminis, quam ſuo loco expendemus, eam non ſufficere ad inducendam irregularitatem, quæ à iure ferri debuit, neque colligi poteſt à ſimili & æquali peccato, cui fuerit impoſita.

Dvbivm IV.

An ſacrilegium, ſiue peccata contra Religionem faciant irregularem?

Sacrilegivm quo vno nomine peccata omnia contra Religionem ſignificamus facere irregularem, dixit Maiol. lib. 5. cap. 30. quia verò multiplex eſt ſacrilegium, cùm Religionis violatio diuerſa ſit, ideò plures inducit irregularitates, primò enim c. 30. cit. illum, qui cum Moniali commiſcetur, irregularem exiſtimat. Secundò cap 31. ſortilegos, magos, maleficos, incantatores, diuinatores, Mathematicos, irregulares eſſe affirmat, & cap. 32. idem affirmat de blaſphemis, & cap. 33. de periuriis; nullibi tamen his criminibus eiuſmodi pœna imponitur, ſed duntaxat aut excommunicatio, aut ſuſpenſio, aut depoſitio, quæ pœnæ ſunt infligendæ à iudice, & maximè depoſitio, vti conſtabit expendenti varios textus, quos Maiol. adducit, & ex iis, quæ de ſingulis 8

gulis his vitiis diſputantes dicemus, de eorum pœnis videbis. An verò omne crimen depoſitione dignum inuehat irregularitatem, ſecluſa notorietate & infamia, dicam fusè inferiùs.

Consectarivm vnicvm.

Enumerantur peccata, quibus eſt annexa irregularitas.

9 EX his, quæ tum hoc capite, tum ſuperiori ſtabilita ſunt, facilè fuerit definire & enumerare peccata, quibus eſt impoſita irregularitas per ſe, & ſecluſa omni infamia, notorietate, aliáve circunſtantia, ex qua peculiaris indecentia oritur, propter quam Eccleſia illi delicto inflixit hanc pœnam; quamuis enim infamia conſequens delictum non augeat illius grauitatem, ſed eam ſupponat, affert tamen peculiarem indecentiam, quam maximè attendit Eccleſia in conſtituendis irregularitatibus; ſecluſa enim ea indecentia non puniret tale crimen hac pœna, ſed alia quapiam.

Hæc itaque delicta; quæ ſuos authores faciunt per ſe, & ſecluſis omnibus aliis externis circunſtantiis, irregulares ſunt.

Primò, homicidium voluntarium contra quintum Decalogi præceptum. de quo toto cap. ſuperiori fuſiſſimè fuit diſputatum.

Secundò, iteratio Baptiſmi culpabilis, quæ tum rebaptizatum, tum rebaptizantem eiúſque miniſtrum conſtituit irregulares, vt hoc cap. q. 1. propoſit. 1. expoſuimus.

Tertiò, ſuſceptio Ordinum poſt contractum matrimonium inuehit irregularitatem ex nouo iure Extrauag nulla autem alia Ordinum alteriúſve Sacramenti illicita & ſacrilega ſuſceptio plectitur hac pœna, ſed ſuſpenſione ſæpiùs, vt eadem quæſt. 1. in 2. propoſit. eiúſque conſectariis latè deduximus.

Quartò Clericus, qui vſurpat Ordinem, cúmque exercet, ſiue Sacramenta miniſtrando, ſiue quid aliud illi ex Chriſti, aut Eccleſiæ inſtitutione annexum exercendo, fit irregularis ex tertia propoſit. quæſt. 1. Dixi Clericum, non laicum, dixi etiam Clericum exercentem ea, quæ ſunt Ordinis, & non iuriſdictionis tantùm.

Quintò, violatio cenſuræ in exercitio alicuius Ordinis facit irregularem, quod tota quæſt. 2. fuit expoſitum.

Sextò, nulla alia illicita licèt Ordinis adminiſtratio, nullúmve aliud peccatum, præter illa quinque recenſita, facit irregularem, per ſe loquendo, & ſecluſa infamia ac notorietate.

Qvæstio IV.

De irregularitate orta ex infamia.

Notationes, Quid & quotuplex ſit infamia. num. 1.

Prima propoſitio. De irregularitate ex infamia legali per proprium delictum contracta. num. 2.

Expoſitio & confirmatio propoſitionis. num. 3.

Secunda de irregularitate ex infamia populari. num. 4.

Expoſitio & confirmatio propoſitionis. num. 5.

Quidnam in 2. Canone Niceno ſit peccatum animale. n. 6.

Tertia propoſitio. De irregularitate ex infamia contracta abſque proprio peccato. num. 7.

Confirmatio

Confirmatio & expoſitio. *ibid.*
Confectarium primum. An infamia iuris, & irregularitas eam conſequens, contrahatur ex peccato occulto. n. 8.
Sententia affirmant. ibid.
*Sententia negans. n.*9.
*Reſolutio. num.*10.
*Confectarium ſecundum. An fautores, defenſores, & receptatores hæretico rum ſint infames, & irregulares. num.*11.
*Confectarium tertium. An filij hæreticorum, eorumque fautorum ſint irregulares. num.*12.
*Confectarium quartum. An ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares. n.*13.
Confectarium quintum. An fictè apoſtatans à fide ſit irregularis. numero 14.
*Confectarium ſextum. An crimen enorme, & depoſitione dignum, vbi notorium fuerit, faciat irregularem. num.*15.
Status quæſtionis. ibid.
*Reſolutio. num.*16.
*Confectarium ſeptimum. An Clericus Sodomita, & concubinarius ſit irregularis. num.*17.
*De Sodomita occulto quid. n.*18.
*Quid de publico. n.*19.
*Quid de concubinario. num.*20.
*Confectarium octauum. An incarceratus, & accuſatus de aliquo crimine ſit irregularis. num.*21.
*Confectarium nonum. An pœnitentia ſolemnis faciat irregularem. n.*22.

REſtat hæc vltima irregularitas, quæ quia non oritur proximè, & per ſe ex delicto, ſed ex infamia, dici poſſet irregularitas ex defectu, maximè quando infamia contracta fuit ex alieno delicto, aut ex vili aliquo officio, vti aliquando contingit, quia tamen ferè ſemper iſta irregularitas ſupponit aliquod delictum ſiue proprium, ſiue alienum, tanquam cauſam remotam, idcircò placuit illius expoſitionem tractationi de irregularitatibus ex delicto ſubiicere.

NOTATIONES.

Quid, & quotuplex ſit infamia?

INfamia eſt diminutio, ſiue amiſſio bonæ exiſtimationis ac famæ: eſt autem fama dignitatis illæſæ ſtatus, moribus ac legibus comprobatus; quando igitur apud viros honeſtos, & probos fama alicuius ſiue dignitas, ſiue bona exiſtimatio notabiliter læſa eſt, ille infamis dicendus eſt. 1

Effectus infamiæ alij ſunt quodammodo naturales, quòd nimirum hominem reddat vtilem, & dignum, qui propter vitium, vel defectum quo laborat, & ratione cuius infamis eſt, nihili fiat, atque etiam ab hominum honeſtorum conſortio, aut dignitatibus reiiciatur, non vi alicuius legis ita ſtatuentis, ſed ex communi hominum iudicio, & ſenſu: effectus autem legalis infamiæ eſt inhabilitas ad officia, & dignitates quaſdam ex vi legis ita ſancientis ſtatuentíſque, vt ſimiles morales effectus habeat eiuſmodi infamiæ macula.

Diuiditur infamia primò in infamiam legalem, & popularem. Prima eſt illa, quæ vel eſt inſtituta à lege, vel ſaltem habet ſuos effectus dependenter à lege inſtituente, vt iam explicuimus: altera eſt infamia popularis, quia ex communi hominum æſtimatione & ſenſu oritur, nullúm-

que alium habet effectum moralem, quàm illam obſcuritatem nominis, diminutionem famæ, detrimentum dignitatis, diſpendium pudoris;quia tamen nullo iuris adminiculo fouetur, vt loquuntur, nullum etiam effectum legalem habet;huius porrò infamiæ communis & popularis cognitio non attenditur in iure, quod ſolum conſiderat ipſam in ordine ad effectus legales, & morales.

Secundò diuiditur infamia legalis in infamiam iuris & facti. obſerua enim omnem quidem infamiam legalem eſſe ex inſtitutione iuris, quandoquidem ab illo habet ſuos omnes effectus, ab eóque per modum pœnæ impoſita eſt certis quibuſdam criminibus, aut ſi ſit indecentia tantùm ratione alicuius vilioris officij, aut conditionis perſonæ, habet adnexam aliquam inhabilitatem, aut impedimentum ex inſtitutione iuris; quia tamen ad creandam hanc infamiam legalem, aliquando requiritur proceſſus quidam iudiciarius,& ſententia iudicis, aut quid ipſi æquiualens; aliquando verò ſufficit factum, cui à lege eſt impoſita infamia, fuiſſe commiſſam abſque vllo alio iudiciario ordine, vt quis infamis dicatur, & inhabilis ſit ad dignitates, patiatúrque omnes effectus, quos ex iuris inſtitutione producit infamia, factum eſt vt DD. duplicem infamiam legalem conſtituerent, vnam iuris, quæ non incurritur niſi per actum iuridicum, alteram facti, quæ nullum iudiciarium ordinem exigit, ſed ſolius facti, cui fuit à lege annexa, commiſſionem, eiúſque euidentiam, aut notorietatem per publicum ſermonem; vna itaque eſt infamia incurrenda per ſententiam, quæ dicitur idcircò infamia iuris, ſiue potiùs iuridica: altera eſt infamia veluti latæ ſententiæ, quæ ipſo iure, ſiue ipſo facto incurritur; quam diuiſionem tradunt omnes in cap. vlt. de temporib. ordin.

Ad infamiam porrò iuris, vt perfecta & completa ſit, requiritur ſententia definitiua, neque ſufficit interloquutoria, ex communi DD. immò ex iure Canonico debûit eſſe proceſſum per viam accuſationis, & non inquiſitionis tantùm, ex Panorm. in cap. inquiſitionis, de accuſation. n. 2. neque mirum eſt ſententiam iudicis poſſe reddere aliquem infamem, licèt infamia videatur neceſſariò includere notitiam publicam hominum, quam non generat ſententia, quæ aliquando in aliquo angulo & clam pronunciari poterit, nam ſiue dominium famæ, & ius illam tuendi, ſiue actualem eius poſſeſſionem, ſiue inhabilitates & effectus morales, qui ex infamia conſequuntur, ſpectes, hæc omnia cauſari facilè poſſunt per ſententiam definitiuam iudicis imponentis infamiam reo, ſiue ex legis præſcripto, ſiue ex propria authoritate. nam ſi imponatur alicui delicto infamiæ pœna per ſententiam iuridicam, tollit reo dominium ſuæ famæ, neque cùm hæc pœna ſit priuatiua, opus eſt alia exequutione; quare ſi quis infamet illum reum propter tale delictum,non peccat cōtra iuſtitiam, neque facit illi iniuriam, quia non violat vllum ius ipſius, eſto fortaſſis peccet contra charitatem, quod modò non diſputo; quod verò attinet ad actualem poſſeſſionem famæ, illam quidem ex aliqua parte retinet adhuc reus, donec innotuerit omnibus ſententia, non habet tamen ius ipſam retinendi, & à quolibet iure poterit ipſa ſpoliari; deinde cùm hæc ſententia ſit publica quædam notitia, & coram

coram publicis miniſtris, iam dici poteſt reus priuatus per ſe poſſeſſione ſuæ famæ, quamuis eam per accidens apud aliquos retineat, & infamia augenda ſit creſcente delicti & ſententiæ notitia; quod denique pertinet ad inhabilitates, alióſque effectus morales infamiæ, ſtatim conſequuntur ſententiam, quæ ſecum trahit exequutionem, eo quòd hi omnes effectus priuatiui ſint, vt iam monui.

Infamia facti legalis non oritur ex ſolo facto, ſine iuris adminiculo, hoc eſt, ſine lege ita ſanciente, contrahitur tamen ſine vllo iudiciario ordine.

Tertiò diuiditur infamia legalis, de qua ſolùm, vt monui, diſputamus, in infamiam ciuilem & canonicam, prior imponitur ex inſtitutione legis ciuilis, quæ irrogatur vel edicto Prætoris, vel iuris ciuilis, de qua agitur ff. de his qui notantur infamia, infamia canonica. Ea eſt, quæ per ius Eccleſiaſticum inducta eſt, nam quibuſdam criminibus infamiam impoſuit lex ciuilis, quam non probauit canonica; ſecundas enim nuptias intra annũ viduitatis celebrãs mulier infamis habetur in iure ciuili, non autem in iure canonico Et è cõtrario quoſdam habet infames Eccleſia, quos tales non exiſtimat externa & laica politia, nam omnes qui ſuis culpis exigentibus repelluntur à Sacerdotio, ſunt infames iure Canonico, cap. omnes, 6. quæſt. 1. obſeruántque Innoc. & Panorm. in cap. teſtimonium, de teſtibus. multa autem ſunt peccata quæ inuehunt irregularitatem, quæ tamen non faciunt ſuo s authores infames ſecundùm leges ciuiles. Vniuerſalis tamen regula pro dignoſcenda infamia canonica, colligitur ex Adriano cap. omnes, cit. omnem infamiam ciuilem eſſe quoque canonicam, niſi expreſsè fuerit per legem Eccleſiaſticam reuocata, quia Adrian. loco adducto, aſſerit omnes infames dici ab Eccleſia, quos leges ſæculi infames appellarint, quo vniuerſali edicto omnis infamia ciuilis facta eſt canonica & Eccleſiaſtica, quæ tamen & alias quaſdam peculiares habet, vt eam omnem, quæ ex culpa Ordinum ſuſceptionem impediente naſcitur, vt diximus, alias enumerat cap. infames, ead. cauſa, & ſeq.

Ex his autem vides non aliter has vulgares voces infamiæ iuris, facti & canonicæ vſurpare, quàm ſoliti fuerint DD. dum triplicis huius infamiæ meminêre, vt ex Felin. Panorm. Ioann. Andr. è quo & aliis collegit Lambertin. de iure patronat. lib. 2. 1. part. quæſt. 9. art. 16. Sayr. lib. 7. Theſaur. cap. 11. num. 3. & alij paſſim; infamia enim iuris eſt, quæ vel irrogatur per ſententiam, vel ipſo facto in caſibus, in quibus id de iure cauetur; quia enim illa infamia imponitur à lege, etiamſi non indigeat ſententia iudicis, benè nominatur infamia iuris, quandoquidem à iure imponitur. Atque de variis modis huius infamiæ vide cap. infames 3. q. 7. §. porrò, & ibid gloſſam latè. Infamia facti eſt illa, quæ apud omnes, maximè bonos, facit aliquẽ vilẽ, & notatum, ac vno verbo infamem haberi, quam nos popularem cum Suar. nominabamus, vt diſtingueremus ab ea, quæ ita incurritur ipſo facto, vt etiam abſque alia ſententia habeat effectus morales infamiæ iuris, quia reuerà ipſa à iure eſt, licèt non ſit iudicialis, quia non eget iudiciario ordine. Canonica infamia oritur ex quolibet peccato mortali & permanentia in ipſo, & quæ ſequuta ſententia iudiciali poſ-

ſet fieri infamia iuris. Quibus autem caſibus in vtroque iure contrahatur infamia, diligenter collegit Durand. in repertorio iuris lib. 5. rubr. 29.

Non eſt porrò noua iſta acceptio infamiæ popularis,&diſtinctio ab infamia facti legalis ſuperiùs expoſita; eius enim meminit Durand. rub. 29. cit. cùm ait ex ſola fama inceſtus incurri infamiam popularem ex 35. q. 5. cap. notificamus, qui tandem ſub finem huius rubricæ alios eſſe infames de iure ipſo facto, aliis autem per ſententiam infamiam irrogari dixit.

Quartò diuiditur infamia iuris in eam, quæ contrahitur ex peccato proprio, & quæ ex peccato alieno, aut ex vili aliquo officio, cuiuſmodi ſunt hiſtriones, ſcenici, carnifices, aliique, de quibus latè Maiol. lib. 3. cap. 1. ex his obſeruatis, quæ fuſiùs alio loco diſputabuntur, ſit

PROPOSITIO I.

De irregularitate ex infamia legali per proprium delictum contracta.

OMnis & ſola infamia legalis canonica, ſiue iuris ſit, ſiue facti, reddit irregularem.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

EX his quæ obſeruauimus de infamia legali canonica, quam diſtinximus in eam, quæ ipſo facto incurritur, ipſóque iure, & eam quæ indiget iudicis ſententia, ac ordine iudiciario, perſpicuus manet ſenſus huiuſce propoſitionis.

Dico enim eum omnem, qui propter commiſſum aliquod crimen damnatus eſt tanquam infamis à iudice Eccleſiaſtico, vel qui commiſit ſcelus, cui ipſo iure annexa eſt infamia à lege Eccleſiaſtica, & idcircò eſt reuera infamis ante omnem iudicis ſententiam, eſſe quoque irregularem. ita Speculat. tit. de diſpenſat. § iuxta, num. 18. & in repertorio rubr. cit.atque communiter omnes DD. quos congeſſit Garc. 7. part. de benefic. cap.8. num. 7. ita enim pronuntiauit Conc. Tolet. IV. cap. 18. infamiæ nota aſperſos à Sacerdotio remouens, neque diſtinguit inter infamiam iuris & facti, vti obſeruauit gloſſa in cap. qui in aliquo. diſt. 51. verb. infamiæ, & Speculator tit. de diſpenſation. §. iuxta, n. 18. perſpicua etiam eſt definitio Stephani I. Pontificis Romani, epiſt. prima ad Hilarium Epiſcopum, qui conſuluerat Sedem Apoſtolicam, quinam ad gradus Eccleſiaſticos eſſent admittendi; reſpondet verò Stephan. *Omnes quos Eccleſiaſticæ, vel ſæculi leges infames pronuntiant, hos verò non ad ſacros Ordines licet promouere*; & inferiùs addit, eiuſmodi infames neque ad ſacros gradus debere prouehi, neque ſummos Sacerdotes accuſare poſſe; quæ poſtrema verba de accuſatione, à qua reiiciuntur infames, generaliùs habẽtur in Panorm. lib. 4. cap. 66. quæ ſic legit. *Hi omnes nuſquam nec ad ſacros gradus debẽt prouehi, nec accuſationem, ſeu teſtimonium nullatenus iuſtè poſſunt recipi.* Sed iſta neque habentur in ipſa Decretali, neque ea legit Iuo part. 5. cap. 29. neque Burchard. lib. 1. cap. 173. & ideò in nouiſſima editione Gratiani expuncta ſunt à correctoribus in cap. infames. 6. quæſt. 1. vnde videas, quàm parùm firma ſit regula tradita à gloſſa in cap. ipſi Apoſtoli. 2. q. 7. verb.

verb. neceſſe, accuſationem, teſtimonium, & Ordinem pari paſſu ambulare, vt quicunque non admittitur ad vnum, neque admittatur ad aliud; nam Fabian. ex quo caput illud, ipſi Apoſtoli, excerptum eſt, ait quidem epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus cautum eſſe, ne infamiæ maculis adſperſi accuſare poſſent, ſed de Sacerdotibus tantùm, & Clericis ſermo eſt, vt patet ex illo textu, atque ex reſponſione ad interrogationem factam, immò noluerunt priſci illius æui Patres. Sacerdotes accuſari ab iis, qui Sacerdotes fieri non poterant, neque erant ſui Ordinis, eòdem pertinent omnia, quæ fuſiùs ibidem diſputat Fabian. de Sacerdotibus & Epiſcopis, ab iis, qui ipſorum curæ ſubiecti ſunt, non reprehendendis, lacerandis, aut accuſandis. Eadem eſt Damaſi mens ep. 3. ad Stephan. & Archiepiſc. Mauritaniæ, & ad Concilia African. cuius truncata verba referuntur à Gratian. cap. teſtes 2. quæſt. 7. ſic enim habent. *Accuſatores autem Epiſcoporum, & teſtes, ſuper quibus rogitaſtis, abſque vlla infamia, vel ſuſpicione, vel manifeſta macula & vera fide pleniter inſtructi eſſe debent, & tales quales ad Sacerdotium eligere debet diuina authoritas, quoniam Sacerdotes, (vt antiqua tradit authoritas,) criminari non poſſunt, nec in eos teſtificari, qui ad eundem non debent, nec poſſunt prouehi honorem.* Quo etiam modo refert Iuo 5. p. cap. 290. vbi vides agi tantùm de accuſatoribus, & teſtibus aduersùs Epiſcopos, qui vel Clerici eſſe debent & Sacerdotes, vel tales, qui Sacerdotes fieri debeant, vnde non licet in vniuerſum colligere eum omnem, qui à quocunque teſtimonio ferendo repellitur, eſſe irregularem, ſed tantùm eum, qui irregularis eſt, & qui ad Sacerdotium ex aliquo ſuo crimine promoueri non poteſt, non poſſe criminari Epiſcopum, aut aduersùs illum teſtificari, licèt aduersùs alium quempiam teſtimonium ferre poſſit, qui tamen ratione infamiæ, qua laborat, reiicitur à teſtificando, irregularis eſt, quia eſt infamis canonicè, neque proinde promoueri ad ſacros gradus poteſt, aut debet, vti Stephan. Papa loquebatur.

Quod verò dixi in propoſitione, ex ſola infamia canonica naſci irregularitatem, manifeſtum ex eo fit, quod impedimentum canonicum, quale eſt irregularitas, non poſſit à lege ciuili induci, niſi omnia confundere velimus; debet igitur ea infamia etiam à iure Eccleſiaſtico admitti, vt in foro Eccleſiaſtico habeat aliquem effectum, vt patet.

Neque inter infamiam iuris & facti legalis hoc loco diſtinguendum eſt, vt iam ex gloſſa, Speculatore, & communi omnium ſententia monui, quia cùm per hanc infamiam perſona ſit ſimpliciter infamis legaliter & canonicè, eſt neceſſariò irregularis, ex regula vniuerſali, omnem infamem eſſe irregularem, nam canones imponentes infamiam, vel volunt illam eſſe ferendam tantùm, vel ipſo iure latam; ſi primum, requiritur ſententia iudicis, ſine qua nunquam incurritur, quamuis crimen ſit publicum, neque proinde tunc oritur vlla irregularitas ex eo crimine, aut infamia, quæ nondum reuerà contracta eſt, ſed tantùm contrahenda per ſententiam, quæ vbi lata fuerit, quia faciet perſonam damnatam infamem, illam quoque reddet irregularem, non quaſi irregularitas feratur ab homine, ſed quia per ſententiam eius damnatus ſit infamis, ex qua deinde infamia exurgit irregularitas ex iuris diſpoſitione: ſi autem Ca-

non imponat infamiam ipſo iure, ea poſito facto ſtatim contrahitur, ex eâque æquè neceſſariò irregularitas exoritur.

Propositio II.

De irregularitate ex infamia populari.

4 Infamia popularis, quam aliqui etiam appellant infamiam facti ſimpliciter, alij infamiam canonicam, quæ oritur ex quolibet peccato mortali publico, prohibet ſuſceptionem Ordinum, quamdiu perſeuerat, & per emendationem non tollitur, non tamen facit propriè irregularitatem.

Expositio et confirmatio propoſitionis.

5 Hanc infamiam popularem canonicam quoque eſſe ſuperiùs oſtẽdimus ex communi DD. qui etiam fatentur illam prohibere à ſuſceptione Ordinum, nam ex edicto generali infames ordinari non debent, atqui qui in publico aliquo peccato perſeuerát, infames reuera ſunt apud bonos, & vt tales cenſentur ab Eccleſia, & idcircò ab Euſebio Pont. ep. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ repelluntur à teſtimonio ferendo contra Epiſcopos; vbi enim grauia eiuſmodi peccata enumerauit, addit hos omnes ſimiléſque eorum nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium admittendos eſſe, *quia*, inquit, *infames ſunt*, *& iuſtò repellendi*, *quia funeſta eſt vxor eorum*; aſſerit porrò Euſeb. ſe in hac ſua conſtitutione ſequi *Apoſtolicam regulam*, *& firmare ſana Patrum ſtatuta.* Stephan. quoque I. ep. ad Hilar. Epiſcopum nuper relata infamiam creari, ex grauibus eiuſmodi peccatis publicis manifeſtò aſſerit, & Fabian. ep. 2. ad Epiſc. Oriental. vniuerſim pronunciat eos, qui illa peccata perpetrant, de quibus Apoſtolus ait, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur, infamiæ maculis adſperſos eſſe. Hanc porrò infamiam non durare niſi durante eo peccati publici ſtatu, colligitur ex cap. teſtimonium, de teſtibus, vbi donec fuerit quis emẽdatus, repellitur à teſtimonio, propter ſimilia crimina, & cap. ſi duo 35. q. 6. inceſtuoſi dicuntur effecti eſſe infames, donec ab inceſtus facinore deſiſtant, quam infamiam gloſſa ibid. verb. Infames interpretatur infamiam canonicam, quæ doletur per pœnitentiam.

Hos igitur omnes prohiberi à ſuſcipiendis Ordinibus, non verò ab adminiſtratione ſuſceptorum, docent Præpoſit in tertiam part. q. 5. de irregular. n. 52. Bonac. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 1. n. 5. Kon. diſp. 18. n. 37. quia ex indecentia quadam ordinari vetantur eiuſmodi infames; neque vlla eſt vllibi prohibitio miniſtrandi, niſi quatenus non eluto peccato, damnationem ſibi procurant, ſacrilegè miniſtrando; quod vnum colligitur ex cap. vlt. de temp. ordinand. Nam ſi crimen ſit notorium, poterunt impediri à ſuſpenſione & miniſtratione, propter ſcandalum nimirum, donec ſatisfactum fuerit publicæ famæ; ipſi tamen ſecluſo ſcandalo poſt peractam pœnitentiam minimè prohibebuntur exercere ſuos Ordines, & ſanè omnia hæc de re decreta diriguntur ad Prælatos, ne eos infames hac infamia populari ordinent.

Vnde dixi hoc impedimentum canonicum ſuſcipiendi Ordines, non eſſe propriam irregularitatem contra communem apud Bonac. loco cit. & Maiol.

Maiol. lib. 5. cap. 1. n. 2. vbi ait illum, qui] exiſtens in peccato mortali manifeſto & publico, ſuſcipit Ordines, fieri irregularem, quod idem de ipſo quoque ordinante exiſtimat. Verùm hîc quæſtio eſt de irregularitate, quæ ex manifeſto crimine naſcitur propter infamiam popularem, & præcedit ipſam Ordinum ſuſceptionem, non verò de irregularitate, quæ ſequitur ex ſacrilega Ordinum ſuſceptione, propter publicum crimen, quo quis detinetur, quanquam & vtramque irregularitatẽ aſſeruerit Maiol. ſed falsò, vti Kon. diſp. 18. n. 57. Garc. 7. p. cap. 8. n. 64. & p. 11. cap. 3. n. 118. Layman lib 1. tract. 5 p. 5. cap. 4. 10. aduertunt. Ratio manifeſta eſt, quia per pœnitentiam & emendationem tollitur tota iſta infamia & irregularitas, vt omnes fatentur communi ferè conſenſu apud Layman loco cit. At verò irregularitas eſt perpetua quædam inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos, quæ nunquam tollitur, niſi per veram diſpenſationem; vnde Garcias tradit hanc regulam generalem, impedimentum, quod abſque diſpenſatione tolli, ſeu ipſo facto ceſſare poteſt, non eſſe propriam irregularitatem, cuiuſmodi eſt defectus ætatis, ſcientiæ, & morum, de qua regula dicemus cap. ſeq. q. 1.

Quod verò Maiol. obiiciebat ex can. 2. Nicæ. qui Neophytum contra PP. regulas ordinatum, ſi aliquod delictum animale ψυχικὸν ἁμάρτημα, quod tribus teſtibus probetur, commiſerit, à Clero abſtinere, aut ceſſare iubet. Nihil planè vrget, quia illa verba potiùs ſignificant ſuſpenſionem ferendam, quàm irregularitatem, iam enim docuimus lib. ſuperiori, apud Græcos, ceſſationem à Clero eſſe ſuſpenſionem; hîc autem legitur, παυέσθω τοῦ κλήρου, non autem eſſe intelligendam depoſitionem hoc loco, vt aliqui ſuſpicabantur, patet ex ſequentibus verbis, quibus violatores canonis huius dicuntur periclitari de Clericatu, ne nimirum ab illo deiiciantur, & tranſlatio Arabica, de cuius authoritate alibi plurima dicta ſunt, iubet omninò ordinatum & ordinatorem deponi; ad intelligentiam verò huius canonis non videtur omittendum, quid ſit peccatum animale, ψυχικὸν ἁμάρτημα. Exiſtimant aliqui apud Balſam. in ſchol. peccatum animale illud eſſe, quod ex animæ perturbationibus naſcitur, cuiuſmodi eſt ira, inobedientia, hæreſis, & importuna etiam ciborum abſtinentia, & diſtingui à peccato corporali, σαρκικῷ, quod ex appetitione corporali gignitur. Balſam. verò omne peccatum, quod animæ perniciem affert, ſiue ex animali, ſiue ex corporali appetitione progerminet, animale nominari vult, idem quoque exiſtimat Zonaras, quia omnia peccata ex animæ cupiditatibus naſcuntur, quo ſenſu Paul. dixit, corpus animale, & corpus ſpirituale, hominem animalem, & ſpiritualem, animalem nempe, qui ſe totum animæ cupiditatibus permittit. Fauet huic expoſitioni tranſlatio ex Arabico, quæ habet peccatum grauiſſimum pro peccato animali. Verùm hæc Balſam. & Zonar. opinio facilè reiicitur, ſic enim nulla eſſet diſtinctio inter peccata animalia, & alia quæpiam; cùm enim omnia perniciem afferant animæ, omnia etiam dicerentur animalia, vt ipſimet fatentur; malè itaque peccatum animale tanquam diſtinctum ab aliis numerant Nicæni PP. prior autem illa expoſitio de peccato, quod ex animæ cupiditatibus naſcitur, non probatur, quia Paul. ad Galat. 5. & 1. ad Cor. 3. vocat carnales eos qui ſecundùm

dùm hominem ambulabant, & contendebant inter ſe, cùm alius ſe Pauli, alius Apolli diſcipulum iactaret; & numerat hæreſes, ſectas, ſchiſmata, inimicitias & cætera eiuſmodi inter opera carnis, quæ tamen iſti DD. volunt eſſe peccata animalia, & non carnalia; deinde anima apud veteres diſtinguebatur à ſpiritu, vt ſtatim dicam; peccata igitur animalia non ſunt eadem cum ſpiritualibus, vt iſti contendunt.

Mihi omninò certum eſt, hoc loco PP. Nicænos peccatum animale dixiſſe peccatum carnale, quod à peccato ſpirituali diſtinguitur, quod vt manifeſtum fiat, tria oſtendenda ſunt. Primum eſt peccatum animale idem eſſe quod peccatum carnale. Secundum, illud à peccato ſpirituali differre. Tertium, hanc eſſe huius canonis mentem.

Primum conſtat ex frequentiori & vſitatiori ſignificatione animalis, & ψυχικὸν, apud veteres; Tertullian. quidem perpetuò pſychicos opponit ſpiritualibus, & pro carnalibus vſurpat, lib. de Monogam. cap. 1. ſuos enim Montaniſtas ſpirituales vocat, Catholicos autem pſychicos, quibus cùm non placeant ea, quæ ſunt ſpiritus, placebunt ea, quæ ſunt carnis, vt contrariæ ſpiritui, & lib. de ieiuniis. cap. 1. *Agnoſco igitur animalem fidem ſtudio carnis, qua tota conſtat, tam multiuorantiæ, quàm multinubentiæ pronam, vt meritò ſpiritualem diſciplinam pro ſubſtantia æmulam in hac quoque ſpecie continentiæ accuſet.* Auguſtin. in Pſalm. 136. in illud, Memento Domine filiorum Edom, animalem hominem, cuius meminit Paul. 1. ad Corinth. 2. carnalem exponit, qui concupiſcentia carnis ducitur; idem tradit Olympiodor. in Græco textu ad cap. 6. Eccleſiaſt. Nyſſen. lib. de hom. opific. cap. 8 hominem ex triplici parte conſtare affirmat, corpore, anima & ſpiritu: corpus ſignificare partem nutrientem, τὸ θρεπτικὸν, animam verò partem ſentientem, τὸ αἰσθητικὸν: ſpiritu autem deſignari mentem, τὸ νοερὸν, & idcircò conſtituit tres hominum differentias pro diuerſa ratione ſtudij, quod ſectantur, & electionis, quam faciunt τρεῖς διαφορὰς προαιρέσεως, nimirum carnalem, σαρκικὸν, quæ circa ventrem eiúſque voluptates ſtudet, περὶ γαστέρα καὶ περὶ ταύτην ἡδυπαθείας. animalem ψυχικὸν, quæ inter virtutem & vitium media eſt, quia neque vitium ſectatur, neque virtutem proſequitur; denique ſpiritualem πνευματικὸν, quæ perfectum contemplatur ſecundùm diuinum præſcriptum & politiam, ἢ τὸ τέλειον ἀποθεωρεῖ τῆς κατὰ θεὸν πολιτείας, eóque reſpicere Paulum dum hominem animalem & ſpiritualem diſtinguit 1. ad Corinth. atque alibi ſæpiùs, & ſicut animalis carneo præſtantior eſt, ita ſpiritualis animalem ſuperat: quamuis autem eo loco animalis non ſumatur pro carnali, vt ex apertiſſima vtriuſque diſtinctione aſſignata conſtat, tamen opponitur ſpirituali, quæ eadem eſt mens veterum aliorum PP. qui triplicis huius hominis meminêre, medium enim quendam, locum homini animali tradidêre, vt Nazianzen. in definitionib. minus exactis. Carnalem enim hominem vitiis fœdatum dicit: ſpiritualem autem, qui à Spiritu ſancto ducitur: animalis, qui neque Spiritu ſancto regitur, neque etiam paſſionibus carnis abripitur, aut fœdatur. Itaque Chryſoſt. hom. 6. in 1. ad Corinth. animalem hominem, qui non percipit ea, quæ DEI ſunt, interpretatur eum, qui dat omnia animæ rationibus τοῖς λογισμοῖς, & lumine diuino priuatus cæcutit, ſicuti

vti enim oculi quamuis pulchrè compoſiti ſine luce nihil vident, aut in terris conſtituti ea, quæ ſupra cælos exiſtunt, non attingunt; ita qui ſine Dei Spiritu Diuina intueri ſatagit, nihil prorſus videt. Theodoret. in cap. 2. 1. ad Cor. Animalem dixit, qui propriis cogitationibus contentus eſt, neque capit ſpiritualem doctrinam; ita etiam Athanaſ. lib. de Incarnat. Chriſti, eadem Pauli verba explanans. Itaque ſpiritus ſignificat lumen aliquod ſupra naturale, & ſpiritualis homo dicitur, qui non ducitur ratione tantùm naturali, quæ ferè tantùm ſenſibilia percipit, eo quòd ſit affixa ſenſui, ſed illuſtratur lumine, quod manifeſtat ea, quæ ſenſibilia omnia ſuperant. Hinc delirabant Valentiniani apud Iren. lib. 1. cap. 1. & Tertull. lib. adu. ipſos, cap. 17 ex Achamoth, quod nomen in interpretabile dixit Tertull. tria genera prodiiſſe, vnum materiale, quod ex paſſione, alterum animale, quod ex conuerſione, tertium ſpirituale, quod ex imaginatione eſſet; & cap. 25. & 29. inter quatuor hominum genera vnum conſtituit ψυχικὸν, ſed omiſſis his nugis, ex hac diſtinctione animæ & ſpiritus proximè allata capies, quid voluerit Iren. lib. 5. cap. 6. Animam & ſpiritum eſſe partes hominis, hominem autem perfectum eſſe *commixtionem & adunitionem animæ aſſumentis ſpiritum Patris, & admixtam ei carni, quæ eſt plaſmata ſecundùm imaginem* Dei. Non dicit verò Iren. carnem ita ad imaginem Dei factam fuiſſe, vt errorem Antropomorphytarum ſequatur, ſed per illam imaginem intelligit egregias animæ facultates, quibus tum ipſa, tum caro, cui admiſcetur, vti ipſe loquitur, diuinas perfectiones repræſentat, quas etiam Auguſt. lib. 1. de gen. cap. 16. & lib. 6. cap. 12. tum Dei ſimilitudinem, tum veſtigia nominat; hominem verò eſſe commixtionem & vnionem duarum ſubſtantiarum, aut naturarum Dixit quoque Iuſtin. lib. de Trinit. & Athenag. lib. de reſurrect. Tertullian. verò lib. de reſurrectio. carn. cap... *Vocabulum homo conſertarum duarum ſubſtantiarum quodammodo fibula eſt, ſub quo non poſſunt eſſe niſi cohærentes.* Homo igitur ex Irenæo hoc loco eſt admixtio & adunitio animæ cum carne, & in ea carne ſic animata eſt imago Dei: perfectus autem homo contingit, quoties anima prætereà vnitur Spiritui Dei, tunc enim fit homo ſpiritualis, *non ſecundùm defraudationem & interceptionem carnis, ſed ſecundùm participationem ſpiritus.* vnde ſubdit, *cùm autem ſpiritus hic commixtus animæ vnitur plaſmati propter effuſionem ſpiritus, ſpiritualis & perfectus homo factus eſt* Dei. *Si autem defuerit animæ ſpiritus, animalis eſt verè, qui eſt talis & carnalis derelictus imperfectus erit, imaginem quidem habens in plaſmate, ſimilitudinem verò non aſſumens per ſpiritum.* Huc refert Iren. quod Paulus dixit 1. ad Theſſ. 5. Devs *autem pacis ſanctificet vos perfectos, vt integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus ſine querela in aduentum Domini* Iesv Christi *ſeruetur.* Eòdem pertinere ait Iren. quæ de ſpiritu Dei inhabitante in nobis tanquam in templo ſæpiùs diſputat Paul. cap. deinde 7. Reſurrectionem corpoream eſſe duntaxat oſtendit, animæ enim ſunt immortales, quia ſunt flatus vitæ, atque adeò incorporales; quare cùm ſola caro ſoluatur, non anima, neque ſpiritus; nam anima, vt dixi, eſt flatus vitæ, ſpiritus autem eſt incompoſitus & ſimplex, qui reſolui non poteſt, & vita eorum, qui percipiunt illam, ſola quoque caro reſurget & viuifica-

tur; ſeminatur autem ex Paulo corpus animale, & reſurget ſpirituale, quia corpora animalia, id eſt, participantia animæ, quam cùm amiſerint, mortificantur, dum per ſpiritum viuificantem ſurgunt, fiunt ſpiritualia, vti per ſpiritum ſemper manentem habeant vitam; quia verò, vt exponere pergit cap. 8. *Nunc partem aliquam ſpiritus ſumimus ad perfectionem & preparationem incorruptelæ paulatim aſſueſcentes capere & portare* DEVM. Quod pignus hæreditaris dixit Apoſtolus, incipimus nouam vitam eámque immortalem ducere. *Sic ergo*, inquit, *pignus hoc habitans in nobis iam ſpirituales efficit, & abſorbetur mortale ab immortalitate; vos enim*, ait, *non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſiquidem ſpiritus* DEI *habitat in vobis. Hoc autem non ſecundùm iacturam carnis, ſed ſecundùm communionem ſpiritus fit, non enim erant ſine carne, quibus ſcribebat, ſed qui aſſumpſerant Spiritum* DEI, *in quo clamamus, Abba pater. Si igitur nunc pignus habentes clamamus, Abba pater, quid fiet, quando reſurgentes facie ad faciem videbimus eum? Si enim pignus complectens hominem in ſemetipſum iam facit dicere, Abba pater, quid faciet vniuerſa ſpiritus gratia, quæ hominibus dabitur à* DEO, *cùm ſimiles nos ei efficiet, & perficiet voluntatem Patris? efficiet enim hominem ſecundùm imaginem & ſimilitudinem* DEI. Vt verò tandem videas, quinam animales, ſiue carnales, ait eos qui habent pignus ſpiritus, neque carnis concupiſcentiis ſeruiunt, ſed ſeipſos ſubiiciunt ſpiritui, & rationabiliter in omnibus conuerſantur, vocari ſpirituales à Paulo, non quaſi ſint ſubſtantia incorporales, ſed quia *carnis & animæ adunitio adſumens Spiritum* DEI, *ſpiritualem hominem perficit.* Carnales autem dicit eos, qui abiecto ſpiritus conſilio carni indulgent, & effrænes in ſua deſideria feruntur, porcorum & canum more, qua etiam de cauſa equis & iumentis, atque animalibus immundis, de quibus præſcribit multa Moſes, aſſimilantur. addit denique. *Iuſtè igitur tales omnes, qui propter ſuam incredulitatem & luxuriam non adipiſcuntur diuinum Spiritum, & variis characteribus eiiciunt à ſe viuificans verbum, & in ſuis concupiſcentiis irrationabiliter ambulant, Apoſtolus quidem carnales & animales vocauit, Prophetæ autem iumenta & feras dixerunt: conſuetudo autem pecora & irrationabiles interpretata eſt, lex autem immundos enunciauit.* Baſil. lib. de Spiritu ſancto, cap. 29. eos, qui carnis concupiſcentiis reiecto ſpiritu adhęrent, carnales quoque dixit, laudato Irenæi teſtimonio. Denique Auguſt. ſerm. 11. de verbo Dom. cap. 18. carnales & animales eoſdem facit ex mente Pauli, & à ſpiritualibus, qui Diuina ſapiunt, diſtinguit; quare certum omninò eſſe debet, animam & ſpiritum, animale & ſpirituale ψυχικὸν & πνευματικὸν perpetuò apud veteres Patres diſtingui & opponi inter ſeſe, & quoties animale ſumitur in deteriorem partem, ſignificare id, quod ex prauis animæ cupiditatibus ſenſibus nimium adhęrentis committitur, quamuis nonnunquam ſumatur pro eo, quod non ſuſcipitur ex diuini Spiritus conſilio, ſed humanæ rationis & maximè ſenſuum cognitionem ſequentis, licèt fortaſſis non ſit turpe, aut contra rationem. quo etiam modo apud externos quoque eædem voces vſurpantur, anima nimirum pro parte ſenſitiua, & animus pro rationali, vnde ille, ſapimus animo, fruimur anima, & animum ſine anima debilem eſſe. ψυχὴ etiam quamuis ſignificet Græcis πνεῦμα, vnde ab Heſych.

Heſych. ſic vocatur volucre quoddam animalculum ζωύφιον πτηνὸν, & Scholiaſtes Nicandri dixit φάλαιναν animalculum, quod ſua ætate vocaretur ψυχὴ, eique ſimilem eſſe τὸν κρανοκολάπτην, qui circa lychnos noctu volitat;in propria tamen ſignificatione eſt anima, ſeu ſpiritus vitalis, quo viuimus quacunque vita viuamus, vnde & pro ipſa vita frequenter ab Homero vſurpatar,deinde in ſtrictiori quadam acceptione eſt ipſum λογικὸν; frequentiſſimè tamen pro ea parte, quæ paſſionibus obnoxia eſt, vſurpatur, vt infinitis exemplis docet author Græci theſauri.

Ex quibus omnibus tãdem colligo, animale peccatum eſſe illud, quod ab homine animali, & quatenus animalis eſt, perficitur; eſt verò, vti obſeruat S. Thom. lect. 3. in cap. 2. 1.ad Cor. Homo animalis dupliciter, primò eſt animalis ſenſu, quia tantùm ſecundùm apprehenſionem ſenſitiuam, aut rationalem philoſophicam, aut legis litteram, Diuina æſtimat. Secundò dicitur animalis ſecundùm appetitum ſenſitiuum, quia ea tantùm,quæ illi commoda, aut iucunda ſunt, appetit, qui homo carnalis etiam dicitur: omne igitur peccatum, quod ex illis ſenſus appetitiui cupiditatibus naſcitur, animale dictum fuiſſe exiſtimo, & à ſpirituali omninò diſtingui, quod ſecundo loco probandum ſuſceperam.

Eſt enim frequens apud PP. mentio peccati ſpiritualis & carnalis, quanquam hanc diſtinctionem reiecerint antiqui hæretici materiarij, & maximè Manichæi, volebant enim omnia peccata eſſe à carne, non autem ab anima, quam Dei delibatam particulam eſſe nugabantur, ſed inſulſiſſimè omninò, cùm Angeli, qui ſpirituales ſunt, peccarint ex 1. Petr. 1. & Paulus vtriuſque huius peccati,carnalis & ſpiritualis, memininerit 2. ad Cor.7. verſ. 5. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.* hanc enim vocem, ſpiritus, quamuis omittatur apud comm. falsò tributum Ambroſio, eſt enim reuerà Pelagij, legunt Chryſ. Theodor. Theoph. OEcumen. aliique omnes tum Græci, tum Latini; ſimile quid habemus cap. 2. Epheſ. *nos omnes*, inquit, *aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ,voluntatem carnis & cogitationum.* ita enim habetur in Græco διανοιῶν, & malè aliqui codices habent,*cogitationem*, quæ verba Hieronymi, Baſilius alijque ſtatim afferendi ad diſtinctionem peccati carnis & ſpiritus adducunt. Itaque aliqui apud Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 3. & Origen. lib. 3. Periarch. cap 4. peccata carnalia dicebant eſſe ab anima mortali, ſpiritualia ab anima immortali;duas enim in homine eiuſmodi animas fingebant, quarum vna à Deo crearetur, altera à parentibns per vim ſeminalem progigneretur, propter pugnam, quam homo in ſeipſo interdum experiretur:ex quo tamen hominis cum ſeipſo luctantis diſſidio ſapientiùs multo Aug. lib. de duabus animabus, cap. 13. vnitatatem animæ collegit; quare modus ille diſtinguendi peccata carnalia à ſpiritualibus,quem fuſiùs explicat & probat Origen. omninò reiiciendus eſt, neque etiam probari poteſt, quod vnus Pſeudo-Chryſ. author commentarij imperfecti in Matth. hom. 16. dicit ſpiritualia peccata eſſe ea, quæ myſtica quadam & figurata phraſi exprimuntur. Carnalia autem quæ propriis vocibus nominantur; ſic fornicario carnalis eſt meretricatio, idololatria verò eſt

fornicario ſpiritualis; quamuis enim non diffiteamur quaſdam ſpecies peccatorum ſumere aliorum nomina per quandam metaphoram; id tamen non ſufficit ad conſtituendam diſtinctionem vniuerſalem peccatorum carnalium & ſpiritualium, vti facit Scriptura. Quare Tertullian. lib. de pœnit. cap. 3. ſpirituale dixit illud, quod cogitatione & voluntate fit, carnale autem quod externo aliquo actu, ita vt vnum ſit peccatum cogitationis, alterum facti. *Exinde*, inquit, *ſpiritualia & corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur, aut cogitatur, vt corporale ſit, quod in facto eſt; quia factū vt corpus & videri & contingi habet; ſpirituale verò quod in animo eſt, quia ſpiritus neque videtur, neque tenetur.* Vnde cõludit facti & voluntatis delicta vitãda & purgãda eſſe, maximè cũ voluntas facti origo ſit. Eadẽ eſt Chryſ. mens in c. 7. 1. ad Cor. dũ inquinamẽtũ corporis dicit eſſe adulteriũ; inquinamentum verò ſpiritus eſſe cogitationes impuras, quę omnia quidem vera ſunt, cùm tamen carnale eo modo ſumptum includat ſemper & neceſſariò peccatum ſpirituale, quod eſt origo carnalis, non videbitur ſatis commoda diſtributio peccatorum in carnalia & ſpiritualia, quandoquidem membrum vnum illius diuiſionis ſemper includit oppoſitum, & peccatum externum eſt vnum idémque peccatum cum interno, vt etiam eodem loco vidit Tertullian. Itaque dicendum eſt peccata ſpiritualia eſſe ea, quæ ſine vllo corporis actu conſummantur; peccata verò carnalia, quæ ſine aliqua corporis actione impleri nequeunt: ſiue potiùs & ex communiori PP. mente, carnalia ſunt ea, quæ non modò externo actu perficiuntur, ſed etiam habent pro obiecto voluptatem ſenſus: ſpiritualia autem ſunt, vel ea, quæ interiùs conſummantur, vel habent pro materia voluptatem ſolo intellectu perceptibilem. hoc ſenſu Method. orat de reſurrectione relatus ab Epiphanio hær. 64. faſtum, incredulitatem, iracundiam & hypocriſim, dixit animæ & ſpiritus peccata, libidinis autem venereæ, & ciborum, peccata corporis. Baſil. interrog. 269. in reg. breuiorib. ait voluntatem carnis eſſe adulterium, immunditiam, & quæ recenſentur ad Galat. 5. ea enim vel ad carnis delitias tendunt, vel ab ipſis oriuntur: voluntatem autem cogitationum eſſe conſilia infidelitatis; quibus ſimilia prorſus dixit Hieronym. in cap 2. ad Epheſ. Aug. lib. de duabus anim. cap. 13. Caſſian. collat. 5. cap. 4. carnalia dicit quæ ad carnis votum & ſenſum faciunt, ſpiritualia quę à ſolo animæ inſtinctu, nihil conferente carne, cui etiam non modò non conſulitur, ſed incommodatur, vt in auaro ſubtrahente ſibi ipſi neceſſaria, conſtat; ſolam enim ſuam mentem ineptè paſcit. Damaſc. dialog. contra Manich. ex eadem gemina voluptate intelligibili & ſenſibili geminũ iſtud peccatum facit. Gregor. lib. 31. Moral. c. 17. ex ſeptem peccatis capitalibus, quæ enumerauit, quinque ſpiritualia eſſe dixit, duo verò carnalia, gulam nimirum, & luxuriam. S. Petrus Laodicen. in expoſitione Oration. Dominicæ alia peccata corporalia, alia ſpiritualia facit; in corporalibus numerat ventris ingluuiem & luxuriam, in ſpiritualibus inuidiam & odium proximi. Bernard. ſerm. in illud, Sapientia vincit malitiã, *Luxuria flagitium eſt*, inquit, *auaritia ſpiritualis nequitia.* Et denique S. Thom. 1. 2. quæſt. 51. art. 3. ad primum, q. 72. art. 2. hanc diſtinctionem peccati

carnalis

carnalis & ſpiritualis ex diuerſitate delectationis corporeæ, aut ſenſibilis ſequutus fuit, atque eius omnes interpretes. Neque dicas Paul. ad Galat. 5. inter opera carnis enumeraſſe veneficia, inimicitias & alia eiuſmodi, quæ non habent pro materia delectationem ſenſibilem, nā reſpondet ibidem S.Thom. ex Aug lib. 14. de ciuit. cap. 2 nomine carnis intelligi totum hominē, qui, inquit S. Thom. *dum ſecundùm ſe viuit, ſecundùm carnem viuere dicitur, quia omnis rationis humanæ defectus ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet.* quod quomodo fuerit intelligendum, fuſiùs explanat Aug.. lib. cit. cap. 3.

Exiſtimo itaque peccatum animale, quod oſtendi idem eſſe cum carnali, eſſe peccatum externum circa ſenſibiles, & corporeas voluptates; propter quod Clerici ceſſare iube bantur à Cleto. Neque dicas S. Thomā locis proximè citatis diſtinguere animales delectationes à corporalibus, nam animales ſumit pro iis, quæ ſola anima percipiuntur, non ſenſu, vnde & in ſolo homine eas reperiri cōtendit, non verò in brutis, cùm tamen veteres PP. vti monſtrauimus, ψυχικὸν opponant ſpiritui & πνδυματικῷ, atque ſumant pro parte ſenſitiua, in partem deteriorem illam vocem vſurpant.

Atque in hac ſignificatione ſumi peccatum animale à PP. Nicænis, ex eo mihi perſuadeo, quia propter peccatum fornicationis, periurij, aut furti deponebatur, non tamen ſegregabatur, id eſt, non excommunicabatur Clericus ex can. 25. Apoſtolor. vidéturque PP. Nicæni hūc canonem innouare voluiſſe, certumque eſt perpetuò Clericos intemperantes caſtigaſſe; ſi quis igitur peccatum aliquod animale, & carnale commiſiſſe conuictus fuerit, meriò iubetur à Cleto ceſſare aliquamdiu, quibus tamen verbis non infligi irregularitatem conſtat ex dictis.

Propositio III.

De irregularitate ex infamia contracta abſque proprio peccato.

INfamia facti ex alieno peccato contracta, nunquam facit irregularem abſque ſpeciali iure, quod tamen poteſt illa aſpergere non peccantem, ſed ea erit infamia iuris, ex qua ſequetur irregularitas.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

HÆc propoſitio perſpicua manet ex hactenus dictis, & quidem quod attinet ad infamiam facti, illa contrahi non poteſt ex alieno peccato in ordine ad inhabilitates & impedimenta circa legitimos actus, vel dignitates, quandoquidem ex natura rei obiectum infamiæ eſt tantùm proprium peccatum, & praui mores, qui ſoli faciunt, vt praua opinio de eorum authore concipiatur. Quare ſi quando ad alios quoque, qui illud delictum non commiſerunt, extendatur propter aliquam habitudinem & coniunctionem, id fiet tantùm ex vulgi opinione, erítque ſæpiùs arbitraria tota illa extenſio; quare niſi accedat peculiaris aliqua lex, nunquam eiuſmodi infamia popularis ex alieno peccato perſonæ ſit i coniunctæ aſperſa reddet inhabilem & impeditum ad publica Reipublicæ munera & dignitates; quod etiam confirmatur ex eo, quòd eiuſmodi inhabilitas, quamuis non habeat rationem pœnæ in illo, quem afficit, quoties ſua culpa cauſā familli non dedit, affert tamen ingens nocumentum, quod abſ que le-

ge expreſſa minimè imponere debemus, ſeruandaque eſt regula generalis de odiis reſtringendis; ex quibus ſequitur ex eiuſmodi infamia non naſci irregularitatem, ſiue inhabilitatem ad Ordines, ſicut neque ex illa ſequuntur aliæ inhabilitates & impedimenta ad actus legitimos & dignitates.

Dixi tamen ius poſſe notare infamia quaſdam perſonas abſque proprio delicto, quæ infamia non erit pœna ipſis impoſita, ſed potiùs delinquentibus, qui in perſonis ſibi coniunctis plectuntur: aut ſi nullum peccatum neque proprium, neque alienum ſupponat, nullam omninò rationem pœnæ habebit, ſed notæ cuiuſdam ac maculæ, ſeu indignitatis, vel inhabilitatis, vel potiùs defectus conditionum, quas requirit reſpublica ad quoſdam actus, aut quædam munia exercenda, exemplum habemus in vtroque jure. nam cap. fœlicis, de pœnis in 6. filij eorum, qui iniecerunt violentas manus in Cardinales, pronuntiantur infames. Filij quoque proditorum & reorum læſæ Maieſtatis infames dicuntur. l. quiſquis, §. filiis, C. ad l. Iuliam Maieſtatis; ob grauitatem enim criminis parentes puniuntur in ſuis liberis, quamuis innocentibus.

Deinde aliquando contrahitur infamia ſine vllo peccato proprio, aut alieno, vt propter vilis alicuius artis exercitium, aut matrimonium cum meretrice, aut ſcenica; ex qua tamen infamia nulla contrahitur irregularitas, niſi peculiari iure ſit expreſſa, ſed fortaſſis aliqua prohibitio ordinandi viles eiuſmodi perſonas, quamdiu eas artes exercent.

Consectarium I.

An infamia iuris & irregularitas eam conſequens contrahatur ex peccato occulto?

8 QVæstio duntaxat eſt de eo crimine, cui ipſo iure fuit annexa infamia, non expectata iudicis ſententia: illud igitur quamuis minimè publicum, aut famoſum ſit, reddere tamen irregularem ſtatim atque commiſſum eſt, exiſtimant Anton. 3. p. tit. 29. cap. 6. §. 7. Sylu. verb. irregular. q. 14. Suar. diſp 48. ſect. 1. n. 17. Gordon. lib. 7. q. 18. n. 122. Hurtad. diſp. 2. de irregular. n. 13. Cùm igitur iſte ſit irregularis, quamuis occultus, abſtinere debebit ab Ordinibus tum ſuſcipiendis, tum exercendis, niſi aut lex quæ impoſuit infamiam contrahendam, ipſo facto voluerit illud crimen eſſe publicum, vti dicebamus de hæreſi, aut ſit periculum ſe infamandi; quamdiu enim crimen occultum manet, atque infamia ex illo contracta latet, reus retinet actualem poſſeſſionem famæ ſuæ, qua nequit ſine iniuria ſpoliari, neque tenetur eam abiicere, antequam per notitiam ſui criminis illã amittat, quamuis nullum amplius dominium in illam retineat, ſed ita illud ligatum & impeditum habeat, vt eo vti nomine poſſit ad obtinendum aliquod officium, dignitatem, aut beneficium, vel ad exercendum aliquem actum hominibus bonæ & integræ famæ conceſſum, aut ſi quidpiam eiuſmodi obtineat, eo tempore ſtatim poſt ſententiam declaratoriam criminis illo priuabitur, ea omni ratione, qua priuari poterit, & ſententia retrotrahetur ad diem commiſſi

miſſi criminis, vt videmus in iis, quorum bona ipſo facto & iure ſunt addicta fiſco, nam ſtatim atque crimen, cui eſt inflicta illa bonorum confiſcatio, commiſſum fuit, priuantur ipſorum dominio, non tamen poſſeſſione ante ſententiam declaratoriam, quæ retrotrahitur ad diem commiſſi primùm ſceleris. In hac igitur infamia iuris duo quædam diſtingui poſſunt, nimirum ipſa actualis amiſſio famæ per malam opinionem, quam plures habent de aliquo; cùm enim fama conſiſtat in opinione & notitia publica, ipſi oppoſita infamia in ſimili notitia publica conſtituenda erit; alterum eſt ipſa moralitas, ſeu legalitas infamię, vti nominant aliqui, hoc eſt, efficacitas producendi aliquos effectus legales, qui ſunt ferè inhabilitates ad quædam officia, aut actus legitimos, quæ ex infamia legali conſequuntur: hanc autem efficacitatem habet ipſa infamia, vt dixi, etiamſi crimen, propter quod contrahitur, maneat adhuc occultum; itaque ſi quis tunc ſuſcipiat Ordines, peccat omninò violando irregularitatem, & eius deinde ordinatio irritabitur, non quantum ad ſubſtantiam, id enim fieri nequit, ſed quantum ad vſum & exercitium, vti ſæpiùs diximus. Ratio horum omnium eſt, quia lex quæ imponit infamiam iuris ipſo facto, inutilis eſſet & nugatoria, niſi ſtatim poſt factum commiſſum, pœna quam imponit, incurreretur, etſi ſententia iudicis, aut alio quopiam opus foret, quod ex natura eiuſmodi legum pœnalium conſtat; infamiam verò poſſe illi ratione imponi certum eſt, tum ex ipſo vſu & pluribus legibus, quæ illam ita infligunt, tum ex natura huius pœnæ, quæ ieſt priuatiua, & non indiget actione vlla quæ infligetur: vnde etiam confirmatur hæc doctrina, omnes enim leges, quæ imponunt pœnam priuatiuam ipſo facto contrahendam, trahunt ſecum ſuam exequutionem, neque vllo alterius miniſterio indigent, vt exequutioni mandentur, quod etiam lib. ſuperiori in cenſuris oſtendebamus.

Alij nihilominus negant contrahi 9 infamiam, & quod inde ſequitur, irregularitatem ex crimine occulto. Ita gloſſa in cap. inquiſitionis, de accuſationib. verb. Homicidium. Vbi ait in nullo occulto crimine, præterquam in homicidio, impediri exequutionem Ordinis peracta pœnitentia. Panormit. in cap. ex tenore, de tempor. ordinan. ait enim delicta etiam enormia quamdiu ſunt occulta, non inducere regulariter ſuſpenſionem & ſtrictam irregularitatem, quin, vbi per pœnitentiam eraſa fuerint, poſſit eorum author promoueri ad Ordines, aut ſuſceptores exequi. Alphonſ. à Caſtro lib. 2. de lege pœn. cap. vlt. Neque abnuit Couarr. lib. 3. reſolut. cap. 3. n. 2. Nau. cap. 27. n. 248. Auila 7. p. diſp. 4. dub. 7. con. 1. Henriq. lib. 14. cap 5. n. 2. quanquam fatear pleroſque ex his authoribus loqui tantùm de crimine enormi occulto: non ſatis autem explicant, an illi crimini fuerit annexa infamia ipſo facto à lege, qua de re eſt controuerſia noſtri conſectarij. Itaque clariùs in rem noſtram loquuntur Diana 4. p. tract. 2. reſolut. 93. qui allegat Tanner. tom. 4. diſp. 6. q 10. dub. 11 n. 227. Kon. diſp. 18. n. 56. Et qui dicunt hæreticum, etiamſi ſit ipſo iure infamis, tamen quamdiu eius crimen occultum eſt, non incurrere infamiam, ita Simanc. tit. 9. catholic. inſtitut. n. 205. Azor 7. p. lib. 8. cap. 13. poſt q. 8. in 7. pœna hæreticorũ, & Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 26. n. 1. qui tamen omnes volũt hæreticum occultum

cum eſſe irregularem, quia exiſtimant irregularitatem eſſe annexam hæreſi ratione ſui, & non ratione infamiæ, quod quæſt. ſuperiori reiecimus.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia infamia in ſua definitione inuoluit notitiam publicam; quare implicare videtur contradictionem, aliquem ſuo crimine fieri infamem, ſi crimen illud maneat occultum: quando igitur ius facit aliquem infamem ipſo facto, de facto publico intelligendum erit, ita vt neque iudicis ſententia, neque confeſſio iuridica Rei, aut alia quæpiam notitia iudiciali neceſſaria ſit ad hanc infamiam, ſed ſola criminis commiſſi notorietas, aut notitia maioris partis viciniæ; neque enim modò diſputo ſigillatim quid requiratur, vt crimen dicatur publicum & notorium, ſiue non notorium.

10 Placet mihi diſtinctio Layman lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 4. ea enim probè conciliat Doctorum diſſidia, nimirum ipſa commiſſione criminis, cui ipſo iure fuit annexa infamia, eandem infamiam contrahi radicaliter, ſeu fundamentaliter, ita vt accedente deinde eiuſdem criminis publicatione ſiue intra, ſiue extra iudicium fiat, compleatur tota illa infamia veluti formaliter, & iam ſuos omnes effectus legales ſortiatur, atque, quod inde neceſſariò ſequitur, incurratur irregularitas, & fortaſſis prima ſententia nihil aliud voluit, ſaltem nihil aliud probat, quàm non eſſe opus vlla ſententia, aut actu iudicis imponentis infamiam, quam lex ipſa impoſuit, & ipſo facto incurri voluit; quod non negat poſterior opinio, ſed tantùm completam eſſe huiuſmodi infamiam ante publicam criminis notitiam, & proinde nondum habere legales ſuos effectus, neque producere vllam inhabilitatem, irregularitatem & impedimentum. Eos autem, qui cum Azor. Sanchez & aliis citatis negant ab hæretico notorio contrahi infamiam iuris ante ſententiam declaratoriam, reiicio, quia ſufficit quæcunque notitia publica, & quomodocunque fuerit comparata, quando infamia fuit impoſita ipſo iure alicui crimini.

Consectarium II.

An fautores, receptatores & defenſores hæreticorum ſint infames, & irregulares?

Hæc controuerſia ex iis, quæ hac & ſuperiori quæſtione definita ſunt, ſoluenda eſt; obſerua verò non diſputari, niſi de illis, qui fauent hæreſi formaliter; hoc eſt, vt hæreſis eſt, & illius tuandæ, aut propagandæ gratia, non verò qui fauent hæretico ſpecificatiuè tantùm, & materialiter, vt loquuntur accepto, nimirum propter alias rationes, quàm ipſiuſmet hæreſeos, vt ex alibi dictis ſuppono. 11

Secundò, aduertendum eſt eiuſdem criminis participes ratione fauoris, aut auxilij præſtiti, non puniri eadem pœna ordinaria cum ipſiſmet reis, & maximè non implicari iiſdem cenſuris & inhabilitatibus, niſi quatenus id ſpecialiter exprimitur in iure, quod certiſſimum eſt, quando cenſuræ, pœnæ, aut inhabilitates ipſo iure ſunt contrahendæ, vti lib. ſuperiori fusè fuit demonſtratum.

Aduerte tertiò, irregularitatem propter crimen fautoriæ non aliunde colligi poſſe, quàm vel ex ſpeciali aliquo iure, quo expreſsè feratur, vel ex iure vniuerſali pœnas hæreticorum ad ipſorum fautores extendente. His obſeruatis,

Reſpondeo

Reſpondeo & dico primò, fautores, defenſores & receptatores hæreticorum, quamdiu ipſorum crimen occultum eſt, non fieri irregulares. ita Henriq. lib.14. cap.4. num. 6. Sà verb. Irregularitas ex defectu animæ, contra Suar. diſp. 43. ſect.2. num.5. Sanch. lib.2. in Decalog cap.25. n.7. & alios ab ipſo relatos. Ratio mihi perſpicua videtur, nullo enim ſpeciali & expreſſo iure fertur iſta irregularitas, ſed tantùm colligitur à DD. ex eo quòd cap.2. de hæreticis in 6. §. hæretici. pœnæ hæreticorum extendantur ad eorum fautores & defenſores, & idcircò docent Suar. & alij paſſim, omnia quæ de irregularitate hæreticorum ſtatuuntur, locum habere in ipſorum fautoribus; atqui hæretici quandiu occulti ſunt, non fiunt irregulares, cùm hæreſi non ſit annexa irregularitas per ſe, ſed tantùm ratione infamiæ, qua ius illam notauit, vti quæſt. ſuperiori oſtendimus; ergo neque crimini fautoriæ annexa erit per ſe irregularitas, ſed quia ius eâdem infamia notauit iſtos fautores, qua ipſa hæreticos.

Dico ſecundò. Fautores hæreticorum etiam publicos non eſſe irregulares ante ſententiam, qua propter fautoriæ crimen declarentur infames, quod omninò voluerunt Henriq. & Sa citati, & Petrus Cornero in 3 part. D. Thom. tract. de irregular. diſp. 8. dub. vnic. quæſt. 8. relatus à Diana part.4. tract.2. reſolut.44. neque abeſt Turrian. dum ait apertè in iure non haberi, contra Auilam 7. p. diſput.4. dub.2. concl.1 Villalob. 1. tom. tr. 21. diffic.15. n. 6. Suar. & Sanch. Ioan. de la Cruz 2. part. Directorij, dub.4. de irregul. concl. 2. Præpoſit. quæſt.5. de irregular. num.44. Kon. diſp. 18. num. 51. Tolet. lib.1. cap.69. num. 2. Valent. tom. 4. diſp.7. q.19. punct.3. Sanctarell. cap.25. de hæreſi, dub.1. num.4. & alios communiter. Probatur verò noſtra ſententia, quia nullo iure oſtendi poteſt hæc irregularitas; duo enim duntaxat loca afferunt aduerſarij, quæ nihil planè efficiunt. Primum eſt c. 2. de hæretic. in 6. §. hæretici. vbi Alexand. IV. hos receptatores & defenſores hæreticorum ab omni beneficio & officio publico reiicit. Secundum, cap. ſtatutum 2. eod. tit. & lib. vbi Bonifac. VIII. Alexandri conſtitutionem confirmat; cum aliqua tamen limitatione quoad filios hæreticorum, & fautorum ipſorum, vti dicemus conſectario ſequenti; ſed iam quæſt. ſuperiori oſtendimus in his duobus decretis nullam fieri mentionem irregularitatis, & nomine inhabilitatis ad officia publica non intelligi irregularitatem, ſicut neque nomine officij publici ſignificatur eo loco ſacer Ordo, vti manifeſtum fecimus. Nihil igitur habent aduerſarij, vnde probent hanc irregularitatem.

Obiicies primò, omnes pœnas hæreticorum extendi ad ipſorum fautores & defenſores. Reſpondeo nullibi haberi eam vniuerſalem propoſitionem, & ſi alicubi reperiatur, intelligendam eſſe de pœnis imponendis, non verò de iis, quæ ipſo iure infliguntur, ad eas enim requiritur ius expreſſum, vt patet, neque aliter ad ſocios criminis extenduntur, vti lib. ſuperiori diximus: quod confirmatur, quia quando aliquæ pœnæ hæreticorum ad eorum fautores pertinent, id fuit expreſſum, vt conſtat in illa inhabilitate ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, de qua agitur ab Alexandr. IV. & Bonifac. VIII. in capitib. citat. & de priuatione Eccleſiaſticę ſepulturę ſtatuit idem Alexand. illo c.2. de hæretic.

in 6. de pœna quoque excommunicationis expreſſit Innoc. III. in Concil. Lateran. cap. 3.

Obiicies ſecundò, hos defenſores, fautores & receptatores eſſe ipſo iure infames, cùm non admittantur ad officia publica, & quia idem ſtatuitur ab Innoc. III. loc. cit. & refertur cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæreticis. Reſpondeo non eſſe infames iſtos, niſi vbi per annum excommunicarionem paſſi fuerint, & ſatisfacere contempſerint, vti definitur ab Innoc. atque vt non diſputem, an vi illius textus incurratur excommunicatio ipſo facto, certum eſt non contrahi infamiam iuris, niſi poſt inſordeſcentiam annuam in ea excommunicatione, & contemptum ſatisfaciendi: itaque ante illud tempus non ſunt infames, & ad omnia officia publica, atque teſtimonium ferendum & condendum teſtamentum habiles ſunt, atque adeò ex regula aduerſariorum, qui nomine publici officij comprehendunt Ordinum miniſteria, ad illa admitti poterunt, ſi tantùm habeatur ratio irregularitatis & infamiæ, nam excommunicatio cùm impediat à ſuſceptione & adminiſtratione cuiuſcunque Sacramenti, prohibebit etiam à ſuſcipiendis Ordinibus, atque ab eorum miniſteriis, alio tamen modo, quàm prohibeat irregularitas, vti conſtat ex hoc & ſuper. libro; Clerici etiam qui hoc crimen fautoriæ, atque eius excommunicationem incurrerint, ab omni officio & beneficio Eccleſiaſtico deponentur, ſed non niſi poſt annuam illam inſordeſcentiam; ergo interea non erit irregularis ex quadam alia regula aduerſariorum, qui volunt crimen omne dignum depoſitione facere irregularem; quandiu igitur non erit dignum depoſitione, non affert irregularitatem, niſi alibi ſtatuta ſit, quanquam depoſitio à beneficio & officio Eccleſiaſtico, cuius ibi meminit Innoc. non eſt degradatio, & abiectio à Clero.

Deinde hæc infamia non contrahitur, niſi fuerit contemptus in exhibenda ſatisfactione; quare ſi vel impotentia obtinendi abſolutionem ab excommunicatione, vel negligentia tantùm fuerit ſecluſo contemptu, reuerà non contrahitur infamia, debebitque conſtare etiam iuridicè, aut ſaltem publicè de hoc contemptu. Quare irregularitas, quæ deinde orietur ex infamia, non erit propter fautoriæ crimen, ſed propter contemptum clauium, & contumaciam non ſatisfaciendi poſt contractam excommunicationem, latam quidem propter fauorem hæreſi præſtitum. Ex quibus vides nihil omninò colligi ad probandam irregularitatem tanquam annexam per ſe crimini fautoriæ.

Consectarium III.

An filij hæreticorum, eorúmque fautorum, ſint irregulares?

Affirmant Suar. diſp. 43. ſect. 3. num. 1. Auila diſp. 4. dub. 7. p. 7. Turrian. lib. 9. de cenſuris diſput. 62. dub 2. Sanch. lib. 2. in Decalog. c. 28. num. 7. plures alios allegans. Bonac. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 7. num 9. qui tamen omnes volunt tantùm extendi vſque ad filios hæreticorum ea linea materna; ex linea verò paterna etiam ad nepotes, ſiue ad ſecundam generationem conſentaneè conſtitutioni Bonifacij VIII. cap. ſtatutum 2. de hæreticis in 6. 11

Reſpondeo

Reſpondeo nihilominus nullam irregularitatem incurri à liberis hæreticorum & fautorum ipſorum, ita Sayr. lib. 6. cap. 10. n.40. Probatur, quia neque vllibi ipſis ea irregularitas imponitur, neque etiam ratione infamiæ, quam trahunt, ex ſua origine colligi poteſt. Non primum, quia cap. 2. de hæreticis in 6. §. hæretici, quod inhabiles facit hos hæreticorum filios ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, non loquitur de Ordinibus, vti ſæpiùs monuimus, & in hoc ipſo negotio dixit Hurtad diſp. 2. diffic. 3. atque alij apud Sayr. loc. cit. Non etiam colligitur iſta irregularitas ex infamia iuris, qua aſperguntur hi liberi ex crimine paterno; quamuis enim eiuſmodi infamiam agnoſcant Conarr. lib. 1. variar. cap. 8. num. 1. Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticor. punit. cap. 9. vbi multa circa æquitatem legis hanc infamiæ pœnam ad prolem extendentis diſputat. Anton. Gomez ad lib. 40. Tauri, num. 91. §. tertiò principaliter. Simanc. tit. 9. num. 268. & tit. 29. num. 14. Molin. tract. 2. de iuſtitia. diſp. 158. num. vlt. Henriq. lib. 14. cap. 5. num. 4. & alij plures. Eam tamen reiiciunt Suar. diſput. 48. ſect. 3. n. 2. Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 28. num 5. Menoch. conſil. 808. num 44. & 45. quia nullo certo iure, aut ratione neceſſaria deducitur. Nam primò quòd in cap. 2. de hæreticis in 6. arceantur à dignitatibus, beneficiis Eccleſiaſticis, & officiis publicis, id non fit, quia ſunt infames, nihil enim ea de re ibi dicit Pontifex, neque in cap. ſtatutum 2. eod. tit. & lib. vbi illa ipſa conſtitutio explicatur & limitatur, neque omnis inhabilitas ad beneficia & officia publica ſupponit infamiam, ex qua oriatur, neque illam ipſam cauſat, alioquin redderet iſtos inhabiles, & ferendo teſtimonio idoneos eos, quos afficeret, alióſque haberet effectus, quos nullus tribuerit iſtis filiis hæreticorum, aut receptatorum fautorúmque & defenſorum ipſorum; deinde, quia qui ſunt inhabiles ad beneficia, aut officia, non dicuntur infames, niſi hanc inhabilitatem trahant ex proprio delicto, cui fuerit impoſita eiuſmodi infamia, non autem quoties illa oritur ex alieno delicto, quamuis infami. Adde pleroſque ex aduerſariis idcircò ex eo textu probare infamiam filiorum hæreticorum, quia exiſtimant in illo textu illos fieri irregulares; omnis autem irregularitas facit irregularem infamem. cap. omnes. 6. quæſt. 1. ſed iam negauimus hanc irregularitatem, quæ eſſet potius effectus infamiæ, quàm eius cauſa, falſúmque eſt omnem irregularitatem creare infamiam, id enim diſertè Pontifex aſſerit tantùm de illa, quæ ex propriis culpis contingit, qualis non foret iſta irregularitas, ſi aliquam admitteremus.

Secundò argumentantur aduerſarij ex filiis reorum læſæ maieſtatis humanæ, quos infames eſſe voluit l. quiſquis, §. filij. verò. C. ad l. Iuliam maieſtatis. Simili enim argumentandi ratione vtitur Innoc. III. cap. vergentis, de hæretic. vt probet iure merito bona hæreticorum, qui diuinæ maieſtatis læſæ rei ſunt, publicari, quandoquidem ſimili pœna afficiuntur, qui humanam maieſtatem violarunt.

Reſpondetur. Hoc argumentum ductum à crimine læſæ maieſtatis humanæ ad hæreſim, nihil aliud probare, quàm eaſdem pœnas decerni aduerſùs hæreſim poſſe, quas aduerſùs crimen multo leuius maieſtatis humanæ læſæ ſanctiſſimi Legiſlatores ſtatuerunt: neque aliud dicit Innoc. cap. cit. Inde tamen non ſequitur

tur, omnes pœnas, quæ reipſa aduersùs crimen maieſtatis humanæ ſancitæ ſunt, aduersùs hæreſim ſancitas etiam fuiſſe, niſi in iure expreſſæ fuerint; neque licita eſt iſta extenſio in pœnis ipſo iure latis ex ſola rationis ſimilitudine, vti aduertit Bartholom. Socin. conſ. 275. n. 11. legem Quiſquis. §. filij. C. ad legem Iuliam maieſtatis, explanans, & Ioan. Andr. atque Baldum adducens; quod etiam obſeruauit Gigas tract. de crimine læſæ maieſtat. lib. 3. tit. 1. q. 17. & Molin. tract. 2. diſp. 658. num. 10. Quamuis igitur filij reorum violatæ maieſtatis humanæ ſint infames ipſo iure, non tamen eandem incurrunt filij hæreticorum, cùm nullibi ea infamia ipſis imponatur à iure, quamuis imponi potuerit; quod vnum probat ſimilitudo & comparatio duorum iſtorum criminum. Confirmatur, quia, vt argumentatur Suar. diſp. 48. ſect. 3. num. 2. hi hæreticorum filij etiamſi beneficati, aut Clerici forent, redderentur tamen ex hæreſi parentum ad ea beneficia inhabiles, neque enim aut beneficium, aut ſtatus Clericalis facit aliquem incapacem infamiæ, quando eius cauſa ponitur, priuandi itaque forēt beneficiis, vſu Ordinis & officij publici, iure eligendi, teſtificandi, & aliis eiuſmodi, quibus priuantur infames infamia iuris, id tamen nolunt Aduerſarij.

Denique certum eſt, in locis hæreſi infectis, in quibus Catholici permixti viuunt hæreticis, quibus etiam portæ dignitatum patent in Republica, filios ipſorum, qui paternam hæreſim deſeruerunt, non eſſe infames, neque proinde ratione infamiæ irregulares, quod monet Tanner. in 3. part. diſp. 6. quæſt. 10. dub. 10. num. 201. Kon. diſp. 18. num. 51. Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 4. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. ſub fin.

Hinc ſequitur fruſtrà quæri, an filij nati ante hæreſim paternam; an poſt illam ſint irregulares, an ſi eorum parentes fuerint reconciliati, & nihilominus combuſti, cùm enim iam docuerimus hos filios non eſſe irregulares ex crimine illo paterno, ceſſant hæ omnes qq. quas tamen alibi quoad alias pœnas commodiùs ex principiis generalibus deducemus.

Consectarium IV.

An ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares?

HÆc ſuſpicio duplici ex capite oriri poteſt. Primò ex crimine quod includit aliquam cooperationem ad hæreſim, cuiuſmodi eſt receptatio, defenſio & fautoria. Secundò ex alio quopiam crimine non includente talem operationem, quæ ſuſpicio vel eſt iuris, vel facti; iuris quidem, quia ius diſponit, vt qui tale quid commiſerint ſuſpecti habeantur de hæreſi vt qui annum inſorduerit in excommunicatione. Suſpicio autem facti eſt, quando factum tale eſt, vt abſque vlla iuris diſpoſitione poſſit prudentibus ingenerare ſuſpicionem occultæ hæreſis, quale eſt pactum cum Dæmone ad habendum aliquod ab ipſo reſponſum, aut quidpiam aliud obtinendum. 15

Reſpondeo, ſuſpectos de hæreſi quocunque modo, non incurrere irregularitatem, niſi ratione alicuius infamiæ, quæ erit tantùm facti, & ea ſublata nulla erit ampliùs opus diſpenſatione.

Et quidem quoad ſuſpicionem ortam

tam ex crimine fauendi hæreticis, aut alia ad hæreſim cooperatione, diſcedimus à Suar. diſp. 43. ſect. 2. n. 8. Sanctarell. lib. de hæreſi cap. 25. dub. 1. n. 9. Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 25. num. 10. & aliis, qui dixerant hos fautores & defenſores hæreticorum eſſe irregulares, vnde aliqui geminam ibi agnouere irregularitatem, vnam ratione fautoriæ, alteram ratione infamiæ; cùm tamen vnica omninò fuerit admittenda, vt in homicida notorio; neque enim eſt quis irregularis, quia eſt homicida, & quia eſt notorius, ac proinde infamis: cùm verò nos nullam irregularitatem huic crimini cooperationis & fautoriæ impoſitam eſſe dixerimus, neque etiam ſuſpicioni, quæ ex tali crimine orta fuerit, debemus illam ſine vllo textu tribuere.

Quod verò attinet ad ſuſpicionem ex quocunque alio crimine natam, non generari ex illa irregularitatem, niſi ratione alicuius indecentiæ, & infamiæ, vbi crimen fuerit notorium, & quæ abſterſa infamia ſtatim ceſſet, concedunt Suar. Sanch. Sanctarell. Filliuc. Villalob. & alij apud ipſos, & Dianam tract. 2. 4. part. reſol. 48. quia nullibi hæc irregularitas exprimitur contra Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 17.

Ex quibus multò magis ſequitur nõ eſſe irregulares, qui de hæreſi ſuſpecti abiurare coguntur de vehementi, quod tradunt communiter Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 12. & alij relati à Diana tract. cit. reſolut. 47. & Garc. part. 11. de benefic. cap. 10. num. 88. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæſ. 1. quia irregularitas decreta eſt hæreticis, non autem hæreſim abiurantibus.

Consectarium V.

An fictè apoſtatans à fide, fiat irregularis?

Reſpondeo, Apoſtaſiam fictam, ſi notoria ſit, facere irregularem; 14
ſi verò non fuerit notoria, ſed occulta, non inuehet irregularitatem. hanc diſtinctionem docet Azor. 1. part. lib. 8. cap. 11. q vlt. & cap. 21. q. 8. & Filliuc. tract. 20. cap. 9. num 230. & probabilem putat Bonac. diſp. 7. q. 3. punct. 7. n. 2. & Dian. tract. 2. 4. part. reſolut. 49. contra Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 25. num. 6. Suar. diſp. 43. ſect. 2. num. 2. Maiol. lib. 5. cap. 34. num. 2. Sanctarell. dub. 1. cit. num. 4. viderúrque mihi ex hactenus diſputatis ſequi neceſſariò noſtra diſtinctio; apoſtaſia enim à fide, etiamſi vera fuerit, non habet ex ſe annexam irregularitatem, niſi ratione infamiæ, vti q. ſuper. probamus, & quandiu occulta eſt, non facit irregularem, vti ibidem diximus; ergo neque Apoſtaſia ficta occulta faciet irregularem, non enim efficacior eſſe poteſt, neque puniri maiori pœna, quàm apoſtaſia vera. Apoſtaſia porrò quando notoria eſt, cùm faciat infamem infamia iuris, quæ non poſtulat ſententiam iudicis, ſed ipſo facto incurritur, facit quoque irregularem; quam conſequentiam hactenus oſtẽdimus in hac quæſtione. Ergo & apoſtaſia ficta, vbi notoria fuerit, faciet irregularem, quia facit æquè infamem atque apoſtaſia vera, atqui irregularitas naſcitur ex illa infamia.

Dices, hanc infamiæ pœnam non infligi, niſi hæreſi, aut apoſtaſiæ

completæ, qualis non eſt ea, quæ eſt tantùm externa & ficta, vnde negauimus excommunicationem incurri ab hæretico tantùm externo.

Reſpondeo, hanc infamiam imponi externæ illi negationi fidei, quia illa ſola ſcandalum & offenſionem parit atque æquè infamat, ac ſi fuiſſet coniuncta cum interna; & ſanè Conc. Ancyran. quod cap 1. & 2. ſtatuit, ne Clerici, qui immolauerunt, ad ſacrum miniſterium accedant, loquitur æquè de externa tantùm immolatione, atque de ea, quæ ex animo facta fuit: ex eo tamen canone non video, quàm aptè Sanch. deducat hanc irregularitatem. Denique ſi quid hac in parte quoad infamiam iuris contrahendam intereſſet inter fictam & veram apoſtaſiam, peteretur ex eo quòd apoſtaſia vera, vbi notoria foret, faceret infamem abſque vlla ſententia iudicis, non vero apoſtaſia ficta, cùm pœnæ quæ incurruntur, ipſo iure ſupponant peccata completa in ſuo genere, qualis non eſt apoſtaſia tantùm ficta.

Consectarium VI.

An crimen enorme, & depoſitione dignum, vbi notorium eſt, faciat irregularem?

15 Qvæstio non eſt de crimine, cui ipſo iure annexa eſt infamia, de illo enim diximus conſect. 1. ſed de eo crimine, quod natum eſt, generare infamiam, non modò facti & popularem, ſed etiam iuris, cùm iudex illius reum infamiæ damnare poſſit. Deinde agimus tantùm de crimine notorio, iam enim certum nobis eſt, nullum crimen occultum, etiamſi habeat coniunctam infamiam, ipſo iure & facto incurrendam, illam completè cauſare, donec publicum fiat, ac proinde ante notorietatem non reddere irregularem, quod verius multò erit in crimine, quod nullam eiuſmodi infamiam ab ipſo iure impoſitam habet. debet igitur eſſe notorium; appellant porrò notorium, quod vel per ſententiam iudicis, quæ tranſiit in rem iudicatam, innotuit, vel per confeſſionem Rei in iudicio, vel quando factum adeò omnibus manifeſtum fuit, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, quæ poſtrema notorietas eſt notorietatem facti, alij duo modi faciunt notorietatem iuris; econtrario verò illud dicitur occultum, quod neque per ſententiam, neque per confeſſionem Rei in iudicio, neque per euidentiam facti inuoluit, etiamſi reuerà probari per teſtes aliiſque argumentis poſſit, immò & rumor, aut fama publica de illo ſit, quæ omnia fuſiùs ex variis textibus & gloſſis docent Vgolin. cap. 43. de irregulat. §. 1. & Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 5. nóſque alibi dicemus. Denique enormia peccata nominant, non tantùm quæ mortalia ſunt, aut etiam digna capitis ſupplicio, ſed quæ vulgo reddunt hominem infamem ob inſignem quandam turpitudinem, quia non modò cum lege humana pugnant, ſed cũ diuina & naturali, & maximè certos quoſdã ſtatus dedecẽt. His poſitis,

Reſpondeo, hæc crimina tum enormia, tum depoſitione digna, quamuis notoria ſint, non facere irregularem ſuum authorem, opuſque eſſe ſententia condemnatoria criminis depoſitionem, aut infamiam imponente. Ita Couarr. in Clem. ſi furioſus 1. p. §. 1. n. 5. Gatc. 11. p. cap. 3. n. 145. qui n. 117. allegat Vegam in ſpecul. curato. cap. 12. n. 303. & n. 119. addit hanc ſententiam eſſe conformiorem praxi

&

& conſuetudini, quam omninò docere mihi videtur Suar. diſp. 43. ſect. 5. n. 4. & 5. Idem etiam coguntur dicere quotquot fitentur per pœnitentiam tolli omnem infamiam facti hoc caſu, & poſſe Clericum, qui ea laborauerat propter crimina enormia, aut depoſitione digna, ſacros Ordines ſuſcipere, atque in ſuſceptis miniſtrare, vbi per emendationem exterſa fuerit ea infamia, quos DD. ſuperiùs adduximus, nam irregularitas non tollitur per ſolam pœnitentiam, vt dicemus cap. ſeq. Pugnamus quidem in hac aſſertione cum communi ſententia Panormit. in cap. ex tenore, de temporib. ordinat. & in cap. vlt. eod. tit. Sylu. verb. irregularitas q. 14. Nauarr. cap. 25. n. 75. & cap. 27. n. 248. Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 12. & 13. & aliorum, quos recenſet Garc. 11. p. cap. 3. n. 110.

Probatur verò efficaciter noſtrum conſectarium, quia hæc irregularitas neque per ſe & directè impoſita eſt his criminibus, neque ſecundariò, ſiue conſequenter ratione infamiæ ex eiuſmodi enormi crimine notorio contractæ, quæ ſunt duo capita, ex quibus colligi poteſt eiuſmodi irregularitas; ergo nulla eſt. Et primò quidem non imponi primariò & per ſe irregularitatem eiuſmodi criminibus, docuimus q. ſuper. vbi enumerauimus peccata, quæ primò & per ſe plectuntur irregularitate, quæ ſunt homicidium, violatio cenſuræ per adminiſtrationem ſacri Ordinis non habiti, & ſuſceptio Ordinis poſt contractum matrimonium; nullibi verò in iure infligitur aliis peccatis irregularitas, vt de quibuſdam, de quibus maior fuerat contentio, illa q. manifeſtum fecimus.

16 Obiiciunt cap. ex tenore, & cap. vlt. de temporib. ordinat. vbi crimina non comprobata in iudicio, aut aliàs non notoria, non impediunt à ſuſceptis Ordinibus, aut à nouis ſuſcipiendis, excepto homicidio poſt peractam pœnitentiam; inde enim aduerſarij argumentantur à contrario ſenſu, ea crimina, quæ ibidem enumerantur, ſi fuerint notoria, aut in iudicio comprobata, facient irregularem, impediéntque à ſuſcipiendis Ordinibus, & ab exercendis ſuſceptis etiam poſt peractam pœnitentiam.

Reſpondeo tamen cum Suar. loco proximè citato, inde duntaxat haberi Clericum publicum peccatoré impediri poſſe à Prælato, ne aut ſuſcipiat Ordines, aut in ſuſceptis miniſtret, quod non poſſet, ſi crimen eſſet occultum, & non notorium, tunc enim poterit duntaxat illum monere, ne ſuo damno nondum per pœnitentiam expiato crimine ſacra contrectet; poterit quoque Prælatus ob crimen illud notorium morte, aut depoſitione dignum, deponere Clericum, poſtquam depoſitionem infamis infamia iuris & irregularis erit. Quare hæc reſponſa Pontificum in Decretalibus citatis, diriguntur ad Prælatos, qui poſtularant, quid eo caſu agendum foret, reſpondétque Pontifex, eos Clericos grauium ſcelerum reos, ſi occulti ſint, monendos eſſe de pœnitentia facienda ante ſacrorum contrectationem; ſi verò ſint notorij peccatores, etiam à Sacris arcendos eſſe à Prælato: nullum tamen ibi impedimentum ipſo iure incurrendum, aut irregularitas eiuſmodi criminibus notoriis imponitur, vt patet.

Obiiciunt 3. cap. de his verò, diſt. 50. vbi publici fornicatores ac periuri reiiciuntur à ſacris Ordinibus. Reſpódeo hunc locum eſſe Rabani, neque facere ius vllum, quia tamen meminit antiquorum canonum, & inde videretur

retur aliquam nanciſci authoritatem; reſpondeo apertiſſimè Rabanum tradere noſtram doctrinam, ait enim ex veterum canonum inſtituto hos Clericos publicos peccatores deiiciendos eſſe à ſuo gradu, propter ſcandalum, quod creant Eccleſiæ, ſi miniſtrare pergerent: eos autem, qui occultè iſta eadem ſcelera admiſerint, vbi vigiliis, orationibus, ieiuniis & eleemoſynis noxas eluerint, non modò retinendos eſſe in proprio gradu, ſed etiam ſpe veniæ diuinæ ad meliora excitandos, quæ omnia nos vltrò fatemur; ex iis enim minimè ſequitur, hos omnes ante ſententiam depoſitionis eſſe irregulares verâ & propriè dicta irregularitate; quæ per pœnitentiam non abſtergitur: neque aliud habetur cap. Sacerdotes, ead. d. ex Nicol. Clericos manifeſtos fornicatores mulctandos eſſe honore dignitatis. Similia quædam expendit Suar. diſp 43. ſect. 5. n. 5. vt cap. ſi quis presbyter. 15. q. 8. quod non eſt Martini Papæ, ſed Martini Braccarenſis, vt ſolemni ſibi errore retulit Gratian.

Secundò, non incurritur hoc caſu irregularitas ratione infamiæ iuris, quia illa non oritur ex ſolo facto publico, niſi legem, vel ſententiam, qua imponatur, habeat adiunctam, alioquin eſt infamia popularis duntaxat, vti 2. propoſit. huius quæſtionis oſtendimus. Neque ſufficiet hoc loco, confeſſio Rei in iudicio, quia etiamſi illa faciat rem iuridicè notoriam, non tamen imponit vllam pœnam; quare ſi tale crimen, quod reus in iudicio faſſus eſt, non habeat annexam infamiam ipſo iure, & ipſo facto, nondum reus illam incurrit, ſicut neque alias pœnas à iudice imponendas, vt patet; atqui agimus de crimine, quod etiamſi enorme ſit, & depoſitione dignum, non habet tamen infamiam ipſo iure coniunctam, ſed ad illam exigit ſententiam iudicis.

Immò dixi requiri ſententiam imponentem, aut depoſitionem, aut infamiam, neque ſufficere ſententiam ſolius criminis condemnatoriam, quia condemnatus per ſententiam de aliquo crimine digno depoſitione, aut priuatione beneficiorum, non eſt propterea depoſitus, aut priuatus beneficiis, niſi ſententia id exprimat, quod lariſſimè oſtendit Garc. 11. p. cap. 5. à n. 97. neque l. 1. ff. ad Turpill. repugnat, dum dicit quando aliquis condemnatus eſt à iudice, qui nihil de pœna ſubiecit, legis poteſtatem aduersùs illum exerceri, quia id verum eſt, quando pœna eſt à lege impoſita, non verò quando eſt imponenda à iudice, quamuis vbi pœna eſt ferenda ex præſcripto legis, & non ad arbitrium iudicis, & iudex condemnat de crimine, & nullam pœnæ vllius mentionem facit, cenſeatur infligere pœnam, quam lex ferri præſcripſit; ſi verò aliam ipſe pœnam ferat, neque meminerit præterea pœnæ poſitæ à lege, cenſetur illam non ferre, neque illa adhuc tenetur reus, quamuis condemnatus; cùm autem infamia iuris à iudice ferenda, ſit pœna quædam, illam non incurret qui crimen ipsâ dignum commiſit, antequam à iudice imponatur per ſententiam tum criminis condemnatoriam, tum eiuſmodi pœnam ferentem, ſiue explicitè, ſiue implicitè, modo explicato; quamuis notorium ſit crimen illud non modò euidentia facti, ſed etiam notorietate iuris ex confeſſione Rei, aut probatione iuridica, ſed nondum per ſententiam iudicis, quæ tranſeat in rem iudicatam.

Consectarium VII.

An Clericus Sodomita & concubinarius ſit irregularis?

17 Respondeo imprimis, hæc crimina quamuis enormia quandiu occulta ſunt, non parere irregularitatem, ex regula vniuerſali conſectar. proximo tradita, & ex noſtris propoſitionibus deducta hâc & priori quæſtione, nimirum nullum crimen occultum facere irregularem, niſi ſpeciali iure id caueatur, vti fit de homicidio; de ſodomiæ autem infandiſſimo crimine & concubinatu nullibi id traditur, vt ſtatim apparebit; ergo quamdiu occulta manebunt, non facient irregularem.

Dices ſecundò Hæc crimina, etiam publica & notoria, non afferre irregularitatem, ſed vbi per pœnam emendata fuerint, poſſe ipſorum reum ad Ordines promoueri, aut in ipſis miniſtrare, quamdiu per ſententiam iudicis non fuerint damnati & depoſiti, atque infames reddiri ratione ipſorum; quamuis Prælati iure valeant publicos & notorios eiuſmodi peccatores tam turpium criminum reos arcere à Sacris, etiam ante ſententiam condemnatoriam.

Ratio huius conſectarij euidentiſſima eſt ex dictis, quia infandiſſima quæque peccata non faciunt proximè, vt ita dicam, ſiue ex ſe irregularem irregularitate propriè dicta, quæque egeat diſpenſatione poſt expiatum peccatum, niſi in iure ea impoſita fuerit, etiamſi leuiora multo peccata illâ pœnâ mulctentur; neque etiam ratione infamiæ, quam creant, afferent eandem irregularitatem, niſi ea infamia fuerit impoſita à iure ipſo facto incurrenda, & abſque ſententia iudicis, quia alioquin quantumuis turpia & infanda ſint ea ſcelera, atque depoſitione digna, pariunt tantùm infamiam popularem, quæ nullos habet effectus legales, neque inuehit aliquam inhabilitatem proximam, aut incapacitatem ad dignitates & officia publica, ſed tantùm conſtituit reum dignum, qui à iudice reddatur infamis per ſententiam condemnatoriam, atque ita iam notatus infamia iuris, inhabilis ſit ad omnes dignitates, atque adeò irregularis, ex regula vniuerſali tradita, quæ omnes infames infamia iuris, facit quoque irregulares. Neque circa huius conſectarij doctrinam ita explicatam poteſt ſupereſſe vlla difficultas, cùm ex certis principiis hactenus ſtabilitis neceſſariò deducatur. Reſtat modò oſtendendum nullibi eſſe annexum à iure his duobus criminibus irregularitatem, neque etiam infamiam ipſo facto incurrendam.

Et quidem quod attinet ad peſſimum, vti ipſum Scriptura nominat, ſodomiæ crimen, & præpoſteram libidinem exiſtimauit Couar. in Clem. ſi furioſus, 1. part. §. 1. num. 6. Clericum ſodomitam etiam occultum, tum ſuſpenſum, tum irregularem eſſe, ſi cum ea ſuſpenſione celebret, quod pridem dixerat Speculat. tit. de diſpenſat. §. iuxta. num. 17. Anton. in cap. niſi cùm pridem. de renunciat. Archidiacon. in cap. infames. 3. q. 7. & deinceps, ſequuti ſunt Lambertin. de iure patronat. 1. p. lib. 2. quæſt. 9. art. 18. num. 4. Maiol. lib. 5. cap. 43. num. 1. & alij apud Garc. 11. p. de benefic. cap. 10. num. 194. quibus adde Alter. diſp. 15. de ſuſpenſ. cap. 3. Quandiu tamen occultum erit hoc vitium, neque ſuſpenſionem, neque irregularitatem propter illud incurri, 18

docent Nauarr. cap.27. n.248.& 249. Vgolin. cap.43. de irregular. §.2. n 4. de Graff. lib. 2. cap.90. n.2. Henriq. lib.13. cap.36. & lib.14. cap.5. n. 1. Rodriq. tom 1. ſumm. cap. 208. n.1. Valent. 4.p. diſp.7. quæſt.19. p.5. In quinta ſpecie irregularitatis, Auila 3. p. diſp. 5. dub.3. & 7.p. diſput.4. dub.7. Garc. 11.part. cap. 10. n.195. & alij, quorum plerique æquè loquuntur de publico Sodomita, atque de occulto, ſi ſermo ſit de ſuſpenſione & irregularitate iſti crimini per ſe annexis, quia nullibi ea reperitur in iure; affertur enim primò cap. niſi cùm pridem. §. 1. de renunciationib. Sed mirum eſt hunc nobis locum obijci, in quo ne verbum quidem eſt de ſodomia, aut alio ſingulari crimine; cùm tamen, vbi ipſo iure pœna aliqua, maximè irregularitas, imponitur, opus ſit claro & expreſſo iure. Ea autem Decretali Innoc. III. enumerat ſex cauſas, propter quas Epiſcopus iure poſtulare poteſt veniam abdicandi ſe Epiſcopatu, quarum vna eſt conſcientia criminis, quod officij & Ordinis exequutionem etiam poſt peractam pœnitentiam impedit: nullum autem eiuſmodi crimen ſigillatim enumerat; ſed gloſſa in verb. duntaxat, ait in his ponendum illud, quod creat infamiam, quia infamia non deletur ſola pœnitentia; ſodomia porrò infamiam generat ſaltem quando publica & notoria fuerit. Verùm non probant aduerſarij hoc argumento irregularitatem eſſe annexam per ſe ſodomiæ, ſed tantùm ratione infamiæ, quod ſtatim inquiram. Deinde rectè quidem gloſſa affirmabat peccatum generans infamiam impedire exequutionem Ordinis, etiam peracta pœnitentia, ſed id intelligendum eſt de infamia iuris, non de infamia tantùm populari; infamia autem iuris aliquando contrahitur ipſo facto, aliquando opus eſt ſententia iudicis; quare neque ex Innoc. reſponſo, neque ex gloſſæ expoſitione colligi poteſt ſuſpenſionem, aut irregularitatem fuiſſe inflictam per ſe ſodomiæ, ſiue occultæ, ſiue publicæ.

Affert ſecundo. Speculat. cap. Clerici, de exceſſ. Prælat. vbi Alexand. III. in Conc. Lateran. cap. 11. de Clericis, hoc nefando ſcelere pollutis, ita pronuntiat. *Deijciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monaſteriis detrudantur.* Verùm hîc agitur de pœna depoſitionis infligenda à iudice; negamus autem crimen depoſitione dignum, quamuis notorium, facere irregularem ante ſententiam depoſitionis.

Affertur tertiò cap. vt clericorum, de vita & honeſtate clericor. quia Innoc. III. vbi præcepit puniri Clericos laborantes incontinentiæ vitio, maximè illo, propter quod venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ, addit, *Si quis igitur hac de cauſa ſuſpenſus præſumpſerit celebrare Diuina, non ſolùm Eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verùm etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur.* Duplex verò illa culpa alia non eſt, quàm ipſum vitium incontinentiæ, & ſuſpenſionis per illud vitium incurſæ violatio celebrando Diuina; ſupponit igitur Pontifex ex hoc vitio ſuſpenſionem contrahi. Reſpondeo Pontificem prohibere omne incontinentiæ vitium, maximè ſodomiticum, tum iubere, vt qui ea in parte deliquerint, *puniantur, prout magis, aut minus peccauerint.* Demum ſi aliquis ſuſpenſione punitus fuerit, & tamen Diuina contrectarit, deponatur pro gemina culpa; inde verò nihil efficitur, vt oſtendatur ſuſpenſionem incurri ipſo iure, & ipſo facto.

Affertur

Affertur quartò Bulla Pij V. ſed eam non valere, niſi pro foro externo, & poſtulare ſenrentiam iudicis, oſtendemus ſtatim.

Maneat ergo, nullo iuris Pontificij loco apertè probari, irregularitatem eſſe per ſe impoſitam ſodomiæ, ſiue publicæ, ſiue occultæ, vt ait Turrecremat. in c. nec eam, 35. quæſt. 3. & tandem fatetur Altet. cap. 3. cit. qui tamen malè ſubiicit eam è grauitate criminis, & communi conſenſu DD. ſatis colligi, cùm neque DD. conſenſus faciat expreſſum ius, quale requiritur ad irregularitatem, neque grauitas criminis ad pœnas ipſo iure ſtatutas attendenda ſit, ſed ipſa iuris & legis verba expendenda.

19 Reſtat vt videamus, an ſodomia notoria afferat irregularitatem ratione infamiæ; cùm enim omnes infames infamia iuris ſint irregulares, vti diximus, ſi ſodomia, vbi notoria fuerit, pariat eiuſmodi infamiam ante iudicis ſententiam, tenerà faciet irregularem; at verò infamiam gigni ex hoc crimine, tradit Menoch. lib. 2. de iudic. arbitrar. caſu 287. num. 20. Anaſtaſ. Plarus in conſil. Brabant. conſil. vlt. atque alij. Nego tamen ante ſententiam contrahi infamiam iuris in hoc caſu, ſed tantùm popularem, quia nullibi in iudicitur, hæc infamia contrahi ipſo iure, vt ſingula expendenti conſtabit.

Affertur primò l. cùm vir. C. ad l. Iuliam de adulter. ibi enim iubent Imperatores aduersùs hoc ſcelus leges inſurgere, & armari iura gladio vltore, vt *exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei.*

Reſpondetur imprimis, illis verbis non haberi, infamiam contrahi ipſo facto, & ante ſententiam, etiamſi iubeat Imperator puniri reos infames, eo quòd crimen iſtud eam infamiam parere ſoleat; deinde facilè intelligi poteſt, vt Rei ſubdantur pœnis à iudice tanquam infames, quia infamia notari debent; præterquam quòd ea lex non agit de ſimplici ſodomia, ſed de matrimonio, quod contraxit, id enim ferunt ea verba; *cùm vir nubit in fœmineam.* Itaque intellexit gloſſa in cap. ſecundùm leges, de hæretic. in 6. & Simanc. in Inſtitut. cathol. tit. 65. num. 76. fuiſſe enim in vſu propudioſa illa connubia, conſtat ex Iuuen. ſatyra 2. & Sueton. in Nerone, cap. 28. & quamuis pœnæ, quæ ſtatuuntur hoc loco, extendantur ad quamcunque ſodomiam, vt pluribus oſtendit Gomez ad d. 80. Tauri à num 32. cùm tamen eæ pœnæ requirant ſententiã iudicis, quandoquidem leges exurgere debent, & iura armari gladio in eos propudioſos & infames reos, infamia quoque quoad effectus iuris & legales ſen tentiam iudicis poſtulabit.

Affertur ſecundò, cap. infames. 6. quæſt. 1. verùm ibi non dicitur, an contrahatur infamia legalis ante ſententiam, an non, & certum eſt in eo cap. plurima numerari peccata, quæ non faciunt infames infamia legali ante iudicis ſententiam; quare niſi ex alio loco id probetur circa hoc ſcelus infandum; colligetur tantùm infamia popularis, quæ non affert inhabilitatem legalem, quamuis ſuperiores poſſint ratione illius remouere reum ab omnibus dignitatibus.

Affertur tertiò, quòd ſint inteſtabiles; eorùmque teſtamentum, ſi iam conditum fuerit, irritetur, vt oſtendit Menoch. caſu 286. cit. n. 21.

& Tiraq. l. ſi vnquam. C. de reuocand. donat. verb. reuertatur n. 384. interdicitur quoque ei, qui muliebria paſſus eſt, poſtulare. l. 1. ff. de poſtulando. §. remouet. vt ibi gloſſa verb. paſſus eſt, & alij DD. ſcribunt, quæ & ſimilia arguunt infamiam in eo, qui inhabilis redditur ad iſtos actus legitimos. Non docent tamen hi DD. hanc reſtandi, poſtulandi, cæteróſque actus legitimos exercendi incapacitatem oriri ex ſodomia notoria ante ſententiam, in quo tota verſatur difficultas.

Affertur quartò conſtitutio Pij V. edita an. 1568 3. Kalend. Septemb. qua Clericos tam infandum nefas exercentes omni priuilegio clericali, dignitate, officio & beneficio priuat, vt à iudice Eccleſiaſtico degradati ſtatim poteſtati ſæculari tradantur. Ergo manent iſti Clerici priuati omni gradu Eccleſiaſtico ſtatim atque illud commiſerunt, etiam in foro interno ſaltem quoad priuationem executionis officij, ſiue irregularitatem.

Reſpondeo, hanc conſtitutionem non habere locum, niſi in foro externo, quando delictum eſt notorium in illo, contra Garc. 11. p. de benefic. cap. 10. n. 197. quia cùm Pontifex, vt fatetur initio huius Extrauag. innouet augeátque conſtitutionem Lateranenſem ſub Alexand. III. relatam, cap. Clerici, de exceſſib. Prælat. quæ in foro tantùm externo procedebat, eodem modo debet intelligi iſta ſanctio Pij, quod ſatis verba indicant, vult enim Clericum iſtum priuatum omni priuilegio clericali authoritate huius canonis, & degradatum à iudice Eccleſiaſtico tradi ſæculari, quæ omnia apertè ſignificant forum externum, neque amplianda ſunt ad forum internum, cùm ſit lex pœnalis, quæ reſtringenda eſt, & ſanè pauciſſimi forent, qui obtemperarent huic conſtitutioni, & qui ſe è Clero eiicerent metu infamiæ, ſi ad id tenerentur ante ſententiam declaratoriam criminis & pœnarum ob illud incurſarum, & quamuis dicat Pontifex, *Canonis authoritate priuamus*, nihil inde efficitur contra nos, quia cùm priuatio pertineat ad forum externum, & inducitur in pœnam delicti, exigit ſententiam ſaltem declaratoriam, vt in hoc ipſo caſu contra Nau. cap. 27. n. 249. docent Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 1. litt. F. Graff. 1. p. deciſio. lib. 2. cap. 90. n. 5. Rodrig. tom. 1. ſumm. cap. 210. n. 2. Vega tom. 2. ſumm. cap. 10. caſu 2. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 46. n. 18 & 20. Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 24 & quamuis Nauarr. teſtetur Gregor. XIII. viuæ vocis oraculo declaraſſe, Pij ſanctionem ad vtrumque forum pertinere, nihilominus cùm nullibi habeatur authentica illa declaratio, non cogimur eam amplecti, neque Nauarri teſtimonium, quamuis viri omninò magni, ad hoc ſufficiet: dictum enim vnius, licèt ſit magnæ authoritatis, non facit fidem, cap. cùm à nobis, de teſtib. & l. iureiurandi. C. de teſtib. & communi DD. in cap. conſtitutus, de appellationibus, gloſſa in cap. ego ſolis, diſt. 9. Felin. in cap. ad audientiam, de ſentent. excomm. & Panorm. cùm in Eccleſiis, de maiorit. & obedientia. Reliqua quæ pertinent ad hanc conſtitutionem, vide apud Garc. Fragoſ. p. 1. lib. 2. diſp. 5. §. 18. & alios, quos illi dabunt, qui etiam fatentur non incurri has pœnas ob vnum, aut alterum actum ſodomiticum, niſi fuerit aliqua turpitudinis illius continuatio, eo quòd ita poſtulent verba, quibus vtitur Pontifex.

Habemus igitur infandum iſtud ſcelus

lus ſodomiticum, neque ex ſe habere annexam irregularitatem, neque ratione infamiæ popularis, quando publicum eſt, niſi per ſententiam iudicis illius reus fuerit depoſitus, aut infamis declaratus, alioquin vbi ipſum pœnituerit, ſuſceptos Ordines licitè exercebit, & ad alios promouebitur; quamuis incumbat Prælato, illum, qui eiuſmodi infamia laboraret, donec ſe canonicè purgauerit, reiicere.

20 Quæ omnia in concubinatu quoque valere diximus; quamuis enim communior ſententia à nobis relata lib. ſuper. cap. 7. q. 1. conſ. 35. exiſtimet Clericum concubinarium publicum, eſſe ipſo iure ſuſpenſum, tum quoad ſe, tum quoad alios, vnde fieret, vt ſi celebraret, incurreret propriè dictam irregularitatem; iam tamẽ haberemus contra Nau. cap. 25. n. 77. & conſ 17. de Clerico excomm. miniſtr. Coſma in pragmat. ſanct. tit. de concubinar. §. nihil, verb. inhabiles, & Alter. diſp. 15. de ſuſpenſion. cap. 2. non eſſe irregularem ratione criminis huius, ſed alterius, violatæ nimirum ſuſpenſionis per adminiſtrationem Sacramentorum. Verùm neque ea communis ſententia, quam eo loco ſuppoſuimus potiùs, quàm expendimus, tenenda eſt; ſed negandum hunc Clericum publicum concubinarium eſſe ipſo iure ſuſpenſum. ita Innoc. in cap. ſi celebret. de Clerico excomm. miniſtr. n. 1. Anchar. in cap. 1. de ſententia & re iudic. in 6. Imola in cap. ſicut. de cohabitat. Clericor. Speculat. tit. de diſpenſat. §. iuxta, n. 20. Archidiac. in cap. præter. §. ad hæc verò 32. diſt. Soto in 4. d. 1. q. 5. art. 6. Henriq. lib. 13. cap. 5. & cap. 26. & alij paſſim apud Garc. 11 p. cap. 10. n. 181. & ſanè poſt Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. dubitare non licet, quidquid ſit de iure antiquo, cui cõſuetudinẽ derogaſſe teſtantur Ioan. Gutiert. lib. 1. can. qq. cap. 7. & alij, vide latè Alter. loco cit. Vgolin cap. 43. §. 3. Suar. diſp. 31. ſect. 4. & Sayr. lib. 7. cap. 12. à n. 20. Nos enim his omnibus ſuperſedemus, de pœnis diuerſorum criminum commodiori loco diſputaturi, ſatis nobis modò ſit oſtendiſſe, irregularitatem, de qua agimus, non contrahi ob eiuſmodi crimen etiam publicum, quod communi conſenſu doceri tradit Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 20.

Consectarivm VIII.

An incarceratus & accuſatus de aliquo crimine, ſit irregularis?

Reſpondetur, qui accuſantur de crimine, quod ipſo iure habet annexam infamiã, ſi ex ea accuſatione oriatur aliqua euidentia facti, non eſſe ordinãdos, donec ſe canonicè purgauerit: ſi autẽ vulgò cõſtaret de calũnia, quia reuerà nulla eſſet infamia, nihil prohiberet vſum Ordinũ, aut promotionẽ; ratione tamen ſcandali debent omni vſu abſtinere, donec per purgationem abſterſa ſit omnis infamia. 21

Consectarivm IX.

An Pœnitentia ſolemnis faciat irregularem.

Reſpondetur, locum vix vllum hodie reſtare huic ſolemni & publicæ pœnitentiæ, de qua diſputauimus alibi. Ex pœnitentia tamen ſolemni naſcebatur olim irregulari- 22

tas, non verò ex pœntẽtia publica, ſed non ſolemni, diſcrimen enim latum eſt inter hæc duo pœnitentiæ genera, vti aduertit Couarr. lib. 2. variar. cap. 10. num. 3. atque hanc irregularitatem ex aliquot antiquis canonibus colligunt Auila diſp. 4. dub. 6. 7. part. lib. 7. cap. 11. num. 19. & ex illis Bonac. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 3. qui benè aduertit ex publica pœnitentia, quæ hodie quibuſdam in locis obſeruatur, hanc irregularitatem, cùm ea longè diuerſa ſit ab antiqua illa ſolemni, quæ etiam creabat aliquam infamiam, quam non affert hodierna publica. Antiquos canones, qui de eiuſmodi pœnitentia agunt, expendemus loco citato, & plura diximus de clauſura regulari, diſquiſit. 3.

CAPVT VI.

De modis tollendi irregularitatem.

Quæſtio prima. An ceſſante cauſa ceſſet irregularitas.

Quæſtio ſecunda. Quomodo per Baptiſmum tollatur irregularitas.

Quæſtio tertia. Quænam irregularitas deleatur per Profeſſionem religioſam.

Quæſtio quarta. Quomodo per diſpenſationem tollatur irregularitas.

Quæſtio quinta. An omnis qui poteſt abſoluere à cenſuris, poſsit etiam diſpenſare in irregularitate pœnali.

QVATVOR tantùm modos fingere poſſumus, quibus tollatur irregularitas, nempe vt ceſſante cauſa & indecentia, ex qua oriebatur, & ipſa quoque ceſſet; deinde vt per Baptiſmum, per quem fit nouus homo, eradantur omnes maculæ & notæ, quæ ipſũ ſacris miniſteriis indignum reddebant. Tertiò vt illud idem fiat per religioſam Profeſſionem, quæ Baptiſmũ imitatur: & denique tollatur per veram & propriè dictam diſpenſationem. Hos omnes modos paucis perſtringere licebit ſequentibus qq. cùm ex alibi dictis definiti ſint.

QVÆSTIO I.

An ceſſante cauſa irregularitatis ceſſet irregularitas.

Ratio dubitandi. n. 1.

Propoſitio vnica. n. 2.

Conſectarium primum. An expiato crimine ceſſet irregularitas ipſi impoſita. n. 3.

Conſectarium ſecundum. An irregularitas contracta ex hæreſi tollatur per conuerſionem hæretici. n. 4.

Conſectarium tertium. An ceſſante infamia ceſſet irregularitas ex illa nata. n. 5.

Conſectarium quartum. An poteſtas laica poſſit tollere irregularitatem. num. 6.

Conſectarium quintum. An legitimatus deſinat eſſe irregularis. num. 7.

Conſectarium ſextum. An abrogatio legis ferentis irregularitatem eàm prius contractam tollat. n. 8.

GEmina duntaxat eſt cauſa irregularitatis, vti ex hactenus diſputatis conſtat. Vna eſt certus aliquis corporis, vel animi defectus inculpabilis, quem Eccleſia exiſtimauit dedecere maieſtatem Sacrorum, à quibus idcirco prohibuit omnes, qui illo notarentur. Altera continet quædam crimina, quæ hac inhabilitate exercendi ſacra miniſteria ſapientiſſimè mulctauit Eccleſia, propter turpitudinem, qua Sacrorum ſanctitas temeraretur: atque ex his duabus cauſis certum eſt crimina elui poſſe pœnitentia: ex defectibus autem nonnulli emendari valent, alij perpetui ſunt, neque enim vitium natalium, aut bigamiæ tolli poteſt: alij autem ita ægrè corriguntur, vt aut nunquam, aut rarò admodum, & ope ſolius Numinis ſupra naturam agentis corrigantur; reſtitutio enim oculi effoſſi, aut membri mutilati naturali virtute fieri nequit.

Quærimus igitur hoc loco, an quoties cauſa irregularitatis tollitur, ſiue ea cauſa ſit noxa aliqua, ſiue defectus inculpabilis, ſiue naturali virtute, ſiue ſupernaturali tollatur, ipſa quoque irregularitas abſque vlla diſpenſatione, aut indulgētia Superioris ceſſet; cùm enim ceſſante ea cauſa & defectu, ſiue culpabili, ſiue inculpabili, ceſſet omnis indecentia & turpitudo in ſacris miniſteriis exercendis, quæ indecentia, vti diximus cap. 1. eſt proximum fundamentum irregularitatis, ipſam quoque irregularitatem deſinere neceſſe eſt; immò non videtur alia ratione irregularitatem tolli poſſe, quàm ſublato proximo eius fundamento, alioquin quidquid indulgeat ſuperior, & quomodocunque diſpenſet, niſi tollatur fons & prima origo indecentiæ, quæ ex tali defectu oritur, manebit quoque indecentia; ea verò manente, non apparet, quomodo poſſit reddi licita ſuſceptio, aut adminiſtratio Ordinum, quandoquidem ſemper coniuncta eſt cum indecentia, quam ſola ſuperioris indulgentis & diſpenſantis voluntas non tollit; è contrario verò ſublata ea indecentia, quia eius radix præciſa eſt, non poteſt manere illicita Sacrorum tractatio, niſi ex noua prohibitione Superioris, quia reuerà non eſt ampliùs indecens, ratione cuius ſolius indecentiæ erat illicita.

PROPOSITIO VNICA.

OMNIS irregularitas ceſſat ipſo facto ceſſante cauſa, ex qua nata fuit, abſque vlla alia diſpenſatione Superioris, aut peculiari iuris diſpoſitione.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

HÆc propoſitio continet vniuerſaliſſimam regulam, quam tradidit Layman lib 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. num. 10. Suar. diſp. 41. ſect. 1. num. 6. & diſput. 31. ſect. 1. num. 11. Sayr. lib. 7. cap. 14. num. 23. Vgolin. cap 62. §. 2. ſub fin. & cap. 63. ſtatim initio. Henriq. lib. 14. cap. 17. num. 3. Bonac. diſput. 7. de cenſur. quæſt. 5. punct. 2. num. 5. qui alios dabit. Iſti enim omnes docent commune pronuntiatum: Ceſſante cauſa ceſſat effectus. de quo latè diximus in ſcientia canonica, verum eſſe in materia irregularitatis, & illam abſque vlla diſpenſatione, aut actione Superioris, legiſve diſpoſitione tolli, quoties eius cauſa conſtitutiua ceſſat ipſo facto, abſque vlla etiam diſpenſatione, vel alia iuris diſpoſitione.

Obſeruandum enim eſt cum Suar.

ſect. cit. num. 5. aliquas irregularitates habere cauſam ex ſua natura temporalem, & expreſsè fieri ſolùm pro toto illo tempore, quo durat eiuſmodi cauſa, quales ſunt defectus ætatis, ſcientiæ, aliíque eiuſmodi, qui cùm ex ſua natura temporales exiſtant, non poſſunt afferre inhabilitatem perpetuam, & prohibitio actionum facta propter illos, non poteſt etiam eſſe niſi temporalis. Aliæ verò irregularitates habent cauſas perpetuas ex ſua natura, cuiuſmodi ſunt omnes, quæ fundantur in actu præterito, qui ſemel factus infectus eſſe nequit, vt defectus natalium, ſiue acceptio, eſſe per copulam non legitimam, omnis etiam irregularitas ex delicto contracta, neque enim ea poſtulat perſeuerantiam moralem, aut habitualem illius criminis, ſed tantùm, quod fuerit admiſſum: ſi autem ſemel fuit admiſſum, nulla poteſtate fieri poteſt, vt non fuerit admiſſum, homo, v. gr. non fuerit occiſus, etiamſi miraculo reſurgat: aliæ verò quædam cauſæ ſunt ſua quidem natura perpetuæ, quia tamen conſiſtunt in aliqua priuatione, aut re poſitiua permanente, & non in actu tantùm præterito, poſſunt vel miraculo, vel caſu quodam extraordinario ceſſare, & tunc etiam irregularitas omnis deſineret, ſed quia vix vnquam naturali virtute tolluntur iſtæ cauſæ, idcircò irregularitates, quæ ex illis naſcuntur, dicuntur perpetuæ, & per ſolam diſpenſationem, aut peculiarem iuris diſpoſitionem tolli.

Atque ex hac diſtinctione cauſarum irregularitatis conſtat imprimis aliquas irregularitates deſinere poſſe abſque vlla diſpenſatione per ſolam ceſſationē cauſæ ipſarum, quæ ipſo facto & abſque actione ſuperioris deſinere poteſt. Eiuſmodi ſunt irregularitates ex defectu ætatis, ſcientiæ, libertatis, rationis, quas ſuperiùs explicuimus, vbi enim aderit ſufficiens ætas, ſcientia, & libertas, deſinet totum impedimentum, propter quod aliquis arcebatur à ſacris Ordinibus & miniſteriis.

Conſtat 2. aliquas eſſe irregularitates, quæ ſine aliqua noua iuris diſpoſitione tolli nequeunt, quia ipſarum cauſæ ſunt perpetuæ, neque tolluntur ſine actu aliquo nouo iuriſdictionis.

Conſtat 3. veram eſſe noſtram propoſitionem vniuerſalem ceſſante cauſa irregularitatis, ceſſare irregularitatem; etiamſi enim irregularitas ſit effectus quidam moralis ex ſola iuris inſtitutione, cùm tamen ex eadem iuris inſtitutione habeat aliquem defectum, veluti ſui conſtitutiuum, eo ſublato perire neceſſe eſt; ſi igitur ille defectus & cauſa conſtitutiua tollatur ipſo facto abſque actu nouo iuriſdictionis, peribit quoque irregularitas, quam conſtituebat; quia tamen non poteſt cauſa iſta ſolo facto ceſſare, fit, vt neque omnis irregularitas ita ceſſare queat.

Conſtat 4. quid ſentiendum ſit de vulgari illa regula, quam ſuperiùs attulimus, & ex communi DD. ſenſu tradidit Garc. 7. part. de benefic. cap. 8. n. 65. nimirū impedimentum quod ſolo facto tollitur abſque diſpenſatione, aut alia iuris diſpoſitione, non eſſe propriam & veram irregularitatem; nam ea regula non aduerſatur noſtræ propoſitioni; cùm enim irregularitas ſit non ſimplex quædam prohibitio, ſed inhabilitas capiendi, aut exercendi actiones, atque ea de cauſa differat à ſuſpenſione, quæ dicit prohibitionem, non incapacitatem, eſt ex ſua natura perpetua, & non temporalis, vti ipſum nomen impotentiæ & incapacitatis

tatis præ ſe fert, idcircò irregularitates, quæ habent cauſas ex ſua natura temporarias, non dicuntur propriè irregularitates, eo quòd non ſint perpetuæ, ſed temporales; quare cùm deflectant à ratione inhabilitatis & impotentiæ propter perpetuitatem, quam non habent, dicuntur potiùs prohibitiones, aut impedimenta quædam canonica, quàm irregularitates: quanquam quia omnem aliam illarum rationem participant, habent communem cum illis effectum, ſoláque duratione differunt, numerentur inter irregularitates, & ſint veræ irregularitates, ſed non perpetuæ; eſt enim leuis quæſtio, an perpetuitas ſit de eſſentia irregularitatis, an verò ſit tantùm proprietas, quæ ex cauſa illius conſtitutiua emanat, vnde pro natura illius cauſæ, quæ perpetua, aut temporalis eſt, oritur in irregularitate perpetuitas, aut non perpetuit. s. Satis verò nobis eſt, quod aſſerebat noſtra propoſitio. Quoties cauſa irregularitatis ſolo facto tolli omninò poteſt, ceſſare omnē irregularitatē ex illa ortam, neque vlla diſpenſatione opus eſſe, ex quibus plurima colliges.

Consectarivm I.

An expiato crimine ceſſet irregularitas ipſi impoſita?

3 Respondetvr, quoties irregularitas imponitur alicui crimini propter ipſum, & non ratione infamiæ duntaxat, vt irregularitas homicidij & violationis cenſuræ per exercitium Ordinis ſacri non ceſſat expiato peccato per pœnitentiam, quia tunc reuerà non eſt ablata cauſa irregularitatis, illa enim cauſa eſt peccatum commiſſum eo ipſo quod fuit commiſſum, ſiue quia fuit commiſſum, non autem quatenus perſeuerat habitualiter, aut etiam virtualiter in aliquo ſuo effectu; atqui peccatum fuiſſe commiſſum, non tollitur per expiationem & deletionem peccati; quare manet tota cauſa irregularitatis contractæ; homicida igitur manet irregularis etiamſi coram Deo per pœnitētiam facinus ſuum eluerit, & repararit omnia damna illata, atque adeò ſuis precibus impetrârit, vt homo à ſe occiſus reſurgeret: hæc ſiquidem omnia non efficiunt, quin iſte ſit homicida, & quin actus præteritus, in quo fundatur irregularitas, fuerit poſitus. Atque hæc eſt ratio communis ſententiæ, per pœnitentiam non tolli irregularitatem ex delicto, quam tradit Nauar. cap. 25. n. 73. & 77. & cap. 27. n. 248. & conſil. 66. de ſentent. excomm. Maiol. lib. 5. cap. 37. n. 2. Tabien verb. Irregularitas 5. n. vlt. Sylu. verb. concubinarius §. 4. Henriq. lib. 14. cap. 17. n. 1. Suar. diſp. 41. ſect. 1. n. 5. & nos idem diximus de cenſur. lib. ſuper.

Consectarivm II.

An irregularitas contracta ex hæreſi, tollatur per conuerſionem hæretici.

Reſpondetur primò, hæreticos occultos poſt pœnitentiam & conuerſionem ordinari poſſe, & irregulares non eſſe, quia vel irregularitas non eſt annexa hæreſi per ſe, ſed tantùm ratione infamiæ, vel ſaltem requirit, vt hæreſis notoria ſit & publica, vti diximus cap. ſuperiori q. 3. dub. 1. vbi igitur fuit expiatum peccatum, nihil 4

eſt

eſt quod impediat ſuſceptionẽ Ordinum, aut eorum exercitium, quia nulla fuerat contracta adhuc irregularitas.

Secundò, quando hæreſis fuit notoria, quia habet adiunctam infamiam iuris, & quæ ipſo iure incurritur, & ratione illius infamiæ parit irregularitatem, cùm per ſolam conuerſionem, aut pœnitentiam non tollatur infamia iuris, neque ceſſent effectus, quos parit, quamdiu ipſa durat, non tollitur etiam irregularitas, atque ita opus eſt diſpenſatione; atque in hunc ſenſum loquuntur paſſim DD. cùm negant irregularitatem ex hæreſi & Apoſtaſia publica tolli per pœnitentiam & conuerſionem hæretici & Apoſtatæ.

Dico tertiò, in iis Regionibus, in quibus hæretici non ſunt infames quia ad omnia officia publica & dignitates admittuntur, poſſe poſt abiuratam hæreſim & pœnitentiam peractam ordinari, atque ita reipſa fieri teſtatur Layman lib. 1. tract. 1. p. 5 cap. 4. ſub fin. quam conſuetudinem, ſi alicubi vigeat, probat Nauarr. conſil. de conſtitut. q. 14. eo quòd illa deroget iuribus contrariis, quæ tantùm humana ſunt; ſimili de cauſa dicebamus cap. ſuper. q. vlt. conſ. 3 ſub fin. filios hæreticorum in eiſdem regionibus neque infames, neque irregulares eſſe, etiamſi fortaſſis ex iure infames & irregulares eſſent, vti communiter ſententia ferebat. Cùm igitur irregularitas non ſit annexa hæreſi, niſi ratione infamiæ inflictæ à iure, eáque infamia nulla ſit in illis regionibus, vbi emendatus & conuerſus fuerit hæreticus, reuerà omnis irregularitas ſublata fuerit.

Quia verò apud omnes in illis etiã regionibus Apoſtatæ tum à fide, tum ab Ordine & à Religione ſunt infames, neque ea commixtio catholicorum cum hæreticis derogat iuribus in hac parte, idcircò vt hi redeuntes ad fidem, priores Ordines exerceant, aut nouos ſuſcipiant, indigebunt ſaltem Epiſcopi diſpenſatione, de qua dicemus q. 3.

CONSECTARIVM III.

An ceſſante infamia ceſſet irregularitas ex illa nata?

Reſpondetur, in vniuerſum ſubla- 5
ta infamia tolli irregularitatem ex illa profectam, quia ſublata cauſa & fundamento irregularitatis, ipſa quoque deſinit, vti oſtendimus in propoſitione, & ampliùs in ſequentibus conſectariis confirmabitur. Vt verò diſſidentes hac in parte ſententias componam, alij enim volunt per pœnitentiam & emendationem ſaltem publicam, vbi crimen publicum fuit, abradi omnem infamiam, & conſequenter irregularitatem, quam produxerat; alij autem exigunt diſpenſationem, quia negant abſque illa omnem penitùs infamiam deleri; cùm igitur cauſa adæquata irregularitatis nondum ceſsârit, neque ceſſat ipſa etiam irregularitas.

Diſtinguenda iterum eſt hoc loco duplex infamia, vna iuris, ſiue legalis, altera facti, ſiue popularis tantùm; prior illa incurritur vel ipſomet iure, & admiſſione ipſa criminis, cui ius attexuit infamiam vel per ſententiam iudicis ex præſcripto legis, aut proprio arbitrio reum aliquem infamem pronuntiantis; poſterior eſt diminutio famæ & nominis apud viros prudentes & graues.

Infamia iuris ſiue ipſo iure per ſen-

tentiam iudicis adæquatè contracta non tollitur per pœnitentiam, aut emendationem etiam publicam Rei, ſed indiget diſpenſatione iudicis, cuius authoritate contracta fuit, quia eſt pœna poſita à lege, vel à iudice contracta, & cùm non ſit certo tempore definita, ſubeunda eſt, duratque quamdiu per actum æqualis iuriſdictionis non tollitur, eiuſdem enim poteſtatis eſt ſoluere & ligare, pœnam infligere, & illam abradere. Hinc fit eos qui ſunt irregulares ex infamia legali contracta ipſo iure, aut per ſententiam iudicis, manere irregulares etiam emendato peccato, & peracta pœnitentia publica, quia manet adhuc totum fundamentum irregularitatis, ſcilicet infamia legalis, quæ vbi inuſta fuit, Rei emẽdatione non ceſſat, vti ſuo loco oſtendetur. Dixi autem hanc infamiam non tolli ſola emendatione, quando adæquatè contracta fuit, quia ſi fuit tantùm inchoata, & veluti in radice, eo quòd crimen quidem admiſſum ſit damnatum infamia ipſo iure; fuit tamen occultum & non publicum, tunc vbi fuerit expiatum, poterit reus ordinari, aut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare; nunquam enim fuit verè irregularis, quia fundamentum adæquatum irregularitatis non fuerat adhuc poſitum; ſi tamen crimen hoc fiat notorium, iam incurritur infamia, & conſequenter irregularitas, etiamſi hanc notorietatem & manifeſtationem criminis illius expiatio præceſſerit, quæ omnia conſtant ex dictis in noſtra propoſitione, & quæſt. vlt. cap. proximi.

Irregularitas verò quæ naſcebatur ex infamia populari, quam aliqui facti appellant, deletur per publicam emendationem peccati, vt docent Molin. tract. 4. diſp. 7. ſub fin. & diſp. 10. init. Auila 7. p. diſp. 4. dub. 5. Garc. 7. part. cap. 8. num. 64. Suar. diſp. 48. ſect. 2. num. 6. & 8. & alij paſſim, quia ceſſat omnis infamia, ex qua naſcebatur iſta irregularitas. Vnde monent PP. priora peccata non maculare ad meliora conuerſum, neque eam ob cauſam eſſe deſpiciendum. Gregor. lib. 18. Mor. cap. 18. & cap. hi duo 35. quæſt. 6. & cap. nunquam, diſtinct. 56. Quare publicus concubinarius & adulter, vbi fuit conſtanter emendatus, omni irregularitate. quæ tantùm impropria erat, vti aliàs diximus, eximitur, quod tradidit etiam Laym. lib. 1. tract. 5. part. 5. cap 4. n. 10.

Consectarivm IV.

An poteſtas laica poſſit tollere irregularitatem?

Ratio dubitandi eſt, quia diximus pereunte fundamento irregularitatis, perire quoque ipſam irregularitatem, atqui poteſtas laica poteſt aliquando tollere fundamentum & cauſam irregularitatis; ergo & ipſam irregularitatem, aliunde tamen cùm irregularitas ſit inducta per ius Eccleſiaſticum, non videtur alia poteſtate, quàm Eccleſiaſtica tolli poſſe. 6

Reſpondeo nullam poteſtatem laicam poſſe tollere irregularitatem directè per actum iuriſdictionis per ſe & proximè tendentem ad eam irregularitatis ceſſationem, ad id enim opus eſt iuriſdictione eiuſdem generis, cum illa per quam poſita fuit, quod vnum obiectio probat: at verò indirectè per ſubtractionem fundamenti tolli poteſt irregularitas ab eo omni, qui eius cauſam proximam extinguere valebit; ad id enim opus

non eſt iuriſdictione ; ita Medicus, qui ſanaret à phreneſi, aut qui membrum mutilatum reſtituere poſſet, licèt miraculo, aut arte etiam Dæmonis liberaret ab irregularitate inde conſequente, Princeps qui ab infamia, quam quis in foro ciuili contraxerat, liberabit, abſterget ſimul irregularitatem ab ea prodeuntem, vti dicebatur in ratione dubitandi, neque propterea vſurpabit iuriſdictionem Eccleſiaſticam. ita Vgolin. cap. 62. & 63. initio. Præpoſit. quæſt. 5. de irregular. dub. 7. quæſt. 4. num. 53. & alij.

Consectarivm V.

An legitimatus deſinat eſſe irregularis ?

7 Dvobvs modis poteſt aliquis legitimari, ſiue reſtitui natalibus, vt loquuntur, nempe beneficio Principis, & per ſubſequens matrimonium, vti fuſiùs diſputabimus alibi. Legitimati igitur per ſubſequens matrimonium, cùm nihil prorſus differant à legitimis, vt dicitur cap. tanta, qui filij ſint legitimi, poſſunt ad omnes Ordines & dignitates Eccleſiaſticas promoueri, vti conſentiunt omnes DD. in cap. tanta, quos ibid. dabit Barboſa in collectan. num. 4. atque ita per matrimonium tollitur indirectè irregularitas, quia defectus natalium, in quo ea fundabatur, emendatur. Xiſtus tamen V. peculiari conſtitutione prohibuit à Cardinalatu hos legitimatos, vt dicemus alibi.

Legitimati autem per reſcriptum Principis laici non deſinunt eſſe irregulares, quia non poſſunt legitimare niſi quoad illa, quæ ſubſunt ſuæ poteſtati, cuius exercitium eſt in ea legitimatione, vti dicemus alibi; atqui Ordines aliáque ſpiritualia ſubiiciuntur ſoli poteſtati Eccleſiaſticæ non ſæculari. itáque ſentiunt communiter DD. quos dabit Sayr. lib. 6. cap. 11. num. 15. & Bonac. diſput. 7. quæſt. 2. punct. 3. num. 14. Quare nequit laicus Princeps tollere etiam indirectè irregularitatem ex defectu natalium.

Consectarivm VI.

An abrogatio legis ferentis irregularitatem, eam tollat priùs contractam ?

Abrogatio legis ponentis irregularitatem, aliúdve impedimentum, aut pœnam, duobus modis fieri poteſt, primò antequam ſit contractum illud impedimentum, aut irregularitas; tunc verò certum eſt non contrahi deinde illud impedimentum, quod ex legis efficacia pendebat: lex autem abrogata nulla eſt, vnde oritur commune axioma Iuriſtarum, abrogationem legis maioris eſſe efficaciæ, quàm diſpenſationem; quare ſi Pontifex refigat legem, quæ illegitimos prohibet à ſacris Ordinibus, qui deinceps ex damnata copula naſcentur, non erunt irregulares. 8

Secundò, impedimenta & irregularitates aliquando contractæ ſunt antequam abrogetur lex, quæ illas ſtatuebat, & tunc quæſtio eſt, an efficacia abrogationis retrotrahatur ad tempus præteritum ; qua de re diximus in ſcientia canonica. In præſentiarum autem dico, diſtinguendum eſſe inter irregularitatem, quæ naſcitur ex defectu, & eam, quæ oritur ex delicto : & quoad illam quæ oritur ex defectu, v. gr. ex illegitimatione

tione, certum eſt, eam tolli per abrogationem legis; etſi enim quis ſit illegitimè natus antequam abrogaretur lex illum remouens ab Ordinibus, vbi tamen illa lex antiquata prorſus eſt, cùm nullam ampliùs efficaciam habeat, non debent illegitimi vi illius abſtinere à Sacris.

At verò maior difficultas eſt circa irregularitatem ex delicto, illa enim pœnalis exiſtit: pœna autem ſemel inflicta reo, non tollitur per abrogationem legis, à qua inflicta fuerat, v. gr. qui incurrit excommunicationem latam in homicidas, non liberabitur ea excommunicatione, etiamſi lex illam infligens poſtea abrogetur, opúſque fuerit abſolutione, neque etiam tolleretur irregularitas, quæ ex violatione talis cenſuræ per exercitium ſacri miniſterij contracta foret, atque in ſententia, quam cap. 1. ſuſiùs ſtabiliuimus, hanc irregularitatem eſſe pœnam, & participare naturam cenſuræ, ita mihi dicendum omninò videtur, quamuis non improbarim contrariam ſententiam Suar. diſp 41. ſect. 1. num. 7. qui vult abrogationem legis quoties non reſpicit vllum tempus determinatum, ſed abſolutè & indefinitè ponitur, etiam ad irregularitates & pœnas iam impoſitas extendi poſſe ex quodam fauore & molli interpretatione DD. quibus nolim ego repugnare.

Qvæstio II.

Quænam irregularitas tollatur per Baptiſmum?

Propoſitio. num. 1.
Expoſitio & confirmatio propoſitionis. num. 2.
Conſectarium primum. An irregularitas homicidij tollatur per Baptiſmum. num. 3.
Conſectarium ſecundum. An irregularitas ex infamia iuris tollatur per Baptiſmum. num. 4.
Conſectarium tertium. An irregularitas ex bigamia tollatur per Baptiſmum. num. 5.
Conſectarium quartum. An irregularitas ex defectu lenitatis tollatur per Baptiſmum. n. 6.

CErtum eſt, in Baptiſmo generari nouum hominem; quare quæritur, an ita veteres omnes notæ eradantur, vt nulla in eo remaneat, quæ irregularitatem parere poſſit.

Propositio.

An Baptiſmus deleat irregularitatem?

QVamvis ante Baptiſmum nulla contrahatur irregularitas, quia tamen cauſæ, ex quibus ea incurritur à baptizatis, aliquando permanent poſt Baptiſmum, quod ferè contingit quando ſunt defectus inculpabiles, aliàs verò per Baptiſmum delentur, quando nimirum ſunt peccata, aut ipſorum effectus, facilè fit, vt aliqui propter defectus ante Baptiſmum contractos, irregulares exiſtant, non verò alij, à quibus Baptiſmus abſterſit defectum, qui erat producturus irregularitatem. 1

Expositio et confirmatio propoſitionis.

HÆc vniuerſaliſſima propoſitio perſpicua eſt, & omnes ſententias componit, neque à quoquam negari iure poterit. 2

Dixi igitur primò. Nullam con-

trahi irregularitatē ante Baptiſmum, quod omnes fateri coguntur, quia cùm irregularitas ſit inſtituta à iure Eccleſiaſtico, illud non poteſt obligare niſi Eccleſiæ ſubditos, cuiuſmodi non ſunt nondum baptizati; quamuis igitur contrahantur illi ipſi defectus culpabiles, aut inculpabiles, propter quos baptizati fiunt irregulares, illi tamen non cauſant irregularitatem in non baptizato propter incapacitatem ſubiecti.

Dixi ſecundò, aliquos tamen manere irregulares, propter defectus contractos ante Baptiſmum. quod certiſſimum eſt in iure, nam illegitimi, bigami, ſerui, aliíque eiuſmodi etiam vbi baptizati ſunt, manent irregulares, non verò homicidæ, qui ante Baptiſmum quempiam occiderunt.

Dixi tertiò, cauſam huius diſcriminis petendam eſſe ex diuerſitate cauſæ producentis irregularitatem, aliquando enim ea tollitur per Baptiſmum, ſiue ex natura ſua, ſiue ex Eccleſiæ inſtitutione; extincta autem illa cauſa, neceſſe eſt eius quoque effectum, ſiue irregularitatem ex ea naſcentem perire, vti oſtendimus q. ſuperiori. Eiuſmodi autem cauſæ ſunt peccata, quæ deleri certum eſt à Baptiſmo, & præterea nonnulli peccatorum effectus, etiamſi ſint inducti à lege, vt infamia iuris, conſentaneum enim fuit, Eccleſiam eos omnes effectus tollere, quandoquidem ita peccata expiantur per Baptiſumm, vt efficiamur noui homines, & regeneremur, atque ita omnis macula & indecentia, quæ à culpa fuerat orta, abſtergatur: quamuis, quando pœnitentia aliáve ratione crimen aboletur, non idcircò deſinat irregularitas, vti diximus quæſt. ſuper. quia non fundatur proximè in peccato perſeuerante habitualiter, ſed in indecentia, aut turpitudine contracta ex ipſa actione peccaminoſa, ſiue eo ipſo, quòd tale crimen commiſſum fuerit, quæ indecentia ſemper manet etiam expiato crimine. Et licet id verum quoque videatur poſt ſuſceptionem Baptiſmi, quæ non impedit, quominus homicidium quoquoque commiſſum fuerit, & ex ea commiſſione contracta indecentia, quia tamen ita ſit nouus homo per Sacramentum regenerationis, vt nihil veteris Adæ in ipſo remaneat, non modò peccata, ſed etiam maculæ ex ipſis conſequutæ funditus abſterguntur, &, quod inde neceſſariò conſequitur, non cauſant irregularitatem in baptizato, in quo non manent vlteriùs.

Aliæ verò ſunt cauſæ irregularitatis, quæ æquè poſt Baptiſmum atque ante illum manent, vt bigamia, natalium turpitudo, membri mutilatio, ſeruitus, & ſimilia; idcircò poſt Baptiſmum cauſant irregularitatem, quia poſt Baptiſmum manent, vt dixi, neque ſubiecti incapacitas, aut iuris diſpoſitio, aut aliud quidpiam impedit, quominus pariant indecentiam, & ratione illius irregularitatem.

Consectarivm I.

An irregularitas homicidij tollatur per Baptiſmum?

EX his colliges primò. Quænam irregularitates impediantur per Baptiſmum, & quidem Suar. diſp.41. ſect.1. num.2. tradit vniuerſalem hanc regulam, nullam irregularitatem manere poſt Baptiſmum, niſi eas, de quibus in iure ſufficienter conſtiterit. quæ aſſertio veriſſima eſt; ſed reſtat quærendum, quænam irregularitates 3

ex

ex Iuris decreto maneāt in baptizato propter actiones ante Baptiſmum ſuſceptas ; quare placet communis opinio Hoſtienſ. Ioan. Andr. Maiol. & ex parte Panormit. apud eundem Suar. eo loco, eam omnem irregularitatem, quæ ex peccato prouenit, impediri per Baptiſmum, quam regulam in noſtra propoſitione explicuimus & confirmauimus.

Primò igitur irregularitas ex homicidio, aut mutilatione impeditur per Baptiſmum, neque contrahitur niſi per homicidium à baptizato factum: ita contra Vgolin.cap. 56. §.7. num. 4. omnes DD. apud Henriq. lib. 15. cap. cap. 17. num. 2. litt. O. Sayr. lib. 7. cap. 13. num. 2. & alios; id enim apertiſſimè dicitur cap.ſi quis viduam, diſt. 50. quod refertur à Martin. Bracar. in ſua collectione; prohibetur enim à Clero, & ſi in illum irrepſerit, expellitur, *Qui poſt Baptiſmum præcepto, aut conſilio, aut aſſenſione*, (ita enim legendum eſt, vt ex codice Regio Lucenſi, & ex Anſelmo aliiſque conſtat, non verò defenſione, vti malè legit Gratian.) *homicidium conſcius commiſerit*, & quia Baptiſmus tollit omnia peccata, & pœnas ex illis conſequentes: irregularitas autem impoſita delicto pœnalis eſt, vti ſæpiùs diximus, ac proinde per Baptiſmum vnà cum omnibus aliis pœnis tolli debebit, immò verò cùm, vt dixi, irregularitas nequeat infligi homini non baptizato, & per Baptiſmum crimen, quod puniendum erat irregularitate, iam omninò fuerit expiatum, non poteſt puniri ab Eccleſia pœna irregularitatis; quæ eadem ratio valet in omni irregularitate pœnali, quæ nunquam infligi poterit propter crimen commiſſum ante Baptiſmum; quando verò crimina ſunt eiuſmodi, vt ante Baptiſmum committi non poſſint, vt violatio cenſuræ per exercitium ſacri Ordinis, aliáque alibi enumerata, ipſorum irregularitas impediri nequit per Baptiſmum, vt patet.

Consectarium II.

An irregularitas ex infamia iuris tollatur per Baptiſmum.

Secundò irregularitas ex infamia iuris per proprium delictum contracta tollitur per Baptiſmum. ita Sayr. loco cit. Sylu. verb. Baptiſmus, 6. quæſt. 2. Tabien. eod. verb. 8. q. 8. Angel. verb. Baptiſmus 7. num. 4. gloſſa in cap. ſine pœnitentia. de conſecrat. diſt. 4. Bonac. diſp. 7. q. 3. punct. 1. num. 6. contra Suar diſp 48. ſect. 2. num. 12. & Hurtad. diſp. 2. num. 64. & alios. Probatur autem noſtrum conſectarium; quia Baptiſmus aufert omnes pœnas peccatis, quæ delet, impoſitas à iure Eccleſiaſtico, quod poſtremum addo, quia non delet eas pœnas, quæ iure ciuili ſunt poſitæ; neque enim ſi fur, aut proditor patriæ damnatus ſit capite, aut viuicōburio, illa pœna eximetur, etiamſi conuettatur ad fidem, & baptizetur: at verò pœnæ iure canonico inflictæ, vti non obligant non baptizatos, ita neque eos afficiunt, vbi crimen puniendum deterſum eſt per Baptiſmum, ſicut neque iudex iure plecteret ſcelus commiſſum à non ſubdito, & ab eodem emendatum antequam eius ſubditus fieret; irregularitas igitur ſiue infamia contracta per peccatum Baptiſmo deterſum non permanebit in ordine ad irregularitatem, ſic enim Eccleſia puniret crimen

men à non ſubdito commiſſum etiam expiatum.

Dices, hinc tantùm oſtendi, infamiam canonicam non incurri propter tale delictum, quia neque ante Baptiſmum contrahi potuit, vt patet, neque poſt Baptiſmum, cùm, vt diximus, Eccleſia non puniat talia delicta ante Baptiſmum perpetrata; at verò infamia ciuilis manet poſt Baptiſmum, ſicut & aliæ pœnæ ciuiles: atqui infames iure ciuili ſunt irregulares, vt capite ſuperiori pluribus docuimus. Hic igitur qui manet ciuiliter infamis propter crimen ante Baptiſmum commiſſum, erit etiam irregularis.

Reſpondetur, infamiam ciuilem non inducere irregularitatem, niſi quatenus probatur iure Eccleſiaſtico, atque ex eius diſpoſitione fit canonica vniuerſali, aut peculiari lege; quia verò Eccleſia voluit omnes infames in foro ciuili, in ſuo quoque tales cenſeri; hinc fit vt omnis ciuiliter infamis, ſit etiam canonicè infamis, atque adeò irregularis; hæ duæ tamen infamiæ non ſunt neceſſariò connexæ, cùm oriantur à diuerſis principiis ac iuribus, atque alij ſint infames canonicè, qui non ſunt tales ciuiliter, & è contrario quædam infamia legibus ciuilibus inducta ſublata fuerit per Eccleſiaſticas, vt patet in ſecundis nuptiis; quamuis igitur quis remaneat infamis ciuiliter propter crimen ante Baptiſmum patratū, non tamen eſt irregularis, niſi ſit canonicè infamis, at talis non eſt; ſi enim Eccleſia illum infamem haberet, puniret peccatum à ſuo non ſubdito commiſſum & emendatum, antequam eius ſubditus euaderet, quod profectò iniquum foret: ſicut igitur illi reo aliam pœnam propter tale crimen imponere non poteſt, ita neque infamiam & conſequenter irregularitatem: at verò quia etiam non baptizatus eſt ſubditus Principi laico, ab illo plecti poteſt, & quamuis expiauerit ſuam noxam coram DEO per Baptiſmum & in foro poli, non tamen excuſſit pœnam ſibi in foro humano, & externo indictam; quare ſi iam poſita fuit, perſeuerat, aut ſi non fuit poſita, poni poterit à legitima poteſtate, quæ ſubditū plectit ſupplicio quod promeruit; quare mirū non eſt infamiam ciuilem contrahi ante Baptiſmum, & poſt illum perdurare, aut de nouo contrahi: infamiam verò canonicam neque antè, neque poſt Baptiſmum contrahi propter peccata ante Baptiſmum commiſſa; puniret enim Eccleſia crimen quod non eſt, neque vnquam fuit ſui iuris, aut fori. Quando itaque Eccleſia omnes infames à lege ciuili arcuit à ſacris Ordinibus, eo quòd puniat idem crimen ſimili infamia, loquitur de infamia impoſita à iure criminibus, quæ ipſa punire poteſt, qualia non ſunt, quæ ante Baptiſmum committuntur.

Hinc etiam videbis, cur infamia iuris non tollatur per pœnitentiam, & deleatur tamen per Baptiſmum, quia nimirum infamia verè fuerat in foro externo Eccleſiaſtico contracta, & in eo foro non expiatur peccatum, neque conſequētet eius pœna, quando in foro tantùm ſacramentali fit deletio peccati: quare poteſt Eccleſia punire tum ante, tum poſt pœnitentiam, peccatum ante pœnitentiam commiſſum, quod non fieri poſſe in Baptiſmo luculenter oſtendimus.

CONSECT

Consectarivm III.

An irregularitas ex bigamia tollatur per Baptiſmum.

5 Diximus in noſtra propoſitione vniuerſali, Baptiſmũ non tollere irregularitatem ex defectu inculpabili prouenientẽ, quia cùm non poſſit tollere eiuſmodi defectus, neque impediet ipſorum effectus & irregularitatem, quam vbi ſubiectum aptum fuerit, per Baptiſmum producet. Difficultas tamen eaque antiquiſſima eſt circa bigamiam, an irregularitas ex ea proueniens impediatur per Baptiſmum, ſiue quis duas vxores ante Baptiſmum duxerit, ſiue vnam ante, alteram poſt Baptiſmum; nam omnem hanc irregularitatem expungi per noui hominis in Baptiſmo generationem, exiſtimauit Hieronym. comm. in 1. epiſt. ad Timoth. 3. & cap. 1. ad Tit. vbi ait ſuperſtitioſius, quàm veriùs nõnullos putare eos, qui amiſſa, quam Gentiles habuerant, vxore, poſt Baptiſmum alteram duxiſſent in ſacerdotio, non legendos; & in priore Apologia ſub fin. ſed fuſiſſimè epiſt. ad Ocean. vbi pluribus contendit, Carterium Hiſpaniæ Epiſcopum, qui vnam antequam baptizaretur, alteram poſt lauacrum, priore mortua, duxerat vxorem, minimè fuiſſe contra Apoſtoli ſententiam, qui in catalogo virtutum, Epiſcopum vnius vxoris virum præceperit ordinãdum 1. ad Timoth. 3. teſtaturque mundum his ordinationibus plenum eſſe, tantúmque eſſe non modò eiuſmodi Presbyterorum & Clericorum inferioris gradus, ſed & Epiſcoporum numerum, vt Ariminẽſis Synodi multitudinem ſuperet. Rationem reddit Hieronym. quia Baptiſmus nouum hominem facit, & ex toto nouum creat, nihilque in eo veteris hominis reſeruatur; quare non poteſt nouo imputari quod in veteri quondam fuit. Ad Pauli verò ſententiam, de vnius vxoris viro in Epiſcopum eligendo 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. reſpondet ipſum loqui de fidelibus nõ Catechumenis, ſoli enim fideles eliguntur in Epiſcopum; vitia igitur Catechumeni non imputabuntur fideli: vehementiùs deinde vrget, ſi ſcortationes veteres non imputantur baptizato, multo minus coniugia imputanda eſſe. Hieronymo pauci quidam ſubinde Theologi adhæſere. Lyran. in 1. ad Timoth. cap. 3. Maiol. in 4 diſtinct. 27. quæſt. 6. Almain. ibid. diſtinct. 25. quæſt. 1. qui etiam Henric. Gandau. allegat.

Contrariam tamen ſententiam definiuit Innoc. I. ep. 2. cap. 3. & ep. 22. cap. 1. & ep. 24. cap. 6. eademque ſenſit Ambroſ. lib. 1. offic. cap. vlt. & ep. 82. quæ eſt ad Vercellen. vbi etiam allegat Canon. Nicænum. Auguſt. lib. de bono coniugali cap. 18. quibus præire viſus fuerat Tertull. lib. 1. ad vxorem, & in exhortatione ad caſtitatem; atque hanc poſteriorem ſententiam mãgno conſenſu ſequuti ſunt omnes deinde Theologi atque Canoniſtæ, quos numerare ſuperfluum foret, illos dabit Sayr. lib. 6. cap. 3. n. 23. videturque ex mente omninò Apoſtoli, quia, vt argumentatur Innoc & cæteri deinceps. *In Baptiſmo peccata dimittuntur, non vxorum numerus aboletur, cùm vxor legis præcepto ducatur, à Domino benedicatur, & præparetur.* Quòd ſi vxor ante Baptiſmum ducta non computatur; ergo nec filij ante Baptiſmum geniti pro filiis habeantur; quid igitur illis fiet, an in hæreditatis conſortium admittendi, an vt ſpurij reiiciendi erunt? Itâque argu

argumentum Hieronymi de efficacitate Baptiſmi ad dimittendas ſcortationes, atque adeò ad turpitudinem prioris cóiugij teiicitur ab Innoc. Ambroſ. & Auguſt. de Sacramento enim agitur, non de peccato. *Is igitur, qui ſingularem vxorum numerum exceſsit, non peccatum commiſit, ſed Sacramenti normam amiſit, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam,* inquit Auguſt. quia nimirum cùm etiam inter infideles ſint vera coniugia, per illius multiplicationem diuiſa fuit viri caro, vti ſuo loco fuit expoſitum, atque ita non poteſt ſuo matrimonio ſignificare illam vnitatem Chriſti cum Eccleſia, qui eſt vnicus vnicæ, & quamuis Hieronym. dicat hanc eſſe tergiuerſationem, & acumen omni piſtillo retuſius: id verum eſt de ſordibus, quas ex priori matrimonio remanere poſt Baptiſmum fingebat ſibi obiici ab illo Romano ſene, in quem agit. à quo etiam exiſtimabat Baptiſmi efficaciam minui, cùm tamen alia omnino ſit mens Eccleſiæ, quæ in iteratis coniugiis nullas ſordes agnoſcit, quandoquidem eam iterationem commendat, & idcircò negat ſolui, aut aboleri per Baptiſmum priora coniugia; ſed ſicuti in ea repetitione coniugiorum poſt Baptiſmum eſt aliquis defectus Sacramenti & vnitatis, ita & in iiſdem ante Baptiſmum reperitur; & ſanè non poteſt dici vnius vxoris vir, qui reuerà ſiue ante diarúfa:t; ſiue poſt Baptiſmũ, niſi dicas ante Baptiſmũ nulla fuiſſe coniugia, aut vxorem; neque ſi Hieronym. hunc Romanæ Eccleſiæ ſenſum eſſe intellexiſſet, illi repugnaſſet, cùm tota illa epiſtola ad Oceanum hoc vnum maximè contendat, Baptiſmum omnes ſordes abluere, & ex contraria ſententia ſequi, multo ſatius fore ſcortari ante Baptiſmum, quàm matrimonio iungi; vnde videas aliud omninò impugnare, quàm quod in noſtra ſentẽtia aſſerimus; & quanquam varias verborum Pauli expoſitiones attulerit, vt eius vim eluderet, aut infringeret, eas tamen ſe minimè probare ſatis oſtendit, cùm ſub finem diſputationis addit. *Hæc omnia proferimus, non quo veræ & ſimplici intelligentiæ reſiſtamus, ſed vt doceamus te Scripturas ſanctas ſic intelligere, vt ſcripta ſunt, nec euacuare Baptiſmum Saluatoris, & totum patibuli Sacramentum irritum facere.*

Quàm verò nihil Baptiſmo detrahat communis ſententia, iam ſatis docuimus. Denique neque ſuæ opinioni ita Hieronymum adhæſiſſe, vt contrariam damnaret, ipſemet fatetur ſub fin. prioris Apologiæ. *Audio,* inquit, *mihi obiici, cur in Baptiſmate dixerim mortuo bimarito nouum virum in Chriſto reſurgere, & iſtiuſmodi Sacerdotes in Eccleſiis eſſe nonnullos. Nos à fratribus interrogati, quid nobis videretur? reſpondimus, nulli præiudicantes ſequi quid velit, nec alterius decretum noſtra ſententia ſubuertentes.* Quare nondum ea ætate erat iſta quæſtio definita.

Ex his porrò omnibus vides ad hãc irregularitatem parum intereſſe quòd quis vnam vxorem duxerit ante Baptiſmum, alteram verò ea mortua poſt Baptiſmum, aut vtramque nondum baptizatus; quanquam de priori maximè quæſtione loquatur Hieronym. Innoc. aliique PP. Nam etiam de poſteriori perſpicuè agit Ambroſ. & Innoc ep. 22. & ep. 1. cap. 5. & 6. quia licèt homini baptizato ferat legẽ Eccleſia, cùm tamen ille reuerà ſit bigamus, ob contracta plura matrimonia, ante Baptiſmum poteſt arceri à Sacris, non in pœnam iterati matrimonij, ſed quia caret aliqua conditione, quam in ſuis miniſtris exigit Eccleſia; non fuit quidem Sacramentum tale matrimo-

nium

nium à non baptizato celebratum, ſed Eccleſia id non conſiderat, ſed ſignificationem matrimonij ex diuina inſtitutione primum facta ad exprimendam Chriſti & Eccleſiæ connubialem coniunctionem, quam iteratum coniugium perfectè non delineat.

Dices. Can. 17. Apoſt. qui μετὰ τὸ βάπτισμα δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς, fuerit duobus coniugiis implicitus à Clero reiicitur, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. ergo qui ante Baptiſma bigamus fuerit, non reiiciebatur, quod fatetur Balſam. in ſcholiis. Reſpondeo primò cum Suar. diſp 49. de cenſur. ſect. 6. n. 15. ita quidem ſancitum fuiſſe initio, ſed deinde contrario vſu derogatum fuiſſe huic legi; vnde Balſam. teſtatur pleroſque lectores digamos in ſuis gradibus perſeueraſſe per Archiepiſcopalia pittacia, contra quàm iuberet hic canon, & ſanè conſtat fornicationem non reddere irregularem, vt tamen videtur dicere hic Canon Apoſtolicus.

Reſpondent ſecundò aliqui, hunc canonem agere de eo, qui duobus coniugiis per ſummum nefas ſimul fuerit implicitus; itáque mihi videntur interpretati Balſam. & Zonar. cùm rationem huius legis reddunt ex eo, quòd Baptiſma omnes ſordes peccatorum eluat; quare ſi quis duplici illicito cõiugio, aut fornicatione peccauerit, Baptiſmo expiabitur. Deinde fornicatio cum gemino illo connubio plectitur eadem pœna in illo canone; quare non benè verterit ex Græco, *Qui ſecundis nuptiis fuerit copulatus.* Dionyſ. Exiguus in ſuo Codice, quo etiam ſenſu can. 3. Næocæſar. eorum qui in plures nuptias inciderunt, tempus pœnitentiæ definitum eſſe dixit, περὶ τῶν πλείστοις γάμοις περιπιπτόντων, atque repetitis nuptiis cùm licita ſint, nulla potuit imponi pœnitentia: loquitur igitur hic canon de irregularitate, qua plectitur polygamia, ſicut & fornicatio, non autem de bigamia, vt eam modò ſumimus.

Hæc tamen reſponſio minimè probatur, quia reuerà iterata illa coniugia ita permittebantur ab Eccleſia, vt tamen eo quòd non leue afferrent incontinentiæ ſignum, aliqua pœna punirentur; vnde Baſil. ep. ad Amphiloch. can. 4. ait, eam repetitam coniunctionem non appellari nuptias, ſed polygamiam, aut potiùs caſtigatam fornicationem, πορνείαν κεκολασμένην, hoc eſt, vt interpretatur ibi Balſam. fornicationem non quidem effuſam & vagantem indifferenter ad plures, οὐκ ἐγκεχυμένην καὶ ἀδιάφορον, ſed contractam ad vnam mulierem, ἀλλὰ συνεσταλμένην καὶ περιγεγραμμένην ἐν μιᾷ γυναικί. vnde digami, bigami & quadrigami aliquandiu ſegregabantur, vt ibidem ait Baſil. quã etiam in rem plurima ſanciuit, Conſtantin. Porphyro genitus, in tomo vnionis an. 6429. indictione 9. vt latè refert Balſam. loco cit. de quibus cõmodiùs alibi dicemus. Cùm igitur iteratæ iſtæ nuptiæ ſegregatione aliáve pœna punirentur, nihil mirum eſt, ſi PP. Neocæſarienſes aliquod Pœnitentiæ tempus illis præfiniuerint, qui etiam can. 7. illis nuptiis vetuerunt intereſſe Presbyterum. Laodic. etiam Synod. can. 1. vult digamos vacare ieiuniis & orationibus breui aliquo tempore, illíſque deinde communionem reddi, modò palàm matrimonia celebrarint, & non clandeſtina coniugia iniuerint, μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντες, quia nempe ſi prius clam duxere vxores, cum iiſque ſunt fornicati, etiamſi deinde legitimè alias ducant, puniuntur tamen vt fornicatores, interprete Balſamone Ex his igitur aliíſque ſimilibus conſtat ſecundas & tertias nu-

ptias non ſine aliqua nota initas fuiſſe, neque mirum eſſe ſi à canone illo Apoſtolico citato damnentur irregularitate; quare nihil omninò ſuadere poteſt digamiam in eo Canone ſumi pro pluribus coniugiis ſimul ſuſceptis. Quamuis autem Canon meminerit tantùm iterati coniugij poſt Baptiſmum, non idcircò tamen dicit, eam iterationem à non baptizato factum, non prohibere à Clero, quia quæſtio tantùm erat de baptizatis: quanquam non diffitear PP. interdum meminiſſe cuiuſdam digamiæ damnatæ ab Eccleſia, qua quis duas vxores ſimul habet, aut vni repudiatæ alteram ſuperinduxit, de quibus bigamis Boſquet. in notis ad epiſt.118. lib.4. Regiſtri. Innoc. III. interpretatur τῶν διγάμων ὅρον. cuius meminit can. 19. Ancyran. eoſdemque cum iis, qui in perſecutione lapſi fuerant, comparari à Nicæna Synodo, quæ iubet can. 8. Catharos ad Eccleſiam redeuntes ſpondere communicaturos cum bigamis & lapſis; nihil tamen eſt quod ita interpretari eos canones nos cogat, cùm etiam bigamiæ licitæ imponeretur aliqua pœnitentia, vti diximus, & Cathari damnarent ſecundas nuptias, & æquè communicationem bigamorum atque lapſorum horrerent, qua de cauſa iure damnantur à ſacra Synodo.

Ad extremum moneo hanc bigamiam impropriam, quæ oritur ex eo quòd aliquis viuente prima coniuge aliam inualidè duxerit, cùm ſit bigamia ex peccato, & non ex defectu ſignificationis, vti fusè ſuo loco oſtenſum fuit, tolli per Baptiſmum, vti aduertit Auila 7. part. diſput.10. dub. 2. concl. 3. & Henriq. lib. 14. cap.17. num.1. litt. L. quia irregularitas ex delicto traditur per Baptiſmum.

Consectarium IV.

An irregularitas ex defectu lenitatis tollatur per Baptiſmum?

EX vniuerſaliſſima noſtra propoſitione ſequi omninò videtur, 6
hanc irregularitatem, quæ ex homicidio iuſto & licito naſcitur, manere poſt Baptiſmum, qui tollit peccata, non alios defectus; cùm igitur illa minor manſuetudo contracta per iuſtum homicidium à iudice, aut milite, aliòve quopiam maneat poſt Baptiſmum, pariet irregularitatem in iam baptizato, eadem prorſus ratione, atque ſi à baptizato contracta fuiſſet, atque ita exiſtimauit Hurtad. diſp.2. num.63. Communior tamen ſententia contraria eſt Sayr. lib. 6. cap 16. num.1. & lib.7. cap.15. n.2. Henriq. lib 14. cap.17. num.2. Bonac. diſp.7. quæſt.4. punct.1. num.2. Auila 7. part. diſp.10. dub.2 con. 4. Tabien. verb. Baptiſmus 8. quæſt.1. & verb. Bigamia. §.6. & verb. Irregularitas 5. §.11. Couarr. in Clem. ſi furioſus. part. 1. §.2. n.5. Suar. diſp.44. ſect.3. n.3.

Ratio eſt, quia iura non imponunt irregularitatem ex occiſione iuſta, aut iniuſta, niſi baptizatis; quare licèt veriſſimum ſit, manſuetudinis defectum propter homicidium commiſſum à non baptizato, perſeuerare deinde in baptizato, quia tamen noluit Eccleſia habere rationem illius defectus, niſi à baptizato fuerit contractus, idcircò non pariet irregularitatem, ſicuti pariunt cæteri defectus, vbi primum ſubiectum, in quo ſunt, fit capax irregularitatis per Baptiſmum. Manet itaque vera noſtra vniuerſalis propoſitio, à qua peculiari iuris

iutis diſpoſitione ex cap. ſi quis viduam. d. 50. & cap. ſi quis poſt Baptiſmum. d. 51. defectus lenitatis excipitur.

QVÆSTIO III.

An Profeſſio religioſa deleat irregularitatem?

Propoſitio. num. 1.
Expoſitio & confirmatio propoſitionis. num. 2.
Profeſſio religioſa non tollit irregularitatem ex ſua natura. ibid.
Neque ex iure communi, aut conſuetudine. num. 3.
Quænam irregularitates tollantur ex peculiari iure per Profeſſionem religioſam. num. 4.
Conſectarium primum. An per quemlibet ingreſſum Religionis tollatur irregularitas illegitimitatis. n. 5.
Conſectarium ſecundum. An irregularitas illegitimitatis per ingreſſum Religionis extincta reuiuiſcat aliquando. num. 6.
Conſectarium tertium. An illegitimus factus Religioſus poſſit licite vti Ordinibus ante Religionem illicitè ſuſceptis. num. 7.
Conſectarium quartum. An Religioſus illegitimus egeat diſpenſatione ad obtinendas prælaturas. num. 8.
Conſectarium quintum. An illegitimi Religioſi poſſint obtinere beneficium abſque noua natalium diſpenſatione. num. 9.
Conſectarium ſextum. An Religioſa impediatur ex natalium defectu, ne in Abbatiſſam, aut Prioriſſam eligi poſſit.

COnuerſationis monachalis vita, inquit Iuſtinian. nouella 5. *ſic eſt honeſta, ſi commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat; purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, & plurima ſecundùm mentem operantem & humanis cogitationibus celſiorem.* Cùm igitur religioſa Profeſſio, teſte Iuſtiniano, detergat omnem humanam maculam, irregularitatem quoque, quæ macula quædam eſt, omninò delebit.

PROPOSITIO.

DIco nihilominus Profeſſionem religioſam nullam ex ſua natura & vi ſuæ inſtitutionis, aut ex probata vniuerſali conſuetudine, ac ſecluſo priuilegio auferre irregularitatem, niſi illam, de qua ius commune expreſsè id ſtatuit. cuiuſmodi tantùm eſt defectus natalium quoad Ordines, & infamia ex delicto paterno. 1

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

NEgo imprimis religioſam Profeſſionem habere ex ſua natura vim tollendi vllam irregularitatē, contra Rodriq qui tom. 1. qq. RR. q. 13. art. 5. exiſtimat defectum natalium tolli iure diuino per Profeſſionem religioſam, citátque celebrem, vti appellat, gloſſam in cap. cùm deputati, ſub fin. de iudiciis. Verùm ea gloſſa non meminit iuris diuini, probat deinde Rodriq. quia profeſſio ſoluit iure diuino vinculum matrimonij rati, eodem iure etiam tollet irregularitatem. Verùm neque hanc, neque alias rationes quę adduci poſſent, demonſtratiuas eſſe, ſed tantùm topicas, fatetur Rodriq. & mihi nulla ratione probabiles ſunt, cùm quidquid ſit de illo antecedente, an Profeſſio re- 2

ligioſa habeat ex iure diuino, vt matrimonium ratum diſſoluat, falsò omninò inde colligatur, eodem iure auferre irregularitatẽ, ſiue illegitimatis, ſiue aliam quampiam, cùm ex vno effectu nulla ſit ad alium illatio, aut connexio. Nullibi autem extat hoc diuinum ius, neque natura religioſæ Profeſſionis id fert, vt ſtatim apparet; mancipatio enim illa ſolemnis cohærere rectè poteſt cum irregularitate, & cum defectu natalium; quare illegitimi neque ex natura rei, neque ex iure communi impediuntur in Religione profiteri, quod ipſum conceditur cæteris quoque irregularibus, ſi ſola irregularitas attendatur.

3 Negaui ſecundò Profeſſionem religioſam, ſiue ex iure communi, ſiue ex recepta conſuetudine tollere omnem irregularitatem contra gloſſ. cit. in cap. cùm deputati, in fin. de iudiciis, vbi allegat cap. non liceat 19. q. vlt. ſed imprimis ibi tantùm dicitur Monachos non poſſe exheredari à parentibus, etiamſi dum laici eſſent in cauſam ingratitudinis incidiſſẽt; inde verò ineptè colligitur, Monachiſmum delere omnem irregularitatem, quia vitium ingratitudinis & cauſam exhæredationis ex ea natam abolet. Deinde hæc ſanctio ciuilis tantùm eſt deſumpta ex Nou. 123. cap. 41.] quanquam verba Gratiani habeatur in Epitome Iuliani anteceſſ. in ead Nou. cap. 59. & 60. Non eſt autem laicæ poteſtatis quidquam de irregularitate eiúſve relaxatione ſtatuere, qua ſimili ratione reiicias, quod ead. gloſſa refert ex Nouell. 5. initio à nobis adducta, quæ malè perſuaſit quibuſdam apud Nauarr. in cap. non dicatis 12. q. 1. n. 60. Monachum ab omni irregularitate etiam homicidij & bigamiæ abſtergi, quod Nau. ibid. aliíque refellunt; quia ea conſtitutio ciuilis tantùm eſt, neque vim obtinere poteſt circa irregularitatem, cuius etiam non meminit, ſed maculæ duntaxat, quæ ciuilis accipienda eſt; quanquam neque omnis macula iuris Ciuilis eluitur per Profeſſionem religioſam, vt dicemus inferiùs. Cùm igitur nihil ſit in iure communi vnde hic effectus Profeſſionis religioſæ colligatur, immò potiùs contrarium; exceptio enim firmat regulam in contrarium, & ius ſtatuat ex quodam fauore Religionis, vt eius Profeſſio tollat defectum nataliũ quoad Ordines, ſatis ſupérque indicat, neque ex ſua natura, neque ex iuris vniuerſali diſpoſitione habere vim omnem irregularitatem auferendi.

Venio ad receptam conſuetudinem, ad quam recurrit Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 3. ait enim vſu receptum eſſe, vt omnis irregularitas, præterquam bigamiæ & homicidij voluntarij, extinguatur Profeſſione religioſa, verùm cùm nullus alius de illo vſu teſtetur, incertus omninò eſt: quare Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 10. & alij opinionem Soti improbant.

Ex his ſequitur tertia pars noſtræ propoſitionis, nimirum Profeſſionem religioſam nullam aliam auferre irregularitatem, quàm eam, de qua id expreſsè ſtatuitur à iure; cùm enim hanc vim non habeat Profeſſio ex ſua natura, aut inſtitutione, neque ex iure communi ſcripto, aut conſuetudinario, id omninò habere neceſſe eſt ex peculiari aliqua iuris diſpoſitione, quæ extra caſus expreſſos non extenditur, maximè quando regulæ generales iuris ſunt in contrarium.

4 Poſtremò dixi in iure cõmuni duas tantùm irregularitates deleri per Profeſſionem religioſam, quia de cæteris omnibus tacet, quamuis fateantur paſſim DD. illarum diſpenſationem

facilio

faciliorem multò reddi profeſſionem eiuſmodi.

Duæ porrò illæ irregularitates, quæ ex iure communi per ingreſſum Religionis abſterguntur, ſunt primò defectus natalium, ita enim ex Conc. Pictau. deciditur cap. 1. de filiis Presbyterorum, ibi enim filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ordinari prohibentur, niſi fiant Monachi, vel viuant regulariter in Congregatione canonica; vnde iure merito collegerunt omnes DD. illegitimum per Religionis ingreſſum aptum fieri ad omnes Ordines ſuſcipiendos, abſque vlla alia noua indulgentia, aut diſpenſatione: & quamuis Sixtus V. in Motu proprio reddiderit illegitimos inhabiles ad Religionis ingreſſum, atque ita vetus ius antiquarit, eam tamen conſtitutionem Sixti Gregorius deinde XIV. an. 1591. ad terminos iuris communis reduxit, vti teſtantur Azor 1. p. lib. 12. cap. 3. q. 8. Rodriq. tom. 1. qq. Regula. q. 13. art. 3. Suar. diſp. 50. de cenſur. ſect. 5. n. 12. & alij, malè verò Anton. de de Roſel. lib. 3. de legitimat. ſub fin. hoc priuilegium Religioni factum limitauit ad filios naturales, excluſis ſpuriis, cùm & cap. cit. & Gregor. VII. cap 1. loquantur de filiis Presbyterorum, illegitimis ſcilicet, neque enim dubium eſt, quin legitimi ordinari poſſint; atqui illegitimi filij Presbyterorum, ſi à Patre Sacerdote ſuſcepti fuerint, ſunt ſpurij atque ex damnato concubitu. Et denique cùm ipſa rubrica agat de filiis illegitimis abſolutè, itáque DD. omnes intellexerint, non eſt cur adhibeatur limitatio ad filios naturales. Ratio verò, propter quam id priuilegium conceſſum fuerit Religioni, petenda eſt ex eo, quòd non ſit periculum in Religione, ne filius illegitimus paternam incontinentiam imitetur, propter quam cauſam illegitimus ordinari prohibetur. cap. litteras 14. de filiis Presbyter.

Altera irregularitas quæ tollitur per Profeſſionem religioſam eſt ea, quæ oritur ex infamia propter crimen paternum. ita Sayr. lib. 7. cap. 13. num. 9. & gloſſa in cap. 1. de filiis presbyter. dum ait irregularitatem ex alieno delicto ortam, tolli per ingreſſum Religionis: quamuis autem nullibi ſit textus expreſſus, quia tamen vix eſt vlla infamia, quæ ob crimen alienum faciat irregularem, præter defectum natalium, vt conſtat ex cap. 5. quæſt. vlt. propoſ. 3. & conſect. 3. & defectus nataliū abſtergatur Profeſſione religioſa, iure merito dicitur irregularitatem ex infamia delicti paterni per eam profeſſionem deleri.

Deinde cùm ſi quæ ſit eiuſmodi irregularitas, illa oriatur ex infamia iure ciuili poſita, vt videmus in filiis reorum violatæ Maieſtatis, & omnis infamia ciuilis deleatur per Monachiſmi conuerſationem, vti dicebat Iuſtinian. Nouella initio relata. Ceſſat quoque irregularitas, quæ nullam aliam cauſam habebat, quàm eiuſmodi infamiam, vti diximus q. 1. conſect. 3. & 4.

Consectarivm I.

An per quemlibet ingreſſum Religionis tollatur irregularitas illegitimitatis?

NON modò Profeſſionem religioſam, ſed quemlibet alium 5
in eam ingreſſum, ſiue per ſuſceptionem habitus in Nouitiatu, ſiue per educationem in Religione, quæ ex veteri

veteri more ſolebat durare triennio, antequam indueretur religioſus habitus ex conſtitutione Bonifacij cap. ſi quis incognitus 17. q. 2. Defectum natalium purgari exiſtimauit Roder, tom. 1. qq. Regul. q. 13. art. 4. atque etiam Ioan. de Bobodilla in Enchiridio MS. apud Mirand. tom. 1. Manual. Prælato. q. 25. art. 10. vbi & alios doctiſſimos viros idem voluiſſe teſtatur; quibus & nouiſſimè acceſſit Hieron. Rodriq. in compend. qq. Regula. reſolut. 76. n. 7. probant quia cap. 1. de filiis Presbyter. illegitimi non poſſunt ordinari, niſi vel fiant Monachi, vel in congregatione canonica regulariter viuant; atqui Nouitij cenſentur Monachi in fauorabilibus; deinde particula, vel, diſiunctiua, quæ eſt in cap. cit. ſatis indicat, requiri ad licitam illegitimi ordinationem, vt Monachus fiat, vel vt regulariter viuat in congregatione canonica; modò igitur iſte illegitimus viuat regulariter in congregatione canonica; licitè ordinabitur, etiamſi nondum ſit Monachus, quod ipſum ſatis indicat Vrban. II cap 1. diſt. 56. dum ad eandem ordinationem requirit, vt iſti illegitimi in cœnobiis, aut in canonica aliqua Religione fuerint probati, quæ probatio tum tempore educationis, tum nouitiatus nondum emiſſa Profeſſione intelligi rectè poteſt; quibus accedit author, qui ſummauit cap. 1. de filiis. *Illegitimus*, inquit, *non ordinatur, niſi vt Religioſus fiat*; ergo dum ingreditur Religionem, iam legitimatur, vt poſſit fieri Religioſus.

Hæc tamen omnia leuiora mihi videntur, quàm vt impugnare poſſint communem ſententiam cæterorum DD. quos dabunt Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 5. n. 22. & Barboſa in Collectan. in cap. cit. de filiis presbyteror. quibus acceſſit Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp. 2. p. 8. n. 10. Miran. tom. 1. manu. Prælat. q. 25. art. 10 & alij. Et ſanè cùm tota iſta diſputatio pendeat ex intelligentia iuris, quod Religioni fauet in hac parte, videndum eſt, quid eius verba ferant. Duo porrò habemus decreta de hac re, primū eſt Vrban. II. in Conc. Claramont. vbi can. 11. in editione Binij ſic habet. *Vt nulli filij concubinarum ad Ordines, vel aliquos honores Eccleſiaſticos promoueantur, niſi monachaliter, vel canonicè vixerint in Eccleſia.* & can. 25. *Ne filij Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, Canonicorum ad Ordines, vel alios honores Eccleſiaſticos promoueātur, niſi Monachus, vel Canonicus fuerit.* quæ verba ſatis indicant non ſufficere ad licitam iſtam promotionem, quemcunque ingreſſum Religionis, ſed requiri illum, per quem quis fiat Monachus, aut Canonicus, quod non fit niſi ſola profeſſione: illa autem particula diſiunctiua nihil aliud oſtendit quàm Profeſſionem in Religione Monachorum, aut Canonicorum ſufficere; quod etiam clariùs exprimitur in Canonibus, quos Belleforeſtius ex codice S. Dionyſ. excerpſiſſe ſe teſtatur, quos ex verſione Gallica ex eiuſdem Belleforeſtij latinè donauit Setar. *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis ſuſceptos liberos ad presbyteratus gradum prouehi liceret, niſi in aliquo Monaſterio Religionem profeſſi eſſent.* Quid clarius dici potuit; aliud decretum continetur cap. 1. de filiis presbyterorum. quod à Paſchali II. in Conc. 1. Pictaui, cuius Canones ex Codice Vaticano refert Baron. an. 1100. n. 22. editum reperitur, vbi idem omninò cauetur, quod in Conc. Claramont. ab Vrbano II. cum aliqua tamen limitatione, de qua

in 3. conſect. dicam. Particula porrò disiunctiua, aut, omittitur in Barcinon. codice, vti obſeruat Anton. Aug. in notis ad primam collect. lib. 1. tit. 9. in cap. 1. ſed legitur, *niſi Monachi fiant in Congregatione canonica viuentes*; & licet dicatur in Gregor. *vel in canonicæ Congregatione viuant regulariter*, id nihil aliud deſignabit, vt dixi, quàm vt vel Monachi, vel Canonici Regulares fiant. Ingreſſus denique in Religionem non dicitur propriè, cùm quis per Profeſſionem illam ingreditur, vti obſeruat Couarr. in Clem. ſi furioſus 1. part. §. 2. n. 6.

Ex his autem manifeſtè ſequitur per vota ſimplicia, quæ exacto biennio Nouitiatus fiũt in Societate Iesv, hãc irregularitatem ex Natalibus tolli, vti obſeruant Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 5. n. 13. Ferdin. punct. 8. cit. n. 11. Laym. lib. 4 tr. 5. c. 10. n. 4 Barboſ. in collectan. ad cap. 1. de filiis Preſbyter. Ratio manifeſta videtur, quia per ea vota ſimplicia ſimus verè Religioſi, quod vnum poſtulabant Vrban. & Paſchal. quos omnes quidem DD. ferè de Profeſſione fuerant interpretati, quia id temporis non erat alius modus, quo quis fieret Religioſus; nunc autem cùm iure nouo ex conſtitutione Gregorij XIII. per hæc vota ſimplicia fiant verè Religioſi, reuerà illegitimi, qui ipſa emiſerint, non manebunt irregulares.

Consectarivm II.

An irregularitas illegitimitatis per ingreſſum Religionis extincta reuiuiſcat, ſiue an illegitimi à Religione dimiſsi reincidant in irregularitatem?

Religioſus poteſt tribus modis à Religione dimitti. Primò per annullatam eius profeſſionem. Secundò, quia eiicitur à Religione. Tertiò, quia cum illo diſpenſatur, quod frequentiùs fit in Societate Iesv, in qua qui vota ſimplicia emiſerunt, etiamſi ſint verè Religioſi, dimitti poſsũt à Superiore iuſtis de cauſis, atque à ſuis votis abſolui; quæritur igitur, an ſi Religioſus laborans defectu Natalium dimittatur à Religione aliquo ex his modis, reincidat in Natalium irregularitatem, an verò poſſit ad Ordines promoueri, aut in illis iam ſuſceptis miniſtrare abſque noua diſpenſatione.

Quod attinet ad primam quæſtionem, an annullata Profeſſione per ſententiam iudicis irregularitas reuiuiſcat, illam à nemine hactenus tractatam eſſe dixit Ricci. in praxi aurea reſolut. 311. Ipſe verò omninò aſſerit redire hanc irregularitatem, quod docuit etiam deinceps Barboſa in collectan. cap. cit. num. 9. & lib. 1. de iure Eccleſiaſt. cap. 42. num. 191. & Diana 4. part. tract. 2. reſolut. 66. contra Perin. tom. 2. Prælat. Religio. quæſt. 2. cap. 5. §. 9. num. 149. Ratio manifeſta eſt ex dictis, quia irregularitas non tollitur per quemcunque Religionis ingreſſum, ſed per ſolam Profeſſionem, aut vota per quę quis fiat verè Religioſus: at Profeſſio, quam à iudice annullatam iure fuiſſe ſupponimus, tanquam vi ac metu factam, aut alia quapiam de cauſa irritam, nunquam fuit vera Profeſſio, neque conſtituit Religioſum illum, qui ipſam emiſerat; non potuit igitur habere effectus veræ Profeſſionis, ac proinde nunquam eam irregularitatem extinxerat, ſed extinxiſſe putabatur, quia exiſtimabatur vera eſſe Profeſſio.

Secundò, quod attinet ad Profeſſos eiectos ab Ordine propter delicta ſua,

cùm ipſi maneant verè Religioſi, & ſuis votis ligati, mirum non eſt, quòd gaudeant adhuc aliquibus priuilegiis Religioni in fauorem ipſiuſmet ſtatus, quem iſti adhuc retinent, conceſſis, & quòd Profeſſio religioſa adhuc ſuos effectus habeat in ipſis; quare liberos eſſe ab irregularitate iure merito pronunciant Sanch. cap. 5. cit. num. 14. Dian. reſol. cit. Perin. loco etiam adducto num. 199. affert tamen Diana declarat. Cardinal. 21. Septembr. 1624. qua eiecti à Religione perpetuò ſuſpenduntur ab exercitio Ordinum, & tollitur Ordinariis facultas eam ſuſpenſionem laxandi.

Tertia itaque difficultas eſt circa eos, qui votis liberi dimittuntur à Societate Iesv, & fiunt verè ſæculares, hos enim Sanch. Layman Ferdinand. Barboſa locis cit. Sanctar. varia. reſol. q. 39. n. 4. & alij exiſtimāt non reincidere in irregularitatem. Primò, quia iura, quæ cōcedunt, hanc irregularitatē deleri per Religionis ingreſſū, ſilent omninò de iſta reincidentia, quam idcircò gratis aſſereremus. Secundò, quia malè aduerſarij argumentantur ex reincidentre in cenſuras, à quibus fuerat per ingreſſum Religionis abſolutus; nam erat tantùm illi impenſa ea abſolutio in Ordine ad Profeſſionem, quam cùm emiſerit deſerta Religione, mirum videri non debet, ſi iiſdem cenſuris denuò ſubiaceat. Quare ſi per Nouitiatus ingreſſum deleretur irregularitas, exiſtimarem cum Rod. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 13. art 4. illam deſerta Religione redire, quidquid ſentiat in contrarium Sanchez cap. 5. cit. numero 11.

At verò ſicut cenſuræ, à quibus Religioſus fuit abſolutus, non redeunt deſerta Religione, ita neque redibit irregularitas. Tertiò denique, quia cauſa, propter quam facta eſt iſta venia, ſemper manet, nempe præmium actus heroici, quo ſæculo renuntiauit per religionem, & quamuis modò ipſe recidat, non tamen debet carere præmio ſuo prior ille actus, aut quod tunc fuit collatum in præmium, auferri oportet.

Turrian. nihilominus de cenſur. lib. 9. diſp. 71. dub. 2. cui adhæſit Diana reſolut. 66. citata, exiſtimauit iſtos reincidere in irregularitatem, quod etiam pluribus oſtendit Hieron. Rodriq. in compend. qq. regular. reſolut. 76. num. 7. quia cùm iſti fiant merè ſæculares, non apparet quomodo Profeſſio, aut vota religioſa, quibus omninò liberi manent, quidquam operentur in illis, & gaudeant priuilegiis Religionis; itaque conſulerem iſtis, ſi nullos Ordines adhuc ſuſcepiſſent, petere diſpenſationem, quanquam & contraria ſententia tuta ſit, & probabilis.

Consectarivm III.

An illegitimus Religioſus factus poſſit liberè vti Ordinibus ante Religionem illicitè ſuſceptis?

Reſpondetur poſſe, quod tradunt Barboſ. Sanch. Ferdinand. Layman. & alij paſſim locis citatis, contra Angles in florib. 1. part. q. de Sacram. Ordin. art. 4. diffic. 1. concl. 5. & Sayr. lib. 7. cap. 13. n. 10. qui negant illegitimum illicitè ordinatum poſſe vti ſuis Ordinibus abſque diſpenſatione, etiam vbi Religionem profeſſus fuit, quia in decretis allatis, quibus conceditur Religioni hoc priuilegium, agitur tantùm de promotio- 7

ne

ne ad Ordines; priuilegia verò quoties pugnant cum iure communi, ſtrictè interpretanda ſunt. Verùm cùm ea iura irregularitatem ortam ex illegitimis natalibus abſolutè tollant, quod apertè indicat appoſita expoſitio de promotione ad prælaturas, non eſt cur ad ſolam ſuſceptionem Ordinum eam facultatem reſtringamus, maximè quia difficilior eſt diſpenſatio ad promotionem Ordinum, quàm ad vſum: at hæc poſterior includitur in priori, ſicut etiam prohibitio vſus Ordinum non fit, niſi conſequenter ad prohibitam eorum ſuſceptionem.

Consectarivm IV.

An Religioſus illegitimus indigeat diſpenſatione ad obtinendas Prælaturas.

8 Reſpondetur, attento iure communi hunc Religioſum indigere Pontificia diſpenſatione, vt fiat Prælatus, ſiue in Religione, ſiue extra illam. ita DD. laudati, quos enumerat Barboſa locis cit. quibuſque cæteri recentiores adhæſerunt apud Dian. reſolut. 65. contra Roderiq. quæſt. 13. art. 5. tom. 1. qq. regular. quia licèt Vrban. II. in decretis allatis conſ. 1. permittat Religioſos illegitimos promoueri ad Ordines Eccleſiaſticos: Paſchalis tamen II. in Conc. Pictauienſ. limitauit eam facultatem, & apertis verbis excipit Prælaturas, quas ab illis obtineri noluit abſque peculiari venia. *Prælationes verò*, inquit, *nullatenus habeant*, quæ particula *nullatenus*, actum contrarium inualidum facit, vti diximus alibi. In tam aperto igitur iure nihil eſt quod vlterius impugnanda contraria ſententia immoremur.

Obſeruat nihilominus Villalob. tract. 13. diffic. 60. num. 6. & Portell. verb. illegitimus, num. 9. Eugenium IV. conceſſiſſe Patribus Congregationis S. Ioannis Euangeliſtæ in Luſitania, eorúmque Conuētui S. Gregorij in Allega, vt Profeſſus apud illos cum defectu natalium ea ipſo ſit diſpenſatus, non modò ad Ordines, ſed etiam ad Prioratus, Præpoſituras & Rectorias eiuſdem Ordinis; quare videtint, an qui illorum priuilegiis communicant, poſſint hac venia gaudere.

Consectarivm V.

An illegitimi Religioſi poſſint obtinere Beneficium abſque noua Natalium diſpenſatione?

Reſpondetur, omnia beneficia ſiue ſimplicia, ſiue curata, ab his Religioſis obtineri poſſe, modò illa non ſint Prælaturæ. Eſt primò contra Suar. diſp. 50. de cenſur. ſect. 5. num 5. qui facit hos Religioſos incapaces beneficij cuiuſcunque, etiam ſimplicis, quia per Religionem illegitimi fiunt tantùm habiles ad Ordines: manent igitur inhabiles ad alia omnia ſicuti priùs; quòd verò Pontifex excluſerit dignitates & Prælaturas, id tantùm fecit tollendi dubij cauſa, non autem quod ad cætera omnia, prærerquam ad prælationes habilitarit. 9

Secundò, pugnamus contra Nauarr. conſil. 6. de filiis preſbyter. Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 5. numero 16. Sanctarell. variar. reſolut. quæſt. 40. num. 1. Tambutin. tom. 1.

de iure Abbat. diſp. 5. quæſt. 14. n.1. Barboſa in collectan. cap. 1. de filiis preſbyter. & lib. 1. de iure Eccleſ. cap. 52. num. 195. Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 8. ſub fin. qui negant beneficia manualia curata. Sequitur tamen Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp. 2. punct. 8. num. 9. qui noſtram ſententiam in rigore iuris veriorem eſſe dixit, quamuis ſententia Nauarri, vtpote communis, in praxi ſequenda ſit, de qua diſtinctione aliàs egimus.

Nunc verò ex hactenus diſputatis manifeſtò noſtri conſectarij veritas elucеſcit, nam cùm Vrban. II. in Conc. Claromont. voluerit illegitimos factos Religioſos promoueri ad omnes honores Eccleſiaſticos & Ordines, vti retulimus, & deinde Paſchal. II. in Conc. Pictau. exceperit duntaxat Prælationes, omninò relinquitur illegitimum per Profeſſionem religioſam manere habilem ad omnia munia Eccleſiaſtica, atque omnia beneficia Regularia ſiue ſimplicia, ſiue non ſimplicia, & curam animarum habentia, modò non habeant neceſſariò annexam prælationem.

Dices, Paulum III. conceſſiſſe Hieronymitis generalibus facultatem diſpenſandi cum ſuis Religioſis, quodcunque beneficium regulare qualitercunque qualificatum cum cura, aut ſine cura, obtinere, non obſtante quocunque Natalium defectu, vti refert Rodriq. tom. 1. qq. regular. quæſt. 13. art. 1. & 23. igitur opus eſt noua diſpenſatione, vt Religioſus illegitimus beneficia regularia poſſideat.

Reſpondeo, ea beneficia, de quibus Paul. ibi agit, ferè habuiſſe adiunctam Prælationem, erant enim Prioratus, Vicariatus, deinde latè diximus alibi, priuilegia ſæpiùs dari ad tollendum omne dubium, maximè quando oritur ex communi opinione, & in praxi recepta.

Ex his porrò plurima alia conſequuntur. Primò illegitimus Religioſus non poteſt ſine diſpenſatione eſſe definitor; quia diffinitoriatus eſt perſonatus dignitas, vti contendit Rod. q. 13. cit. art. 18.

Secundò. Non poſſunt eligi iſti Religioſi donec cum ipſis fuerit diſpenſatum in diſcretos Capitulorum cum voce paſſiua, ſed tantùm cum voce actiua, quia qui habent vocem paſſiuam, poſſunt eligi in definitores prouinciales & generales, quod ius eligibilitatis iſtis illegitimis nulla ratione competit. Immò in quibuſdam Religionibus iſti diſcreti, qualem qualem habent dignitatem, vt inquit Roderiq. quæſt. cit. art. 19.

Tertiò. Poſſunt illegitimi iſti eſſe Magiſtri Nouitiorum, Confeſſarij Monialium, & Vicarij Conuentus, quia iſtis muneribus non eſt annexa ordinaria cura, neque iuriſdictio, ac proinde non ſunt Prælaturæ. Ita Roderiq. art. 20. poſſunt etiam omnia muneta, quibus dignitas annexa non eſt, exercere, quidquid alij dicant apud Barboſam cap. 42. cit. num. 198.

Quartò. An illegitimus factus Canonicus Regularis Eccleſię Cathedralis, poſſit eſſe Archidiaconus abſque diſpenſatione, pendet ex ea quæſtione, an Archidiaconatus cenſeatur prælatio, aut ſaltem dignitas, quod modò videtur: ſed de ea quæſtione alibi commodiùs. vide Roderiq. quæſt. 13. art. 11.

Quintò. Non poteſt illegitimus factus Religioſus creari Vicarius Epiſcopi, quia ille Vicariatus dignitas eſt, habetque curam & iuriſdictionẽ ordinariam. Rod. q. 13 a. 13. Sanch. lib. 5. in Decalog. c. 5. n. 16. & alij cum Barboſa cap. 42. allato, n. 197. atque alibi.

CONSECT

Conſectarium VI.

An Religioſa impediatur Natalium defectu, ne in Abbatiſſam, aut Prioriſſam eligi poſſit?

10 Negat ſententia communis DD. quos dabit Barboſ. de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 45. num. 21. Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 5. n. 19. & Tambur. de iure Abbatiſſar. diſp. 28. quæſit. 11. num. 1. quia Abbatiſſæ officium dignitas quędam eſt, & prælatura, in quantum illius capax mulier eſſe poteſt. Excluduntur autem illegitimi à Prælaturis, quarum capaces alioquin forent; & quamuis in eo cap. 1. de filiis preſbyter. ſit tantùm ſermo de maſculis, lex tamen pœnalis & correctoria extenditur ad fœminas, vti oſtendit Decius l. fœminæ. num. 110. ff. de regul. iuris. quod maximè verum eſt, quando ea lex fauorabilis eſt Religioni; idcircò Sixtus V. dum poſtremò declarauit ſeueram illam conſtitutionē, quam aduerſus illegitimos ediderat, dixit nolle à ſe ſancita ad Moniales extendi; quæ declaratio inutilis & ſuperflua foret, niſi quæ in ea conſtitutione ſancita ab ipſo fuerant circa Religioſos, valuiſſent quoque quoad Moniales. Denique Barboſ. loco cit. refert Sac. Congregat. Concilij die 27. April. an. 1630. definiuiſſe, electionem illegitimæ in Abbatiſſam, eſſe de iure irritam, ſecluſa diſpenſatione Apoſtolica, & priuilegiis peculiaribus.

Placet nihilominus contraria ſententia, quam tradunt Roderic. q. 13. cit. art. 21. licèt quoad Abbatiſſas perpetuas communi ſententiæ inſtitiſſet tom. 2. ſumm. cap. 19. Mirand. q. 6. de Monialib. art. 3. du Portell. in dubiis regularib. verb. Abbatiſſa n. 6. Hieronym. Roderic. in compend. qq. regular. reſolut. 2. n. 21. Tabien. verb. Virginum conſecratio. n. penult. vbi ait, ſolam authoritatem Ioannis Andr. in cap. indemnitatibus, de electione. in 6. §. ſanè. verb. canonica, ſibi obſtare. de iure enim putat noſtram hanc ſententiam veram eſſe, illíque poſt factum adhæſurum: adducit præterea Geminian. qui in cap. indemnitatibus, citat multa in vtramque partem diſputat: nouiſſimè etiam Ferdinand. à Caſtro tr. 16. punct. vlt. num. 12. in puncto iuris veriorem eſſe hanc ſententiam fatetur, licèt contraria ſit magis vſu recepta; & tandem Tamburin. loc. cit. nihil auſus fuit definire, refértque declarationem Congregat. 4. Octobr. 1594. Ratio mihi videtur manifeſta, quia in iure nihil prorſus eſt, vnde colligatur iſta incapacitas, quandoquidem agit tantùm de maſculis illegitimis, quos ab Ordinibus & honoribus Eccleſiaſticis remouet, niſi fuerint Religioſi: ſi autem Religioſi efficiantur, à ſolis prælaturis reiicit, vbi nullum eſt verbum de fœminis; in iſtis autem odioſis non ſunt impropriãda verba ad extendendam legem ad caſus non expreſſos, atque ita ab illegitimis incapacibus Ordinum & graduum, atque prælationum Eccleſiaſticarum ad fœminas & improprias prælaturas ampliare. Quare dixit Paludan. in 4. d. 41. quæſt. 3. art. 2. Profeſſionem non legitimare quoad pręlaturas proprias, quia nimirum illæ ſolæ ſignificantur nomine prælationis abſolutè poſito in iure; cùm igitur illegitimi Religioſi à prælationibus excluduntur, de propriis tantùm loquitur ius, neque iſta exceptio, aut pœna fauet Religioni, immò potiùs efficacitas legiti

legitimandi quoddam ipſius priuilegium eſt. Sixtus autem V. declarauit ſuam conſtitutionem de illegitimis, non extendi ad Moniales, ne quis eſſet dubio locus, neque illa ſua declaratione voluit fauere Monialibus, & contra ius commune illas à lege in Religioſos illegitimos ſancita excludere, immò potiùs conſentaneè ipſi iuri eam declarationem adhibuit.

QVÆSTIO IV.

De diſpenſatione irregularitatis.

Prima propoſitio. De diſpenſabilitate irregularitatis. num. 1.
Confirmatio propoſitionis. num. 2.
Secunda propoſitio. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate. num. 3.
De forma diſpenſationis. num. 4.

EX iis quæ de diſpenſationibus in vniuerſum alibi diſputata ſunt, ſoluta ferè manet hæc quæſtio; quare tria duntaxat paucis perſtringam: Primum eſt, quænam irregularitas ſit diſpenſabilis. Secundum, quis diſpenſare poſſit in irregularitate. Tertium, quæ forma in ea diſpenſatione ſeruanda ſit. Plurima verò conſectaria, quæ hinc erui poſſent, & plures aliæ quæſtiones, quæ agitari ſolent, hoc loco explicatæ ſunt in eo loco ex principiis vniuerſalibus.

PROPOSITIO I.

De diſpenſabilitate irregularitatis.

1 DIco primò. Omnem irregularitatem eſſe diſpenſabilem, quamuis aliquæ non niſi difficilè diſpenſari ſoleant, ac debeant.

EXPOSITIO ET CONfirmatio propoſitionis.

IN hac propoſitione confirmanda 2
explicandáve diutiùs immorandum non eſt, nam imprimis quod aſſerui, omnem irregularitatem eſſe diſpenſabilem, ex eo certò conſtat, quòd omnis ſit inducta iure humano & Eccleſiaſtico, quamuis aliqua ab ipſis Apoſtolis tradita fuerit, nimirum bigamię, non tamen ex iure diuino, vti ſuo loco oſtendimus: quidquid autem iure humano fixum fuit, ab eodem refigi poteſt; vnde diximus lib. de diſpenſationibus, omnem humanam legem diſpenſabilem eſſe eadem authoritate, quæ poſita fuit.

Dices. Manente cauſa irregularitatis, in illa diſpenſari non poſſe, quia manet indecentia operandi Sacris cum ea macula, propter quam fuerat quis factus irregularis, quòd ſi collatur cauſa irregularitatis, vnà etiam definit omnis indecentia, atque adeò ipſa irregularitas, vt dicebamus q. 1. neque proinde opus fuerit vlla diſpenſatione. Reſpondeo indecentiam ſæpiùs non eſſe tantam, vt ſecluſa omni lege poſitiua prohibeat à ſacro miniſterio; quare vbi iuſtæ aliquæ cauſæ id poſtulabunt, poterit tolli ea prohibitio, & permitti miniſterium ſacrum, quod tunc abſque dedecore vllo exercebitur; quæ ratio valet in omni diſpenſatione legis prohibentis; cùm enim prohibitio faceret rem illicitam, propter aliquam cauſam, quo aliquam in actu prohibito indecentiam afferebat, nunquam perſtante eadem cauſa videretur poſſe tolli prohibitio, & quod illicitum erat, permitti.

Dixi ſecundò, aliquas eſſe irregularitates, in quibus difficilè omninò ac rariùs diſpēſetur; nam bigamia vera ita relaxatur difficilè, vt Lucius III. cap. 2. de bigamis, dicat non licere contra Apoſtolum in ea diſpensare; idémque de ſimilitudinaria bigamia dixit Innoc. III. cap. nuper, eod. tit. quia nempe grauiſſimæ cauſæ in eam rem mouere debent; inde tamen non colligi omnimodam indiſpenſabilitatem facilè conſtat, cùm aliquando diſpenſatum eſſe ſciamus, & Archiepiſcopum Panormitanum hanc veniam à Lucio obtinuiſſe teſtatur gloſſa in cap. lector. d. 34. atque in eo ipſo capite Lector, qui viduam accepit, aut etiam, qui verè bigamus fuit, permittitur in lectoratu permanere, atque etiam ſi neceſſitas vrgeat, ad Subdiaconatum promoueri; quanquam huius canonis authoritas valdè mutet; nam imprimis falsò tribuitur Martino Papæ à Gratiano ſolemni ſibi errore cui adhæſit Barboſa in collectaneis ad illum canon. & Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 86. num. 11. Nam reuerà inter Martini Pontificis decreta non reperitur; ſed in collectione Martini Bracarenſis, & deſcriptus videtur ex Conc. I. Tolet. cap. 3. vbi tamen nihil habetur de verè bigamo, ſed tantùm de interpretatiuo, qui alterius viduam duxit, quod obſeruauerat quoque Suar. diſput. 49. ſect. 6. num. 5. Nihilominus certum, eſt non modò de plenitudine poteſtatis, ſed de ordinaria quoque Pontificem diſpenſare poſſe, vt pluribus relatis docet Sanch cit. Nam & in aliis, quæ in Epiſcopo poſtulat Paulus diſpenſare Pontificem, ex ordinaria ſua iuriſdictione ipſo vſu conſtat, quanquam, vt iam monui, difficiliorem ſe præſtare ſoleat ac debeat in iis, quæ cum Maiorum legibus atque Apoſtolicis ſanctionibus pugnare certum eſt, permittendis, vti diximus lib. de diſpenſation.

Irregularitas præterea ex homicidio voluntario difficilè omninò & ægrè diſpenſatur à Pontifice ad ſuſcipiendos Ordines, niſi crimen fuerit ita occultum, vt in iudicio probari non poſſit, vti obſeruant Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. part. §. 3. num. 2. Auila 7. part. diſput. 6. ſect. 5. dub. 3. Sylu. verb. Homicidium 3. quæſt. 8. Vnde in generali facultate diſpenſandi ab irregularitatibus iſta ſolet ſemper excipi, vti factum videmus à Trident. ſeſſ. 24. cap. 6.

Propositio II.

Quis poterit diſpenſare de irregularitatibus.

Dico ſecundò, Pontificem Romanum poſſe in omni irregularitate diſpenſare, non verò Epiſcopos alióſve inferiores Prelatos poteſtatem Epiſcopalem habentes, niſi in iis, in quibus id ipſis ſpeciali iure permittitur. 3

EXPOSITIO, ET CONfirmatio propoſitionis.

Qvoad Summum Pontificem nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm in illo tanquam in capite reſideat vniuerſalis Eccleſiæ poteſtas, ipſéque ſit conditor iuris Eccleſiaſtici, ſtatim apparet ipſum poſſe quod Eccleſiaſtica poteſtate fieri poteſt, atque iuris Eccleſiaſtici relaxationem penes ipſum eſſe.

Itáque tota difficultas videtur eſſe de Epiſpiſcopis; verùm ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, facilè diſſoluitur;

uitur; cùm enim irregularitates fuerint hactenus à ſolo iure communi vniuerſalem Eccleſiam obligante inductæ, vti ex cap. 2. conſtat, ſtatim apparet, eas non poſſe tolli niſi ab eo, qui diſpenſare poterit in lege, per quam latæ & poſitæ ſunt: ex alibi autem dictis certum nobis eſt, Epiſcopum non poſſe quidquam in abrogando iuri communi, niſi in caſibus, in quibus id ipſi permittitur tacitè, vel expreſsè; ergo neque poterit in irregularitate inducta per ius commune diſpenſare, niſi quatenus ab eodem iure communi tacitè, vel expreſsè concedente, id ipſi licebit.

Confirmatur ex Concil. Trident. quod ſeſſ. 24. cap. 6. concedit Epiſcopis diſpenſare in omni irregularitate prouemente ex quocũque delicto occulto; & non deducto ad forum contentioſum, excepto homicidio, quæ facultas ſupponit Epiſcopum ex ſua ordinaria poteſtate id non potuiſſe, neque modò poſſe ei ea alias irregularitates ibi non expreſſas, alioquin fruſtrà cõcederetur illud priuilegiũ, ſi ex iure ordinario id haberẽt Epiſcopi.

Reſtat igitur videre quid in iure communi permiſſum ſit hac in parte Epiſcopis, & quænam irregularitates ab eo ſolui poſſint. Verùm id nos iam accuratè præſtitimus lib. de diſpenſationibus, dum Tridentini decretum exponeremus, inde enim collegimus in quibuſnam irregularitatibus Epiſcopus aliquid poſſit; neque aliud videtur eſſe addendum hoc loco, nam quod pertinet ad alios, qui ex priuilegio diſpenſare poſſunt, nihil aliud à nobis dici debet, quàm quæ in vniuerſum de priuilegiis & eorũ vſu ſtatuta à nobis ſunt de priuilegiis, cùm ſingulorum priuilegia ſint cõſulenda, quod non pertinet ad Doctorem vniuerſalem doctrinam tradentem.

De forma diſpenſationis.

4 QVOAD formam diſpẽſationis, & eius effectum, nihil etiam peculiare habemus hoc loco, cùm nulla ſit in iure determinata certa forma ſeruanda, ſed ſufficiat intentionem & effectum eius deſignare; an verò verbis tantùm, aut etiam facto fieri poſſit, diximus in doctrina generali de diſpenſationibus, ibique ſoluimus, quæ circa irregularitatem controuerſiæ excitare poſſent, reſtat vna duntaxat grauioris momenti, quam ſequente quæſtione excutiam.

QVÆSTIO V.

An qui ex facultate generali poteſt abſoluere à cenſuris, poſſit quoque diſpenſare in irregularitate pœnali?

Status quæſtionis. num. 1.
Communis ſententia. num. 2.
Probatur. num. 3.
Contraria ſententia. num. 4.
Probatur. num. 5. ad 9.
Reſolutio quæſtionis. n. 9. & ſequentib.

1 CONCEDITVR aliquando in Bullis & reſcriptis Pontificiis generalis facultas abſoluendi à cenſuris, & aliis pœnis Eccleſiaſticis à iure, vel ab homine impoſitis; quæ verba in Bullis Cruciatæ ſolebant adhiberi ante Pium V. vt teſtatur Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 6. & Paulus III. 3. Iunij. ann. 1545. facit facultatem Confeſſariis Societatis IESV abſoluendi ab omnibus caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, exceptis

iis,

iis, quæ in Bulla Cœnæ continentur. Et ab Eugenio IV. conceſſum fuiſſe Abbatibus Ciſtercienſibus, atque à Gregorio XIV. miniſtris infirmorum, vt ſuos ab omnibus cenſuris & pœnis abſoluant, refert Rodriquez tom. 1. qq. Regular. quæſt. 20. art 17. Quæritur itaque, quid ea verba ſignificent, & vtrùm reuerà per illa fiat facultas abſoluendi etiam ab omni irregularitate, ſaltem pœnali, & vindicatiua, quæ ex delicto procedit.

Commvnior DD ſententia, quos dabunt Homobon. p. Exam. Eccleſiaſtici tract. 5. cap. 6. quæſt. 36. Sayr. lib. 6 cap. 2. n 33. Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ reſolut. 17. Henriq. lib. 7. cap. 13. §. 6. lit. A. & Garc. 7. p. de beneficiis, cap. 11. num 57. negat irregularitatem ex delicto ortam comprehendi facultate generali abſoluendi à cenſuris, aut à pœnis quibuſcunque; hæc enim verba interpretantur Henriq. lib. 7. cap. 13. Suar. diſput. 1. ſect. 3. num. 6. & Roderiq. loc. cit. de pœnis, quas iniunxit Confeſſarius, aut Iudex Eccleſiaſticus, aut quas ſibi ipſi poſuit pœnitens, aut quæ feruntur per canones pœnitentiales, aliiſque eiuſmodi, quibus remouetur ab Euchariſtiæ perceptione: præterea intelligi poſſunt de cenſuris, quæ per modum ſententiæ ſunt impoſitæ, quod maximè in ſuſpenſione ad certum tempus & definitum contingere diximus cap. 1. quæſt. 2. addit Molin. loco infer iùs allegando, ſimilia verba apponi ad maiorem cautelam & exaggerationem & inuitationem fidelium ad ſe diſponendum ad fruendum Iubilæis, aut ad promptius ſumendum Bullas Cruciatæ.

3 Probant hanc communem ſententiam, quia irregularitas neque cenſura, neque pœna eſt. Secundò, quia ſola diſpenſatione tollitur irregularitas: Pontifex autem in illis Bullis & priuilegiis diſertè concedit facultatem abſoluendi, qua voce non intelligi diſpenſationem, ex earum manifeſto diſcrimine ſtatim conſtat; neque in priuilegiis impropriandæ ſunt voces. Quare etiamſi exprimeret in ſua conceſſione Pontifex irregularitatem, & ſola voce abſolutionis vteretur, non eſſet exponendus de diſpenſatione irregularitatum, quam ſibi ſolitus eſt reſeruare, ſed potiùs vox irregularitatis, quàm abſolutionis impropriandа foret, cùm priuilegia contra ius commune reſtringenda potius ſint, quàm amplianda. Idcircò Roderiquez quæſt. 20. cit. art. 18. verba Eugenij IV. quibus concedit Reformatori Ciſtercienſium, vt ſuos ſubditos ſemel in vitâ, à quibuſcunque irregularitatibus, & inhabilitatibus abſoluat. Negat enim collector compendij Ciſtercien. tit. Abſolutio, verb. irregularitatibus & inhabilitatibus, de diſpenſatione irregularitatum eſſe intelligenda, ſed de peccato irregularitatem producente: quo ſenſu exiſtimat Iulium II. 6. Kalend. Iulij an. 4. ſui Pontificatus an. 1. 3. 77. prioribus generalibus militiæ de Auis Ordinis Ciſtercienſis conceſſiſſe vt poſſint abſoluere milites priores, & fratres dictæ militiæ à peccato adulterij, inceſtus, ſacrilegij, fornicationis, hoc eſt, à ſuſpenſione & pœnis, atque infamia ex illis delictis reſultantibus: pœnæ autem illæ ſunt pœnæ canonicæ, non autem irregularitates. Tertiò denique, quia hic eſt ſtylus Curiæ, qui nunquam intelligit irregularitatem nomine generali pœnæ, aut cenſuræ, niſi exprimatur diſertè, & poſteriores Pontifices in priuilegiis atque Iubilæis excludunt diſpenſationem ab irregularitatibus, ne cui detur errandi occaſio ex verbis

generalibus ; quanquam in Iubilæis Bullæ Cruciatæ & priuilegiis non datur facultas abſoluendi, niſi quatenus ea neceſſaria eſt ad effectum Iubilæi, & ad percipienda Sacramenta; atqui diſpenſatio irregularitatis non eſt neceſſaria ad hanc cauſam, quia irregularitas non impedit vſum Sacramentorum; de irregularitate igitur non loquuntur.

4 Contraria ſententia affirmat comprehendi irregularitatem ex delicto ortam in illis generalibus conceſſionibus, ſiue cenſuræ tantùm vox apponatur, ſiue nomen cuiuſcunque pœnæ addatur. ita Thomiſtæ omnes cap. 1. q. 2. adducti, qui hoc irregularitatis genus cenſuram veram eſſe contendebant. Ex quibus Soto non mutauit ſententiam lib. 5. de iuſtitia q. 1. art. 4. vt malè obiicit Roderiq. art. 17. cit. ibi enim tantùm dicit irregularitatem non eſſe pœnam, quia aliquando contingit ſine culpa, non tamen negat eam, quæ ex culpa prouenit, veram pœnam eſſe, quod aduertit optimè Auila 7. p. de cenſuris, diſp. 10. dub. 4. ſubſcribunt verò Thomiſtis Corduba q. 43. de Indulgent. dub. 4. Ferdinand. p. 3. examinis Theologiæ moralis cap 10. §. 14. Ludouic. Carbo lib. 8. de legibus diſp. 5. Guttieres lib. 1. qq. canonic. cap. 37. n. 6. aliàs cap. 3. n. 6. Salas diſp. 15. de legibus, ſect. 1. concl. 2. n. 16. Naldus verb. irregularis n. 25. adducit prætetea Diana reſolut. 17. cit. Salonium, Vegam in ſpeculo curatorum, Carillum in itinerario ordinand. & Nuynum in tertiam partem, quos non licuit conſulere, & abſque ſcrupulo hanc ſententiam ſequi nos poſſe dixit Ioan. de la Cruz in directorio conſc. p. 2. tract. de irregul. dub. 15. concl. 2. quod ipſum aſſeruit Roderiq. in Bullam cruciatam §. 9. n. 29. licèt tum in qq. Regular. tum in ſumma conſtanter docuiſſet contrarium, vrgente quoque neceſſitate eam amplecti fas eſſe propter eius probabilitatem, fatetur Henriq. lib. 7. cap. 13. §. 6. & Villalob. tract. 16. diffic. 2. n. 5. Diana quoque reſolut. cit. & Auil. dub. 4. cit. probabilem dicunt, licèt contrariam ſequi maluerint. Molin. verò tract. 3. de iuſtitia diſp. 80. n. 6. idcirco maximè communem ſententiam amplectendam eſſe contendit, quia cùm contraria ſententia dubia ſit, neque Confeſſario, neque irregulari eâ vti fas eſt, cùm non poſſint cum illa ſine dubio operari. Si itaque aliquis ſibi eam tanquam moraliter certam eſſe perſuaderet, tum propter DD. authoritatem, tum propter rationum momenta, illam ſequi omninò poſſet ex Molina. Quare malè omninò Ludouic. Lopez in Inſtructor. conſcientiæ 1. tom. cap. 2. q. 2. & 2. tom. 1. p. cap. 62. & 2. p. cap. 8. dixit hanc ſententiam non eſſe tutam, & nulla ratione ſuffultam, & Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 1. ſect. 2. n. 5. & 6. & diſp. 40. ſect. 3. n. 3. falſam, nec rationi, neque iuri, neque authoritati Doctorum, neque praxi Romanæ conſentaneam, & malè quoſdam Confeſſarios minus doctos quorundã Theologorum authoritate ductos illam ſequi, quod ſanè non dixiſſet vir eruditiſſimus, & in aliorum ſententiis configendis parciſſimus, ſi poſteriorum Doctorum conſenſum videre licuiſſet. Miror verò Magiſtrum ſacri Palatij, qui in Indice librorum expurgatorio hanc ſententiam expunxerit & damnârit in Emanuele Sà, cùm eam ſui Thomiſtæ magno conſenſu ſequantur, vt diximus.

Et quidem ſi rationem conſulamus, hæc poſtrema ſententia neceſſariò ſequitur ex iis, quæ diſputauimus cap. 1.

q. 2. ibi enim euidenter demonſtraſſe me exiſtimo, hanc irregularitatem veram pœnam & cenſuram eſſe, neque cõtrarium vllo textu, vel ratione euinci, idque tandem fatetur Molina diſp. 88. cit. n. 6. & 7. qui idcircò negat comprehendi hãc irregularitatem nomine generali cenſurę, aut pœnę, quia etiãſi pœna & cenſura ſit, eſt prætereà inhabilitas quædã & canonicum impedimentum ad ſuſcipiendos Ordines, eorúmque actus exercendos: quatenus autem eſt eiuſmodi impedimẽtum, non conceditur facultas in illo diſpenſandi ex eo quòd detur facultas abſoluendi à cenſuris & pœnis. Verùm cap. 1. q. 2. monuimus omnes etiam cenſuras eſſe quædam impedimenta canonica, itaque vocat Alterius, & alij paſſim, atque in ratione communi generica impedimenti canonici dicebamus conuenire cenſuras, irregularitates, aliáſque pœnas Eccleſiaſticas; deinde hæc irregularitas in eo eſt pœna, quod eſt impedimentum, plectuntur enim certorum criminum Rei in eo quòd reddantur inhabiles ad Sacra, à quibus remouentur, donec cum ipſis diſpenſetur; itaque qui tollit rationẽ pœnæ, ſimul quoque tollet rationem impedimenti; quamuis enim omne impedimentum pœna non ſit, quando tamen illud impedimentum ponitur in punitionem criminis, pœna omninò vera & propria eſt, eáque hoc loco maxima. Cur igitur non ſignificabitur nomine pœnæ Eccleſiaſticæ ſimpliciter & abſolutè prolato, tunc enim capi debet in ea amplitudine, quam eius natiua & propria ſignificatio poſtulat, quod maximè verum eſt, quando additur ſignum vniuerſale, vt fit in illis Bullis, dum dicitur à quibuſcunque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, à iure, vel ab homine impoſitis; qui loquendi modus vniuerſalis eſt, neque à nobis reſtringi debet, niſi grauis aliqua cauſa vrgeat, quæ omninò perſuadeat ex mente Põtificis eam loquutionem non eſſe vniuerſalem, & ad certa quædam pœnarum, ac cenſurarum Eccleſiaſticarum genera eſſe neceſſariò coarctandam; cuius reſtrictionis nullam profectò cauſam afferunt Aduerſarij, vt eorum rationes expendenti patebit.

Quod enim primò dicunt, neque pœnæ, neque cenſuræ nomine vnquam intelligi irregularitatẽ eo quòd illa pœna & cenſuræ non ſit; itáque ius commune & reſcripta Pontificia interpretanda eſſe iuſſerit Innoc. III. cap. quærenti. de verbor. ſignificatione, eſt manifeſta petitio principij, id enim ipſum quærimus, an hæc irregularitas verè pœna ſit, & cenſura; & reuerà eſſe iam oſtendimus cap. 1. q. 2. vbi etiam Innocentij reſponſionem explicuimus; quare tota hæc ratiocinatio iam reiecta fuit. 6

Secundò dicunt mentem Pontificis colligi ex ipſis verbis, nam dat facultatem abſoluendi; ergo non agit niſi de pœnis & cenſuris quæ poſſunt abſolutione tolli, aut loquitur impropriè, quod concedendum non eſt, nam in priuilegiis, maximè odioſis, non ſunt trahenda verba extra propriam ſignificationem, niſi alioquin inutilis & fruſtratoria futura ſit conceſſio, vt tradunt paſſim DD. atqui irregularitas, vt ſæpiùs dictum fuit, tollitur diſpenſatione, non abſolutione. Reſpondeo vocem abſolutionis propriiſſimè vſurpari de pœnarum relaxatione; nam etiam in cenſurarum abſolutione aliud non fit, quare irregularitas ex delicto, quæ vera pœna eſt, quamuis daremus non eſſe cenſuram, propriiſſimè tollitur abſolutione, & non tantùm diſpenſatione,

tione: immò magis propria tunc erit ea formula, Abſoluo te ab irregularitate, quàm iſta, Diſpenſo tecum.

Tertiò dicunt Pontificem agere ſeorſim ſolere de irregularitatibus, immò & eas ſibi poſterioribus Iubilæis reſeruare. Reſpondeo tunc non poſſe abſolui quenquam vi Iubilæi ab irregularitate, cùm expreſsè id prohibeat Pontifex; inde tamen confirmatur hæc ſententia, non enim opus eſſet expreſſa reſeruatione irregularitatis, niſi alioqui illa fuiſſet comprehenſa generali clauſula abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, eo quòd non viſum fuerit conſentaneum rationi tam amplas facultates in poſterioribus Bullis & Iubilæis concedere, quàm conceſſerant priores Pontifices.

Quartò, mens Pontificis colligitur ex eo quòd non faciat iſtam facultatem, niſi vt tollantur omnia impedimenta, quæ poſſent prohibere effectum Iubilæi; irregularitates autem cùm non impediant receptionem Sacramentorum, neque etiam Iubilæi Indulgentiam impediant; quare ipſarum abſolutio & diſpenſatio non cenſetur concedi vnà cum facultate tollendi impedimenta Iubilæi.

Reſpondeo, negando nihil concedi in Iubilęis, niſi quòd ad ipſorum conſequutionem pertinet, vt patet in commutatione votorum, dantur enim plurima priuilegia conſequutis Iubilæum, vt ad id inuitentur fideles. Secundò, in Bulla Cruciatæ non agitur tantùm de conſequenda aliqua indulgentia plenaria, ſed de pluribus priuilegiis obtinendis, vt ex toto eius contextu patet, inter quæ vnum illúdque maximum eſt, vt qui eam Bullam acceperint, abſolui poſſint à quibuſcunque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis ab homine, vel à iure impoſitis. Tertiò, priuilegia quæ dantur Societati, aliiſque Ordinibus in gratiam fidelium, quorum excipiunt confeſſiones, non ſunt tantùm ad lucrandas indulgentias, ſed vt variis eorũ morbis prouidere poſſint Confeſſarij, quibus hac in parte ſuas vices mandat Pontifex. Quare ſi ex natiua ſignificatione huius clauſulæ irregularitates, quæ verè pœnæ ſunt, contineantur, non eſt, vnde colligamus ex mente Pontificis eas eſſe excludendas ab eiuſmodi vniuerſali ampliſſimáque conceſſione.

Qvintò denique obiiciunt, hunc 7 eſſe ſtylum Curiæ, vt nunquam nomine cenſurarum, aut pœnarum includat irregularitates; atque in hac machina præcipuum robur ſuæ opinionis collocant aduerſarij, quandoquidem reſcripta principalia exponenda ſunt ſecundùm ſtylum Curiæ, immò & aliqui dicunt habere vim legis, qua de re alibi fuit diſputatum; hunc autem ſtylum Curiæ Romanæ probant ex Iubilæis à Clem. VIII. & aliis deinde Pontificibus conceſſis, in quibus etiamſi fiat ampliſſima poteſtas abſoluendi ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris à iure, vel ab homine quouis modo & causâ datis, ſiue inflictis, ſic enim loquitur Clem. VIII. an. 1597. excipitur tamen quæcunque facultas diſpenſandi in vlla inhabilitate, aut irregularitate publica, vel occulta, aut quoquo modo contracta. Refert quoque Molina quendam iuris Canonici Profeſſorem non benè audiiſſe Conimbricæ, eò quòd Soti ſententiam ſequutus, à Nauarro diſceſſiſſet in hac parte: & Epiſcopum Conimbricenſem ex DD. conſilio Iubilæi tabulas ad ſe tranſmiſſas Româ ita fuiſſe

omninò interpretatum palàm & publicè, dum Iubilæum promulgaret. Denique Toletus, Filliucius, atque alij omnes, tum veteres, tum recentiores, qui Romæ ſcripſerunt, locupletes teſtes ſunt Romani vſus, qua maximè de cauſa in eam ſententiam Doctores magno numero conſpirarunt.

Reſpondeo primò, negando cum Petro de Ledeſma tract. de cenſuris cap. 1. atque aliis paſſim, illum eſſe ſtylum Romanum, quod omninò conſtat ex veteribus Bullis Cruciaræ, & refert Molin. an. 1563. conceſſam fuiſſe facultatem abſoluendi ab omni cenſura & pœna Eccleſiaſtica, etiamſi requirat ſpecialem mentionem ſui, nec includatur in generali clauſula. In priuilegio Pauli III noſtræ Societati facto, & Eugenij IV. Ciſtercienſibus, adhibetur generalis eiuſmodi clauſulà, neque additur quidpiam, vnde reſtringatur.

Secundò, ex eo quòd hodie in Bullis ſoleret excipi diſertè facultas diſpenſandi in incapacitate, inhabilitate, nota, defectu, irregularitate publica, vel occulta quocunque modo contracta, colligitur ſtylum Romanum eſſe, explicare expreſſis verbis exceptionem irregularitatis, quando illam non vult comprehendi generali conceſſione, alioquin fruſtrà tam longo verborum circuitu negaret Pontifex ſe facere illam facultatem, ſi ex ſtylo Curiæ, & omnium DD. ſenſu, illa non comprehendebatur, neque intelligi poterat in conceſſione generali abſoluendi à cenſuris, & quibuſcunque pœnis Eccleſiaſticis.

Tertiò, ſtylus Curiæ Romanæ fert, vt verba propriè & in natiua ſignificatione accipiantur, niſi quidpiam apponatur, vnde reſtringantur, aut impropríentur; atqui nomen cenſuræ & pœnæ Eccleſiaſticæ ex propria ſua ſignificatione cadit in has irregularitates, vt cap. 1. q. 2. fuit demonſtratum, & nihil additur in his reſcriptis Pontificum, ex quibus, vt dixi, reſtringatur ea ſignificationis amplitudo. Ergo ex ſtylo Romano retinenda erit ea vox in ſua natiua & ampliſſima ſignificatione.

Quartò, ſtylus Romanus fert, vt in Pontificum reſcriptis nulla clauſula ſit otioſa, nulla deceptoria, cuiuſmodi eſſet hoc loco; cur enim poſt nominatas tres vulgares cenſuras, excommunicationem nimirum, ſuſpenſionem, & interdictum, additur abſolui poſſe ab aliis cenſuris, ſi nullæ aliæ ſunt? cur apponitur, *& quibuſvis pœnis*? cùm nullæ aliæ pœnæ ſint, quæ ſi tollas iſtas irregularitates ex delicto, intelligi commodè poſſunt: quòd enim eas pœnas interpretantur de pœnitentialibus Canonibus, qui aliquos remouent à ſacra Euchariſtia, aut de eiuſdem Sacramenti priuatione impoſita à Confeſſario, aut per ſententiam iudicis, prorſus non ſatiſfacit; nam etſi Canones pœnitentiales, niſi excommunicationem contineant, non ſunt in vſu, & pertinent ad forum externum, ſicut & ſententiæ iudicis, à quibus non poterit eximere Confeſſarius, cuius poteſtas foro conſcientiæ continetur; & in illo poteſt abſque noua Pontificis facultate mutare pœnam ab altero Confeſſario iniunctam, ſaltem auditis eiſdem peccatis, atque ita permittere vſum Euchariſtię, quem negarat alter Confeſſarius. Et denique vix vlla pœna reperitur, ſi cenſuras & irregularitates excipias, quam non poſſit tollere quilibet Confeſſarius, quoad forum internum, qui poteſtatem habuerit abſoluendi à peccaris, propter quæ ſunt impoſitæ; ſi enim peccata ſunt

reſeruata Pontifici, iam habent annexam excommunicationem, vt ſuppono ex tractatu de pœnitentia; quare ſeclusâ cenſurâ nulla eſt alia pœna, propter quam opus ſit facultate Pontificia, vt peccata dimittantur. Vides itaque inutilia eſſe illa verba, *à quibuſcunque cenſuris, & pœnis a iure, vel homine impoſitis*, ſi de pœnalibus irregularitatibus non intelliguntur.

8 Verùm ne vllus cauillationi locus relinquatur, demus præter tres cenſuras vulgares, & irregularitates ex delicto, dari aliquas alias pœnas, quæ intelligi poſſint in reſcriptis Pontificiis, nam ſuſpenſio interdum per modum pœnę, & non cenſuræ, imponitur, vti diximus lib. de cenſur. vbi etiam quaſdam priuationes communionis cum certis perſonis, aut in quibuſdam officiis, & rebus, atque etiam temporaneas, quas aliqui cum Richardo, malè inter excommunicationis minoris ſpecies referebant, enumerauimus, & denique depoſitio non ſemper vſurpatur pro illa abdicatione perpetua officij & beneficij, ſine vlla ſpe reſtitutionis, ſed pro alia pœna omninò diuerſa, quæ omnia ibidem indicauimus; quando tamen in reſcriptis Pontificiis ponitur ſignum vniuerſale, & præter tres cenſuras, quas enumerant, diudicantur eſſe aliæ, & in vniuerſum omnes & quæcunque pœnæ quomodocunque impoſitæ à iure, vel homine nominantur, ſine dubio, quidquid proprium nomen pœnæ, vel cenſuræ ſortiri poteſt, comprehenditur, niſi ea generali clauſula expreſsè excipiatur. Vnde ſoluitur, quod obiiciebat Molina & alij plures, in Iubilæo Clement. VIII. an. 1597. & aliis deinde poſterioribus, adhiberi clauſulas ampliſſimas, quibus nullum peccatum, nullam cenſuram, nullam ſententiam, nullam pœnam excipiat, & tamen ſtatim negari facultatem diſpenſandi in vlla prorſus irregularitate publica, vel occulta, & ex quacunque cauſa contracta, vnde inferunt, non eſſe inutiles voces pœnæ & cenſuræ, etiamſi non intelligantur de irregularitate ex delicto. Reſpondeo enim imprimis in Clement. Iubilæo, relato à Molina, non eſſe nomen pœnæ, inquit enim tantùm Pontifex, *aliiſque ſententiis Eccleſiaſticis, & cenſuris à iure, vel ab homine*, &c. ſententia autem non comprehendit irregularitatem, quæ nunquam fertur ab homine, & de nomine cenſuræ poſſet fortaſſis maior videri difficultas; deinde dico eâ ampliſſimâ clauſulâ contineri quoque hoc genus irregularitaris, vnde fuit ſigillatim & expreſſis verbis excipienda, fuitque relicta facultas abſoluendi ab omnibus aliis pœnis, quas præter ſuſpenſionem, interdictum, & excommunicationem, Molina cæterique aduerſarij agnoſcunt.

Quòd autem in Bulla ann. 1563. addita fuerint, vt nuper referebamus, ea verba, *etiamſi requirat ſpecialem mentionem ſui, neque includatur in clauſula generali*, ex quibus ſubtiliter colligere videtur Molina; irregularitatem, de qua nos explicabamus ea verba, non includi in generali clauſula, & ſpecialem ſui mentionem nobis ipſis fatentibus poſtulare. Reſpondeo addita fuiſſe ad tollendum omne dubium, quod ex diſſidentibus ſententiis Doctorum hac in parte ſuboriri poterat; deinde cum aliquæ excommunicationes & cenſuræ non cenſeantur abſolui poſſe per generales clauſulas; idcircò etiam ratione ipſarum ſunt appoſita ea verba, quæ nos non adduximus initio, vt ea propter irregularitates

gularitates duntaxat appoſita fuiſſe contenderemus, ſed vt doceremus ſtylum Romanum aliquando ferre, vt facultates iſtæ diſpenſandi in irregularitatibus & aliis quibuſdam, quæ ſolent ita reſeruari, vt vix, niſi per ſpecialia indulta, concedantur; nihilominus ex quadam eximia liberalitate in Bullis & Iubilæis donentur. Denique quamuis fateremur ſtylum Romanum perpetuò diſtinguere irregularitatem ab aliis pœnis, inde tamen non fieret, vt iis vocibus, reuerà non continerentur, quandoquidem res per eiuſmodi voces ſignificata naturam verè & propriè participat: ſtylus enim iſte ſequitur opinionem probabilem, neque propterea tollit contrariæ opinionis probabilitatem, vt latè diximus alibi, & obſeruauit quoque Fagund. tr. 2. de præceptis Eccleſiæ lib. 8. numero 38.

Atque vt totam hanc controuerſiam de ſtylo diffiniam, & liberaliter agamus cum aduerſariis, concedo ſtylum Romanæ Curiæ, nomine cenſuræ ſimpliciter prolato, non ſignificare irregularitatem etiam ex delicto, quanquam vera cenſura ſit; quoties tamen vtitur nomine pœnæ, reuerà & hanc quoque pœnam indicat, quod maximè verum eſt, quoties apponit ſignum vniuerſale, vel quando nomini cẽſurę adhibet quodpiam, propter quod nolit ſermonem eſſe de alia quapiam cenſura, quàm de tribus vulgatis, quod contingit primò quoties enumeratis diſtinctè excommunicatione, ſuſpenſione & interdicto, additur, & aliis cenſuris, deſignantur enim his vocibus aliæ cenſuræ præter tres enumeratas. Secundò quoties, vt dixi, additur vox pœnæ, cum ſigno vniuerſali, & nulla limitatio & exceptio apponitur, tunc enim in ſua ampliſſima ſignificatione capienda eſt. Atque ita ſatisfiet Innocent. III. cap. quærenti. de verbor. ſignific. nomine cenſuræ ſimpliciter prolato ſolere Pontifices deſignare maximè tres ſpecies vulgares, excommunicationem, interdictum, & ſuſpenſionem, vt nuper citata quæſt. 2. monebam, vbi & aliam indicaui commodiorem ſolutionem huius loci; perſiſtimus tamen in iſta, ne rigidè & parum liberaliter cum aduerſariis agere videamur. Non negat tamen Innoc. quin aliæ quoque pœnæ Eccleſiaſticæ illa voce propriè ſignificari poſſint, quod fit additis illis particulis, quæ neceſſariò indicant illam ſumi in ſua ampliſſima, ſed natiua ſignificatione, & non ſtrictiore illa, quamuis non magis propria, quam ſtylus Curiæ longo vſu, nec cogente vlla ratione obtinuerit.

Statvo igitur in conceſſione generali abſoluendi ab excommunica- 9
tione, ſuſpenſione, & interdicto, & aliis cenſuris, ſententiis, ac quibuſcunque pœnis Eccleſiaſticis à iure, vel homine ex quacunque cauſa latis, contineri facultatem abſoluendi à pœna irregularitatis, ſiue ab irregularitate pœnali, ſic enim appellare placet, vt diſtinguamus ab ea, quæ inculpabiliter contrahitur, & ex defectu ſignificationis, niſi clauſula iſta generalis per aliquam exceptionem reſtringatur, vti fieri ſolet, quoties Pontifex non intendit has irregularitates comprehendere; quoties verò conceditur facultas generalis abſoluendi à cenſuris indiffinitè & ſimpliciter, neque adhibetur ſignum vniuerſale, aut pœnæ Eccleſiaſticæ vox, neque enumerantur ſpecies vulgares cenſuræ, neque apponuntur alia ſigna ſuperiùs allata, quibus indicatur hanc

vocem

vocem relinqui in ſua ampliſſima & natiua ſignificatione, exiſtimo non comprehendi ex ſtylo Curiæ abſolutionem ab irregularitate.

10 Posterior pars huius aſſertionis eſt contra Salonium alióſque ex iis, quos in ſecunda ſententia retulimus, & ex eo oſtenditur, quòd licèt vox indefinitè & ſimpliciter, atque abſolutè prolata in tota ſua natiua & propria ſignificatione capi poſſit, ac ſoleat, potuit tamen obtinere vſus, penes quem ius eſt & norma loquendi, vt quoties ſignum aliquod illius amplitudinis non apponitur, vſurpetur ſtrictiùs in vulgari ſermone, aut in reſcriptis, aliiſque publicis, aut priuatis tabulis; etiamſi igitur in abſoluta facultate abſoluendi à cenſuris nullo alio addito intelligi poſſet facultas quoque diſpenſandi, aut abſoluendi à pœnali irregularitate, quandoquidem propria cenſura eſt, & eo nomine ſignificatur; quia tamen ſtylus Curiæ ita fert annuente & fauente, vt videtur, Innocent. vt cenſuræ vox ſimpliciter probata ſtrictiùs, quàm ferat eius natura, ſumatur pro tribus tantùm ſpeciebus, ibidem ab Innoc. indicatis, quamdiu ex adiunctis verbis non conſtabit eam relinqui ſuæ amplitudini, quam vſus & ſtylus communis reſtrinxerat, pro illis ſolis ſpeciebus, nimirum excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto accipienda erit; neque aliud probant aduerſarij, etiamſi omnia quę de ſtylo congerunt, illis vltrò demus.

11 Prior pars noſtræ aſſertionis ex hactenus diſputatis, cùm cap 1. q. 2. cùm hoc loco neceſſariò ſequitur; cùm enim vox cenſuræ & pœnæ Eccleſiaſticæ in ſua propria & natiua ſignificatione irregularitatem contineat, conſtétque liquidò ex adiunctis ſumi in ſua propria ſignificatione à Pontifice, quia fruſtrà ei illa ſigna vniuerſalia adhiberentur, ſi in ſtrictiori acceptione, ad quam illam, immeritam licèt, damnauit vulgaris vſus, & indoctorum Curialium ignorantia, quam deinde & docti ipſi, vt ſe vulgo accommodarent, ſequuti ſunt, non poſſumus ex mente Pontificis facultatem ab illo factam reſtringere, ſed ampliſſimè, & vti ſonat, interpretari debemus. Quæ omnia, ſi expendant aduerſarij, profectò non negabunt. Sanè Molina diſp. 80. num. 6. cit. cenſet Confeſſarium, cui in aliquo indulto conceditur abſoluere ab omni cenſura, excepta irregularitate homicidij & bigamiæ, poſſe ab omni omninò irregularitate, exceptis illis duabus, abſoluere, ſiue ſint prorſus inculpabiles, ſiue ſtatutæ in pœnam culpę, ſiue partim ex leuiori aliqua culpa, partim ex defectu repræſentationis oriantur; quia, inquit, cùm nomen cenſuræ latè nec impropriè ſumptum comprehendat etiam irregularitatem primi generis, hoc eſt, quæ non eſt pœna: & exceptio illa irregularitatis homicidij & bigamiæ firmet regulam in contrarium, vt ſcilicet vniuerſim cenſeantur in ea conceſſione comprehenſæ irregularitates cæteræ eorundem quoque generum, illis duabus irregularitatibus exceptis, conſequitur profectò, vt ex ea exceptione colligatur in ea conceſſione ac indulto comprehenſas eſſe reliquas irregularitates etiam primi generis. Ex quibus ſic argumentor, idcircò in ea conceſſione generali abſoluendi ab omni cenſura, colligit Molina contineri facultatem abſoluendi ab omni omninò irregularitate, quia exceptio appoſita oſtendit nomen cenſuræ ſumi in lata ſua, ſed non impropria, ſignificatione, in qua comprehendit etiam irregularitates omnes; quoties igi-

tur

tur ex aliquo adiuncto colligitur, cenſuræ nomen vſurpari in lata ſua, ſed non impropria ſignificatione, comprehẽdet quoque irregularitates pœnales, vti fusè oſtẽſum fuit citata q. 2. Ergo in conceſſione generali abſoluendi à cenſura. ita latè, ſed non impropriè ſumpta comprehendetur facultas abſoluendi ab irregularitate pœnali; atqui ex ſignis vniuerſalibus, & voce pœnæ & aliis indiciis ſuperius à nobis adductis, non minus bene colligitur cenſuræ nomen latè, ſed non impropriè ſumi, quàm id collegerit Molina ex exceptione appoſita, vt patet: ergo eodem planè iure dicendum erit vi illius reſcripti Pōtificij & facultatis generalis ſibi in eo factæ Confeſſariũ validè abſoluere à pœna irregularitatis, ſicut & ab aliis pœnis Eccleſiaſticis ac cenſuris.

Quare nihil ampliùs video periculi in hac ſententia, & exiſtimo Confeſſarios, qui habent illas facultates, illis in hoc ſenſu vti poſſe.

12 Dices, hinc ſequi, poſſe aliquem ex illa facultate generali abſoluere à ceſſatione diuinorum Officiorum, atque à depoſitione & degradatione, illæ enim ſunt pœnæ Eccleſiaſticæ, quare comprehendentur clauſula generali à quibuſcunque pœnis Eccleſiaſticis.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Primò enim ceſſatio à Diuinis non eſt propriè pœna, vt dicebat Valent. Secundò hæc ceſſatio pertinet tantùm ad forum externum, & per ſolos Eccleſiæ Miniſtros eſt exercenda; quare etiamſi abſolueretur, qui illi occaſionem dedit; ſi nihilominus Eccleſiæ Miniſtri pergerent non celebrare diuina Officia, tota ea abſolutio inutilis prorſus eſſet, vt optimè monet Ludouic. à Cruce diſpur. 1. in Bullam Cruciatæ, cap. 4. dub. 11. Idem omninò dicendum eſt de depoſitione, quæ non imponitur niſi ab homine, & præterea reſpicit ſolum forum externum; & denique nunquam tolli poteſt, niſi extraordinaria poteſtate, qualem nunquam in facultate generali cenſetur Pontifex committere.

Ex qua vniuerſali regula limitanda eſt noſtra aſſertio, vt licèt ex clauſulis generalibus poſſit quis abſoluere ab irregularitate pœnali, non tamen ab ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, quia illam ſibi ſolet Pontifex perpetuò reſeruare: quæ verò ſolitus eſt Princeps ſibi ipſi vindicare & ſeruare, nunquam donata cenſentur in generali conceſſione, vt hanc in rem monet Homobon. 1. part. exam. Eccleſiaſt. tract. 5. cap. 6. quæſt. 36. ſub fin. & dicetur alibi. Atque hæc pauca de Irregularitatibus, & impedimentis canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, & exercitium impedientibus diſputata ſufficiant.

FINIS.

INDEX
præcipuarum rerum huius operis.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, ſecundus columnam indicat.

A

Abortus.

AN cauſans Abortum fiat irregularis. 122
pœnæ procurati Abortus. ibid.
an Abortus, & eiectio fœtus nondum animati ſit homicidium. 123.1
an qui non potuit diſſuadere Abortum fœminæ, cui illius auctor fuerat, fiat irregularis. 140.2
an ſit irregularis qui non impedit Abortum quem ſcit procurari à muliere. 153.1
an qui dedit cauſam Abortitioni fœtus inanimati, pereunte matre fiat irregularis. 181

Abſciſsio.

qui culpabiliter ſibi Abſcidit, aut abſcindi paſſus eſt aliquod membrum, fit irregularis. 46
qui inuitus ab alio Abſcinditur, licèt illi abſciſſioni ſua culpa cauſam reddat, non fit irregularis. 46.2

Abſolutio.

an qui poteſt Abſoluere à cenſuris poſſit etiam ab irregularitate. 5. & 6. & tota q.5. cap.6.
an irregularis validè Abſoluat. 36

Accuſator, Accuſatio.

quænam Accuſatio faciat irregularem. 271

Actio, Actus.

an Actus occultus puniatur irregularitate. 22.1
an Actio illicita, ex qua ſequitur homicidium omnino fortuitum, pariat irregularitatem. 165. & ſeq.
an Actio licita excuſet ab homicidio ex illa ſequuto, aut ſaltem ab irregularitate. 164

Adminiſtratio.

Adminiſtratio rerum alienarum obnoxia reddendæ rationi, quandónam faciat irregularem. 106. & 107
Adminiſtratio pia, aut Eccleſiaſtica, an idem faciat. 108. 1
qualis debeat eſſe hæc Adminiſtratio ad falſum effectum. ibid. 2

Adulter

an fiat irregularis, ſi maritus occidat vxorem Adulteram. 178. 2
an qui marito apeṙuit vxoris Adulterium, fiat irregularis, ſi maritus vxorem occidat. 179. 2
an Adulter occidens maritum ſeipſum inuadentem, fiat irregularis. 235. 2

Aduocatus

quomodo in cauſa ſanguinis vitabit irregularitatem. 291. & 292

Ætas.

an Ætatis defectus ſit vera irregularitas. 42. 2

Æthiops.

an Æthiopes in Europa ſint irregulares. 49. 2

Aures, Auditus.

an Auricularum abſciſſio pariat irregularitatem. 50. 1
an Auditu carens, ſiue ſurdus, ſit irregularis. ibid. 2

B

Baptiſmus.

Baptiſmi iteratio culpabilis facit irregularem. 300
cur ea iteratio debeat eſſe culpabilis. 303. 2
rebaptizatus culpabiliter eſt irregularis. 306. 2
ipſe etiam rebaptizans. ibid.
an miniſter rebaptizantis fiat irregularis. ibid. & 307
qualis ſit irregularitas orta ex rebaptizatione. 308
an iteratio Baptiſmi ex ignorantia facta cauſet irregularitatem. 310. 2
an ratihabitio iterati Baptiſmi idem efficiat. 311. 1
an facta iteratio ſimilia cauſet. ibidem 2
an rebaptizatio ſub conditione faciat irregularem. 312
an Baptizatus ab hæreticis fiat irregularis. 314.
an fictus Baptiſmus idem pręſtet. ibid. 2. & 315. 2
laicus ſolemniter Baptizans non eſt irregularis. 328. 2
eſt tamen Clericus qui excommunicatus idem præſtabit. 355
an Baptiſmus abradat irregularitatem. 407

Beneficium.

irregularitas non priuat obtentis Beneficiis. 29. 2
neque Beneficij prouentibus. 30. 2
irregularis ex delicto priuari poterit ſuo Beneficio. ibid.
collatio Beneficij facta irregulari non eſt irrita, ſed tantùm irritanda. 31
an collatio illiciti Beneficij ſit ſemper inualida. 33. 2
irregularis poteſt ſuum Beneficium adminiſtrare, & eius percipere fructus. 36
an irregularis teneatur ſuum Beneficium dimittere. ibid.
an alteri cedere. 37. 1

Bigamia, Bigamus.

quare Bigamia dicatur defectus Sacramenti. 74. 1
quid ſit Bigamia. ibid.
quotuplex ſit Bigamia. ibid. & 75
ad omnem veram Bigamiam requiritur vtriuſque matrimonij conſummatio. ibid. 1
qualis ea conſummatio eſſe debeat. 75. & 76.
vera Bigamia facit irregularem. 77. 1
ſed non niſi ex iure Eccleſiaſtico. 79
quotuplex ſit irregularitas ex Bigamia interpretatiua, earumque diſcrimen. 80
matrimonium validum cum vidua facit irregularem. 81. 1
matrimonium cum corrupta, ſed non vidua, non facit irregularem ex Bigamia. ibid. 2. & 83. & 98. 1
ſed aliquando ex infamia. 83
vir cognoſcens ſuam vxorem adulteram, non fit interpretatiuè Bigamus, neque irregularis, niſi aliquando & infamis. 86
Bigamia requirit vtrumque matrimonium validum. 90. & 100. & 101
Bigamia ſimilitudinaria non eſt ex defectu Sacramenti, ſed ſolùm ex delicto. 94
pœnæ Bigamorum. 97. 1
an ſit Bigamia per plura ſponſalia, ſequuta copula. 98
an cum pluribus viduis, aut maritatis, conſuetudinem habens fiat Bigamus. ibid.
an maritus cognoſcens vxorem ſuam vi ab alio oppreſſam fiat Bigamus. 100
an Bigamia ſit ex matrimonio cum Moniali. 102
Bigamia non tollitur per Baptiſmum. 411.

C

Cæcus

eſt irregularis, & quomodo. 84. 1

Cauſa.

an ceſſante Cauſa irregularitatis, ipſa etiam ceſſet. 400

Cenſura.

an aliqua Cenſura ſit ſimul irregularitas. 3. & 4
Cenſuræ & irregularitatis diſcrimina. ibid. 2
qualis pœna ſit Cenſura. ibid.
cur Cenſura pariat irregularitates. 6. 2
Cenſura primò intendit emendationem rei, pœna tamen eſt. 7
an ſola pœna medicinalis ſit Cenſura. 8. 1. & 9
quomodo ſumatur nomen Cenſuræ in reſcriptis Pontificiis. ibid. & 10
violans Cenſuram per actum iuriſdictionis prohibitum non fit irregularis. 360
Clericus violans Cẽſuram exercendo actum Ordinis ſibi per illam prohibiti fit irregularis. 336
conditiones neceſſariæ ad irregularitatem ex violatione Cenſuræ. 339
laicus, aut non ordinatus violans Cenſuram per exercitium alicuius Ordinis non fit irregularis. 340 2
an ipſo iure actu quo incurritur Cenſura, ſimul violetur, & contrahatur irregularitas. 344. 345
violatio Cenſuræ per actum Ordinis nullum, aut fictum, non facit irregularem. 347
an violatio Cenſuræ per actum, quem illa prohibet, tantùm ſecundùm modum pariat irregularitatem. 351. & 355.

violationes Cenſuræ quibus incurritur irregularitas. 360.361

Chirurgus

an ſecans membrum ſequuta morte fiat irregularis. 196.1
an extrahendo ſagittam, & ſequuta inde morte fiat quoque irregularis. 197
Chirurgica ars per ſe non facit irregularem. ibid.

Clericus.

an ſit diſtinguendum inter Clericum & laicum in homicidio. 213
Clericus occidẽs in iuſtam ſui defenſionem non ſit irregularis. 219.2
quid liceat Clericis in bello iuſto aggreſſiuo. 244.2
Clericus cauſam ſanguinis alteri committens, ſequuta rei morte non ſit irregularis. 263
an Clericus poſſit ferre legem capitalem. 166
an tradere reum iudici puniendum. ibid.
quomodo Clericus conſultus de crimine capitali reſpondere debeat. ibid.167
an Clericus poſſit accuſare de alienis iniuriis. 283
quid liceat Clerico circa reos. 287

Concubinatus

an faciat irregularem. 399

Confeſſarius

qui obligat pœnitentem fateri crimen dignum morte, illa ſequuta non eſt irregularis. 184.1
an qui negat abſolutionem iudici nolenti punire crimen capitale, fiat irregularis. 268

Confirmatio.

Confirmationis iteratio an pariat irregularitatem. 301
an qui ſine Confirmatione ordinatur, ſit irregularis. 324.1

Conſilium.

Conſulens homicidium eſt irregularis. 121.1
non tamen Conſulens mutilationem. ibid.
an reuocans ſuum Conſilium ſit irregularis. 140.2
an ficto animo Conſulens. ibid.
an Conſulens duellum in quo conſultarius perit. 181
Conſulens alteri rem periculoſam, aut adulterium, vel furtum in quo committendo occiditur, non eſt irregularis. 179
Conſulẽs fateri crimen dignum morte, non eſt irregularis. 184.1
an qui Conſulit reo omittere appellationem. ibid.
an qui diſſuadet defenſionem alterius, eius ſequuta morte fiat irregularis. 154.1

Conſuetudo

an inducat irregularitatem 16.& 17

Contemptus

an neceſſarius ſit ad incurrendam irregularitatem. 22

Cooperatio.

Cooperantes iniuſto homicidio & mutilationi, fiunt irregulares. 120.2
qualis debeat eſſe illa Cooperatio. 184.2
an Cooperatio ad homicidium poſſit eſſe inuoluntaria. 185.2

an qui præbet arma ad cædem, ſufficienter Cooperetur. 187.1
an qui miſcet, & parat pôtionem venenatam ab alio propinandam. 188.1
an qui congerunt ligna ad viuicomburium alicuius. ibid.2
an qui detinent fugientem. ibid.
an qui aſſiſtunt homicidæ. ibid.
an qui alium inebriat, qui deinde ebrius aliquem occidit. 189.1
an qui inſequitur fugientem, illéque ſua fuga obuium obrerit. ibid.2
qui aduerſario alium medium obiicit, qui mortem excipit. 190
an Cooperatio iuſtæ cædis, ſed cum defectu lenitatis, faciat irregularem. 215.2

Culpa.

ad irregularitatem pœnalem Culpæ mortalis neceſſaria eſt, & venialis non ſufficit. 19.2.& 20.&161.21
debet quoque eſſe Culpa externa, & conſummata. 21

Curia.

an Curiales promoueri poſſint ad Ordines. 109

D

Dæmon.

DÆmone correptus eſt irregularis. 63.1
Dæmone liberatus poterit promoueri ad Ordines, niſi maneat infamis. ibid. 2

Defectus.

quid ſit, & quandónam dicatur inculpabilis. 38.1

Defenſio.

qui ad ſui ſuarumque rerum Defenſionem me occidit, non eſt irregularis. 218. & 219. & 220
qui ſe Defendit ad vitandam mutilationem non eſt irregularis. 221.1
an qui ad vitandum graue vulnus occidit, aut mutilat. ibid.
an qui Defendit bona, & ſuum honorem. 222
qui vt Defendat barbæ auulſionem. 125. 2
an Defendens pudicitiam. ibid.
an qui Defendit proximum. 126.2
qui anticipata Defenſione præuertit aduerſarium, illúmque occidit, an ſit irregularis. 227. 1
an qui occidit, cùm ad Defenſionem ſufficiat vulnerare. 229.230
an adulter ſe Defendens contra maritum. 255. & 256
reus ſe Defendens contra miniſtros iuſtitiæ, an fiat irregularis. 236
Vide *Miles.*

Dentes.

quis Dentium defectus faciat irregularem. 50. 1

Diſpenſatio.

Diſpenſatio irregularitatis à quo & qua forma fieri debeat.cap.6. q.45. tota.

Dubium.

an in Dubio commiſſi homicidij contraharur irregularitas. 124.129.2
an quando Dubium eſt de homicida, & certum homicidium. 125.126
qualis ſit ea irregularitas. 130.2
aliæ irregularitates in Dubio facti. 129. 1
Dubium de mutilatione an faciat irregularem. 131
Dubius an occiderit in bello iuſto, non eſt irregularis. ibid.
neque qui cauſat abortum in Dubio fœtus inanimati. 132

Dubius an ſuo conſilio, vel mandato cauſarit mortem, fiat ne irregularis. 139.2
an in Dubio iuris incurratur irregularitas. 18

E

Electio.

an irregularis retineat ius Electionis. 37.1

Epilepticus

eſt irregularis. 60
an cum illo poſſit diſpenſari. ibid..2
an filius Epileptici initiari poſſit. 61.2
ſigna ſanatæ Epilepſiæ. ibid.2
an qui vertigine tantùm laborat, numeretur inter Epilepticos, & ſit irregularis. ibid.2

Epiſcopus

nequit imponere irregularitatem. 13.1. & 15.2
illius eſt arbitrari de defectu ad irregularitatem ſufficienti. 45
quis intelligatur nomine Epiſcopi in hac materia. ibid. 2

Eunuchus.

tria illorum genera. 51.2
an ſint omnes irregulares. 53.2
an qui abſciſſioni illi ſua culpa cauſam dedit. ibid.
Eunuchiſmus in pœnam datus à Francis. 52.2
qui morbi cauſa ſeipſum Eunuchat, aut Eunuchari permittit, non eſt irregularis. 53
ſecus qui ſe Eunuchari patitur abſque iuſta cauſa. 54.2

Excommunicatio.

Clericus excommunicatus minori excommunicatione celebrans non eſt irregularis. 341
an Excommunicatus ſuſcipiens Ordines fiat irregularis. ibid.2
Excommunicatus fiátne abſolutus, an fiat irregularis exercendo Ordinem. 349
an Excommunicatus concurrens ad Sacramentum, quod tamen ipſe non conficit, ſit irregularis. 350
celebrans coram Excommunicato, an ſit irregularis. 355. & 356
Excommunicatus faciens coram ſe celebrari, an fiat irregularis. 357. & 358
an miniſtrans Sacramentum Excommunicato ſit irregularis. 359

F

Facies.

Faciei difformitas quando faciat irregularem. 49

Fortuna.

homicidium prorſus Fortuitum non facit irregularem. 159.2

G

Gibboſus

an ſit irregularis. 57.2

H

Hermaphroditus

an ſit monſtrum. 57.1
plura ipſorum genera. ibid..2
Hremaphroditus in quo vterque ſe-

xus

xus æqualis eſt,aut fœmineus præualet, incapax eſt Ordinum. 58.2
an in quo ſexus virilis præualet,ſit irregularis. ibid.

Homicidium.

Homicidæ non ſunt diuino iure irregulares. 12.1
an Homicidij irregularitas tollatur per Baptiſmum. 408
Homicidium quotuplex ſit. 111 1
Homicidium voluntarium & caſuale, aliter accipitur à Theologis & Iuriſtis. 111.112.113.114.& 115
Homicida peccans contra quintum Decalogi præceptum eſt irregularis. 119
hæc irregularitas non incurritur niſi ſequuta morte. 121
dubium Homicidium quando faciat irregulares? vide *Dubium.*
quis ſit irregularis quando plures eundem vulnerarunt. 132.2.& 135.
an ſi caſu, non ex acceſſu viduæ pereat. 136.2.137
Homicidium merè caſuale, & inuoluntarium non parit irregularitatem. 159.2
Homicidium indirectè voluntarium, ſiue mixtum,parit irregularitatem. 160. 1
Homicidium iuſtum, & neceſſarium nunquam. 209
maximè quando ſequitur ex actione ita neceſſaria, vt ſine peccato relinqui nequeat. 210
iuſta occiſio voluntaria, & tantùm neceſſaria ratione ſuſcepti officij facit irregularem defectu lenitatis. 214 2
an ſit vera regula communis, ex Homicidio licito priuata auctoritate facto, non incurritur irregularitas, ſecus ex homicidio publica auctoritate facto. 217
an defectus lenitatis tollatur per Baptiſmum. 414. 2

Hæreſis.

an Hæretici ſint irregulares. 362
an fautores Hæreticorum. 386
an filij Hæreticorum. 388
an ſuſpecti de Hæreſi. 390
an ficti Hæretici. 391
quomodo Clerici conuerſi ab Hæreſi ſint recipiendi. 394
an Hæreticus conuerſus deſinat eſſe irregularis. 403

I

Illegitimus.

omnis Illegitimus etiam occultus, eſt irregularis. 39
an infantes expoſiti cenſeantur Illegitimi. 40
quinam ſint canonicè Illegitimi, & an ſint irregulares. 41
an legitimatus deſinat eſſe irregularis. 406
Illegitimus quomodo per Profeſſionem religioſam deſinat eſt irregularis. 417. & ſeq.

Infans,

an ante ſeptennium occidens fiat irregularis. 177.2
quid ſi poſt ſeptennium ſit adhuc doli incapax. ibid.2

Interdictum.

an Clericus tempore Interdicti non ſeruans conditiones cap. Alma mater, fiat irregularis. 353

Irregularitas

quid ſit. 1
quotuplex ſit. 2
an aliqua ſit cenſura. 3. & 4

an

an aliqua tollatur abſolutione 5.& 6
cur vna non pariat aliam. ibid.
ratio diuerſa ſpecifica Irregularitatum. ibid.2
finis Irregularitatis quis ſit. 10
quomodo aliqua ſit pœna. 7.& 8
cauſa efficiens Irregularitatis eſt ſolum ius canonicum, non diuinum, aut naturale. 11.& 12
nulla eſt Irregularitas ab homine. 12. 2.& 15. 1
omnis Irregularitas incurritur ipſo facto. 14
nulla eſt propria vnius Epiſcopatus. 15.2
an inducatur conſuetudine. 16.1
cauſa formalis Irregularitatis. 19
cauſa materialis. ibid.2
requiritur culpa mortalis, externa & conſummata ad Irregularitatem pœnalem. 19. 20.& 21
ſubiectum Irregularitatis. 21.2
Irregularitates partiales. 23.2
quomodo cognoſcantur iſtæ partiales. 25.1
an faciat inualidam, an illicitam tantùm ſacrorum adminiſtrationem. 28. 1
non priuat iuriſdictione. ibid.
Irregularitas mutilationis, & homicidij non eſt eadem. 119. 2
quibus modis tollatur Irregularitas. cap. vlt. toto.

Iudicium.

an qui in Iudicio concurrunt ad Rei cædem, ſint irregulares. 256
Iudex damnans reum, eius ſequuta morte irregularis eſt. 258. 2
an ſi tantùm ſcribat, aut dictet ſententiam capitis, quam alius pronunciat. 261
an ſi iuſſerit compingi in carcerem, in quo reus obierit. ibid. & 262
an damnans ad triremes in quibus extinguitur. 263
quinam miniſtri Iudicij capitalis fiant irregulares. 293.2

Iuriſdictio

non amittitur irregularitate. 28

Infamia

quid, & quoruplex ſit. 371
omnis Infamia legalis canonica parit irregularitatem. 374
Infamia popularis, quamdiu durat impedit ordinationem, non tamen facit irregularem. 376
an Infamia contrahatur ex peccato occulto. 384
an Infamia ex alieno peccato faciat irregularem. 383
an ceſſante Infamia ceſſet irregularitas ex illa nata. 404.2
an deleatur per Baptiſmum. 409 & 410

L

Leproſus

an poſſit promoueri ad Ordines. 59.2

Lex.

an abrogata Lege ferente irregularitatem illa ceſſet. 406.407

Ludus.

an mors ex illo ſequuta faciat irregularem. 201
qui Ludens incutit malum ex quo aliquis ſe præcipitat. 201
qui prægnanti illudit, vnde abortit. ibid. 2
qui Ludunt pilis glaciaris, vnde cædes. ibid.
qui Ludunt crudis armis. 202

agitatio taurorũ. ibid. } an ij omnes
ſunambuli. ibid. } ſint irregulares.

M

Manus

quænam illius vitia faciant irregularem. 51
qui habent plures, aut pauciores digitos, quàm par ſit, an fiant irregulares. 56.2

Matrimonium

Impedit ordinationem. 103.1
Vide *Bigamia*.

Medicus.

an ars Medicinæ faciat irregulares & quomodo. 191.192.& 197
an ſi ſit negligens in curando ægroto qui obit. 157
an ſi curet ægrorum cuius morbum ignorat, illéque moriatur. 192.2
an ſi ægrum deſerat, illéque obeat. 194.2
an ſi deſperato ægro omnia etiam noxia permittat. ibid.
an Empyrici fiant irregulares. 193
an qui vocant ſeriùs Medicum, ſequuta morte fiant irregulares. 154.2

Membrum

quid ſit. 117

Miles.

an Miles pugnans in bello iniuſto, & hoſtem ſe inſequentem occidens, ſit irregularis. 238
quandónam pugnans contrahat irregularitatem. 239
an qui pugnat in bello iniuſto, nullo ſequuto homicidio ſit irregularis. 241
an qui pugnat in bello iuſto aggreſſiuo. 243
an qui in bello iuſto defenſiuo. 255

Monſtra

an contrahant irregularitatem. 56

Morbus

quiſnam pariat irregularitatem. 59

Mutilatio.

quid ſit Mutilatio membri. 116
iniuſta & voluntaria mutilatio facit irregularem. 119.2
quarum partium mutilatio ad hoc ſit neceſſaria. 137

Mutus

an & quomodo fiat irregularis. 50.1

N

Nares.

an denaſati ſint irregulares. 50.1

Neophytus

quis ſit. 71.1
eſt irregularis. 70.& 72

Notarius

an ex iudicio capitali ſequuta rei morte fiat irregularis. 293.2

O

Oculus.

an Oculi macula pariat irregularitatem. 49.1
an Monoculus ſit irregularis. 48.2.& 49.1

Odium.

an qui ex Odio, iuſtè tamen, occidit, fiat irregularis. 227.2

Occiſio.

an qui Occidit iniuſtum inuaſorem quem ſcit eſſe in peccato mortali, peccet, & fiat irregularis. 229.1
an inuaſorem innocentem liceat occidere. ibid. 2
an liceat Occidere iniuſtum inuaſorem fugientem. 230
qui occidit cùm poſſit fugere, an peccet, fiátque irregularis. 231.2
Vide *Homicidium.*

Omiſſio

Vide *Defenſio.*
Omiſſio defenſionis non impediendo homicidium, quandónam faciat irregularem. 141.& ſeq.
Omiſſio defenſionis pura non violat iuſtitiam. 144.1
Omiſſio defenſionis cum actione poſitiuà coniuncta violat iuſtitiam, & facit irregularem ſequuta cæde. 149. 2.& 152.2
varij caſus huius non defenſionis. 151. & 152

Ordo ſacer.

Ordinis iteratio an faciat irregularem. 303
quomodo priuet Ordinum ſuſceptione, & vſu irregularitas. 24.25.26.
irregularis peccat ſuſcipiendo Ordines. 34
Ordinatus ab Epiſcopo, qui ſuo Epiſcopatui renunciauit, quomodo fiat irregularis. 316.2
Ordinatus ab Epiſcopo cenſura notato, aut non Epiſcopo, an ſit irregularis. 319
Ordinatus ab alieno Epiſcopo. 322
qui non ſeruat interſtitia in Ordinibus ſuſcipiendis. 323
qui per ſaltum Ordinatur. 323.& 330
qui furtiuè Ordinatur. 324.1
Clericus exercẽs Ordinem quem non habet, fit irregularis. ibid. 2
qualis ſit ea irregularitas. 326.2
quid de Clerico exercente minores Ordines. 331.332
an laicus vſurpans Ordinem fiat irregularis. 327
illicita Ordinis adminiſtratio non facit irregularitatem, niſi ſimul cenſuram violet. 331
actus Ordinum qui fieri nequeant à laico. 339.2

P

Parochus.

quid poſſit Parochus irregularis. 37.2
Parochus leproſus an euadat beneficio. 60.1
ſolemniter benedicens nuptias cenſura innodatus fit irregularis. 355.2

Peccatum.

Peccatum mortale quomodo dicatur irregularitas. 362.2
quænam irregularitates ex Peccatis ortæ tollantur per Baptiſmum. 409.1
Peccatum ſpirituale, animale, & carnale quomodo differant. 377. & ſeq.
Peccata quibus eſt annexa per ſe irregularitas. 370
an Peccatum enorme notorium faciat irregularem. 392

Pes.

quódnam Pedum vitium faciat irregularem. 51.1

Pygmæi

an ſint irregulares. 56.2

Pontifex Romanus

poteſt ſolùm ferre irregularitatem. 11.2

Prælatus.

an Monialis illegitima poſſit eligi in Prælatam. 423

Proteſtatio.

quomodo Proteſtatio non petendi vindictam in cauſa ſanguinis excuſet accuſatorem, & alios quoſdam ab irregularitate. 272
non eſt neceſſaria pro foro interno, quando quis agit tantùm ciuiliter, ſed pro foro ſolùm externo. 273
an facta Proteſtatio ſufficiat. 288
quomodo facienda ſit hæc Proteſtatio. ibid. & 289

Pœnitentia.

an publica Pœnitentia faciat irregularem. 399
an expiato crimine per pœnitentiam ceſſet irregularitas. 403

R

Ratihabitio.

an Ratihabitio homicidij voluntarij, vel mutilationis faciat irregularem. 155

Ratio.

Rationis defectus parit irregularitatem. 66.1
vbi ceſſarit omnino ille defectus, poterit quis ad Ordines promoueri. ibid. 2
an bardi, & ſtolidi ſint irregulares. 67.1
an carens ratione fiat irregularis occidendo. 167.2

Religio.

an Profeſſio religioſa tollat irregularitatem, & quam. cap 6. q. 3. tota.

S

Sacramenta.

an irregularis poſſit accipere Sacramenta. 34
nullius Sacramenti iteratio, præterquam Baptiſmi, & Ordinis, facit irregularem. 311 2
an miniſtrans Sacramentum excommunicato fiat irregularis. 359

Sacrilegium

an pariat irregularitatem. 369. & 370

Scientia

quænam requiratur vt aliquis ad Ordines poſſit promoueri. 67
an diſpenſari poſſit cum illiterato. 69
in Religioſis minor ſcientia requiritur. 70.1

Seruitus.

Seruus nequit ſine domini conſenſu ordinari. 103
quænam Domini licentia ad hoc neceſſaria ſit. 13.104.105
ad quid obligetur Epiſcopus ordinans Seruum inſcio domino. 106.1

Similitudo.

an argumentum à Simili valeat in irregularitatibus. 17

Simonia

an faciat irregularem. 369

Sodomia

an faciat irregularem. 395

Schiſma

an faciat irregularem. 368

Spiritus.

quid ſit Spiritus, quid homo ſpiritualis ex Irenæo. 379.2

Splen.

an illius carentia faciat irregularem. 5.1

Suſpenſio

quomodo ſumatur in latiori ſignificatione. 5.1
an ſuſpenſus ab Ordine inferiori, fiat irregularis, ſi ad ſuperiorem promoueatur. 343
an dum Suſpenſus ordinatur, fiat irregularis in ipſamet ordinatione. ibid. 2

T

Teſtis

an in cauſa ſanguinis fiat irregularis. 289
quid ſi neceſſitate cogatur ad ferendum teſtimonium. 290
an excuſetur proteſtatione. ibid. 2
in cauſa ciuili dicens Teſtimonium, quidquid inde ſequatur, non fit irregularis. 291.1
an qui nequit Teſtari, & accuſare, fiat infamis, & irregularis. 375.1

V

Venatio.

quandónam ex illa contingat irregularitas. 200
an qui occidit hominem, quem exiſtimabat eſſe feram, fiat irregularis. ibid. 2
qui feram alit, quæ euadit, & aliquem interficit, an ſit irregularis. ibid. 2

Venenum.

an qui Venenum amatorium propinat, ſequuta morte fiat irregularis. 180

Virtus.

quomodo plurium Virtutum honeſtates ſimul in eodem actu reperiantur. 7.2

F I N I S.

99 241449